










THEOLOGIA

PRACTICA.

Manuscriptum codicem, cuì titulus : THEOLOGIA PRACTICA SUB TITULIS SACRAMENTORUM, de mandato Illustrissimi ac Reverendissimi DD. FRÈRE DE VILLEFRANCON, felicis recordationis, Archipræsulis Bisontini, à viris sacræ Theologiæ peritis examinatum, nobisque sanæ disciplinæ moralis attestatum, typis mandandi licentiam facimus, et cupimus valdè ut *artis artium* principia regulasque tutiores hìc tàm luculenter expositas, libri hujus ope sibi in mentem studiosè revocent ecclesiastici viri, ii præsertìm qui curam animarum habent.

Datum Bisontii die 24 mensis octobris, anno Domini millesimo octingentesimo vigesimo octavo.

LOYE,
Vic. Gen. Capitularis.

VESONTIONE, EX TYPIS MARQUISET.

p. 6

[illegible] UM.

[illegible] ATA.

[illegible] TRINAM;

[illegible] GENERE;

[illegible]

[illegible] M.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. DUCI DE ROHAN,

PARI FRANCIÆ,

ARCHIEPISCOPO BISONTINO DESIGNATO.

Illustrissime et ornatissime Domine,

Vix adeò lætabilis tuî ad Archiepiscopatum bisontinum innotescebat regia nominatio, cùm ardens mihi desiderium ut hoc opus, jam sub prælo, inclyto nomine tuo insigniretur; sed tantam omnigenamque celsitudinem adire pertimebat, donec ipsa indulgeret.

Felicibus ergo tuis nunc prodeat auspiciis libellus, etsi solo argumento non indignus qui tanto Præsuli

offeratur, humilique hoc obsequio unanimia Te sitienter præstolantium vota ad te perveniant. Non ulteriùs protendat divina providentia adventûs tui jam longiorem moram, mœstisque orphanis tam optato patre frui tandem liceat. Quanta inde tot Archipræsulibus illustratæ Ecclesiæ nova illustratio, et ex intactâ ab ævo generis præcelsâ nobilitate, et ex ingenii præstantiâ, ex omnibus denique virtutibus quibus exornari potest Antistes, unâ voce Princeps Ecclesiæ futurus!

Dignetur Deus, viduitatem nostram consolando, aliam ad longam annorum seriem propellere.

Hæc vota quibus totis præcordiis te prosequitur,

Illustrissime et ornatissime Domine,

Humillimus et obsequentissimus servus

J.-B.-T. VERNIER,

Rector sodalitii sacerdotum missionis Bisontinæ.

MONITUM NECESSARIUM.

LECTOR,

PAUCA hîc de meo habes, præter rerum ordinem et dicendi modum. Ordinem, quantùm, vel in minutissimis, servare conatus sim, attentè inspicienti patebit; sed in dicendi modo frustrà lepiditatem quæràs : non enim poteram, *et ornari res ipsa negat, contenta doceri*. Barbaris imò vocibus quibusdam, italicis ideòque exaratis characteribus veniam donare velis. Et conqueri poteris me stylo usum concisiori. Ast primus iste fuit scopus multa dicere paucis, et parcere volumini. Omnia ergò verba eorumque vim perpende, et attende *punctuationi*, nè aut non percipias, aut malè. Aliundè ut rememorareris scripsi potiusquàm ut disceres; ità ut si in theologiæ studio fueris solùm peregrinatus, parùm hoc tibi opusculum profuerit. Imò absit ut longiores tractatus non legas unquàm aut consulas, omninòque removeas breviores in quibus adolescentia tua exercitata est. Etsi enim post multos perlectos variarum nationum auctores, consultosque, ubi opus, grandiores tractatus, hos composuerim, in eisque multa reperturus sis quæ in pluribus aliis frustrà quæreres, annotata tamen omisi multa, succum ferè servans solum; adeò ut non habeas hîc nisi compendium locuples, et, mediante rerum indice, quasi manuale.

Ad notas remisi tùm conclusiones principiorum

remotas, tùm ea de quibus ferè ex æquo disputant, tùm casuum resolutiones, exempla, etc., tùm quæ apud unum aut alterum ex his quos legi, auctorem reperi. Tùnc vel probavi, vel improbavi, vel nihil addidi, quia nec probare, nec improbare poteram nisi aggrediendo discussiones scopo hujus opusculi oppositas; vel quia casus rariores. Ut autem notæ textûs intelligentiam non impediant, hunc in singulis numeris ex integro primùm lege, ut principia statim apprehendas; deindè leges iterùm singula cum suis notis.

Nè dicta iterùm dicantur, aut præveniantur dicenda, intra uncinos [ ] inclusi sunt arithmetici et alphabetici characteres, numeros indicantes et notas, ad quæ recurrendum sæpè ut plena habeatur rei intelligentia vel fusior explanatio.

Numeri inter parentheses ( ) articulos indicant Codicis civilis gallicani.

Dignetur Deus hoc Opusculum ad gloriam suam vertere, et auctori ignoscere errata quæ ipsi in docendo et in longo præsertim exercitio excidissent. Faxit ut et nova hîc non exciderint.

INDEX

TITULORUM, CAPITUM, ETC.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TITULUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

TITULUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PARS I.

DOCTRINA DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PARS II.

PRAXIS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

Notiones generales circa leges.

Notiones generales circa peccata.

PRÆCEPTA DECALOGI ET PECCATA IIS ADVERSANTIA.

PRIMUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

TERTIUM DECALOGI ET QUARTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTA.

QUARTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

Additamenta de magis particularibus aliorum inferiorum et superiorum officiis et peccatis.

QUINTUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

SEXTUM ET NONUM DECALOGI PRÆCEPTA.

SEPTIMUM ET DECIMUM DECALOGI PRÆCEPTA.

Notiones generales de jure et justitia.

FINIS INDICIS.

THEOLOGIA
PRACTICA.

TITULUS I.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.
DE NATURA, NUMERO ET EFFICACIA SACRAMENTORUM.

1. SACRAMENTA novæ legis, de quibus hìc solùm, sunt res sensibus subjectæ, quæ ex institutione Christi, vim habent significandi et producendi gratiam.

2. Sacramenta sunt numero septem, Baptismus, Confirmatio, etc., dignitate, necessitate et effectibus disparia.

3. Sacramenta, in non ponentibus obicem, gratiam ex opere operato, seu virtute sibi à Christo inditâ, producunt,

Majorem quidem vel minorem, pro dispositionibus suscipientium;

Hæcque habitualis est seù sanctificans, in quâ tanquàm jure fundantur gratiæ actuales, quæ sacramentales dicuntur, tempore dandæ opportuno, ad finem cujuslibet sacramenti proprium.

Sacramenta quæ ad primam gratiam producendam primariò instituta sunt, Baptismus nempè et Pœnitentia, mortuorum;

Quæ verò ad secundam, seù augmentum gratiæ, cætera nempè, vivorum sacramenta dicuntur.

Sed sacramenta mortuorum gratiam secundam producunt per accidens, in jam justificatis (*a*):

Et omnia gratias insuper ex *opere operantis*.

(a) Utinàm, vice versâ, dici possit cum plurimis, præsertim ex recentioribus, sacramenta vivorum gratiam primam secundario et per accidens producere; ità ut, v. g., invalidè bonâ fide absolutus, per sacram communionem justificetur. Sed hæc, quamvis nunc ferè communis sententia, nec scripturis, nec traditione, si Extremam Unctionem excipias, sufficienter innititur, ut tanquàm certa tradi, ac proindè sine periculo fidelibus exponi possit.

Attamen sacramenta vivorum venialia remittunt, si non immediatè, saltem impertiendo gratias ad contritionem excitantes.

---

4. Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt indelebilem, undè iterari nequeunt.

---

5. Baptismus malè susceptus, accedentibus dispositionibus, reviviscit (a).

(a) Non pauci contrà multò plures, idem dicunt de Confirmatione, Ordine, Matrimonio et Extremâ Unctione in eâdem ægritudine.

CAPUT II.

DE SERVANDIS GENERALITER IN CONFECTIONE, ADMINISTRATIONE ET SUSCEPTIONE SACRAMENTORUM.

SECTIO I.

De servandis, etc., quæ spectant ad ipsummet opus sacramentale.

Hæc operi sacramentali essentialia sunt, vel solùm accidentalia.

ARTICULUS I.

De servandis, etc., operi sacramentali essentialibus.

6. Operi sacramentali intrinsecè essentialia sunt materia et forma, necnon moralis utriusque unio, naturæ cujusque sacramenti conveniens, de quâ nihil nunc dicendum.

Undè minister qui unum ex his tribus omittit; aut materiâ utitur formâve in essentialibus mutatâ, non conficit sacramentum.

Et si ex culpâ suâ gravi, mortaliter peccat contrà religio-

nem, justitiam et charitatem, sacramentumque ordinariè iterare tenetur, si possibile sit.

Undè itidem mortaliter peccaret qui scienter sineret sacramentum sibi administrari invalidè.

---

7. Porrò materia sacramentalis mutatur in essentialibus quandò non remanet eadem quoad speciem physicam;

Et cùm eadem physicè remanens, altera evadit quoad rationem et nomen (*a*);

Et cùm non remanet apta ad usum effectumve sacramenti significandum;

Et cùm non est benedicta, aut non ab eo cui potestas, si hæc benedictio sit de essentiâ sacramenti;

Tandem cùm corrupta est.

(*a*) Sic massa farinæ et gelu fortè non differunt specie physicâ à pane et aquâ, sed differunt quoad rationem et nomen.
Idem dic de aquâ lutosâ, si itâ lutosa sit un aqua usualis dici non possit.

---

8. Forma verò in essentialibus mutatur quando verba non retinent sensum à Christo intentum, seù eum quem sonant verba à Christo instituta (*a*).

Undè si formæ adderetur vox æquivoca, quæ posset sensum à Christo institutum mutare, valor sacramenti penderet ab intentione ministri vocem hanc legitimè vel in sensu hæretico intelligentis.

(*a*) Potest remanere idem sensus, quamvis non idem sonus. Valet ergo baptismus ab idiotâ sic datus: *Ego te batizo in nomine Patri et Fili et Spiritû Santi.*

---

9. Ergò mortale esset uti materiâ aut formâ dubiâ, cum certa haberi posset; quià sacramentum, sinè causâ, nullitati exponeretur.

Nec etiam id licitum in sacramentis non necessariis necessitate medii, quamvis materia certa haberi nequeat, quià sinè sufficienti causâ sacramentum exponeretur itidem nullitati.

Nec tandem, ob eamdem rationem, in sacramentis necessariis necessitate medii, si non urgeat casus necessitatis.

Sed si urgeat, non solùm licitum sed et præceptum rectâ ratione uti materiâ dubiâ, quia sacramenta propter homines; et satius proindè est illa exponere nullitati quàm homines damnationi (*a*).

Cæterùm sicut iterari debet sacramentum nulliter ministratum, ita, sub conditione, dubiè invalidum.

Sed certò validum iterari nequit, etiam sub conditione, quin graviter peccetur.

Imò illicitum formam bis super eamdem materiam proferre, quia ibi inordinatio est, et ergà sacramentum irreverentia (*b*).

(*a*) Hic meritò notat D. Dens quòd necessitas debeat esse proportionata periculo irreverentiæ ergà sacramentum, et Billuart, quòd si sententia aliqua de materià aut formà sacramenti ità esset probabilior ut foret moraliter certa, communiterque haberetur ut vera, materia aut forma certa censeretur. [89 *b*.]

(*b*) Hæc irreverentia ex se mortalis est, inquiunt P. Gabriel Antoine, Billuart, Dens. A mortali excusandi tamen scrupulosi qui non temerè, sed ne peccent, formam bis repetunt, si non ex consuetudine. Sed à confessariis fortiter reprehendendi et emendandi.

ARTICULUS II.

De servandis operi sacramentali accidentalibus.

10. Adeò accuratè servari debent accidentalia quæ ad materiam formamve pertinent, ut mortalis *ex genere suo* habeatur immutatio in illis; et de facto mortalis sit, si fiat cum periculo errandi in essentialibus,

Vel ex contemptu;

Vel cum gravi scandalo;

Vel tandem cum, attento Ecclesiæ præcepto aut consuetudine, gravis ibi inveniatur deordinatio.

Quæ omnia ex judicio prudentum æstimari debent (*a*).

(*a*) Sic mortale, juxtà plures, uti linguà vulgari in confectione eucharistiæ. Item si latinus consecraret in pane fermentato.

E contrà multi volunt, inquit Billuart, esse solùm veniale baptizare linguà vulgari; vel dicere : *Ego te abluo* pro : *Ego te baptizo*. Sed quomodo hæc fierent sinè contemptu vel gravi scandalo?

11. Eadem cum proportione dicenda de omissione aut immutatione cæremoniarum quæ opus sacrâmentale præcedunt aut sequuntur (*a*).

Quin et contemptui ferè æquivalet gravis aliquorum in illis addiscendis aut observandis incuria.

Nota : Cæremoniarum significationem edocendi fideles,

Et sacramentalia, ut sunt aqua lustralis, panis benedictus, etc.

Tùm modum hæc sacra tractandi;

Tùm gratias quas ex his percipere possunt, remissionem nempè venialium, contritionem de lethalibus, quosdam effectus corporales, etc.

(*a*) V. g., ut mortalem habent communiter omissionem in baptismo solemni, exorcismorum et eorum quæ dicuntur catechismi.

SECTIO II.

De servandis, etc., quæ spectant ad ipsum ministrum sacramentorum.

12. Minister sacramentorum alius ordinarius, qui nempè ordinariâ potestate;

Et alius extraordinarius, qui nonnisi ex Ecclesiæ extraordinariâ deputatione sacramentum conficere potest.

Alius solemnitatis seu ex officio, qui speciali consecratione ad ministerium sacramentorum est deputatus;

Et alius necessitatis, qui non est sic consecratus, sed merè deputatus ob necessitatem.

ARTICULUS I.

De servandis, etc., ad ministrum spectantibus, ut sacramentum validè conficiatur.

13. Docet fides ad validitatem sacramentorum fidem non requiri in ministro, nec probitatem;

Benè verò intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, aut huic æquivalentem.

Hæc autem intentio, quæ non in animi contentione, sed

in simplici voluntate est, actu sanè optanda et prosequenda; sufficit tamen virtualis, ut aiunt, seu quæ semel habita in decursu actionum perseveret, modò

Directa sit;

Cadat in objectum determinatum,

Præcedat omnia verba formæ essentialia;

Per contrariam prævalentem aut æquivalentem non destruatur;

Et agens sit suî compos, non amens ergò tunc, non dormiens, non ebrius (*a*).

Nota : Peccat (*b*) equidem minister voluntariè distractus; sed hoc non obstat sacramenti validitati.

(*a*) Sciant scrupulosi se sufficientem habere intentionem, eo ipso quòd interrogati quid intendant facere, respondere possunt : *Sacramentum, baptizare*, etc.

Mitto distinctionem intentionis internæ et externæ, quia theologi qui volunt intentionem externam sufficere, internam habent eo ipso quòd sacramentum conficere intendunt.

(*b*) Venialiter, inquit Billuart, nisi ex contemptu aut cum periculo errandi in essentialibus. Adderem : vel nisi per notabile tempus distrahatur voluntariè in precibus quæ sub gravi præciperentur, aut fortè quæ, quatenùs preces, forma forent. [774, *b*]

---

14. Conditio de futuro effectûs sacramenti suspensiva, si fortè in matrimonio excipias, illud redderet nullum.

Non item conditio de præterito vel præsenti.

Ast non licet pro libito conditiones sacramentorum confectioni apponere, quamvis solùm subintelligerentur; sed tantummodò ex rationabili causâ, et secundùm Ecclesiæ praxim, ut passim videbitur.

A fortiori vetitum, et semper sub mortali, sacramenti confectionem, administrationem, susceptionemve, quâcumque ex causâ, simulare.

---

15. Exceptâ eucharistiâ (quæ tamen sine fructu esset et profanaretur), sacramentum invalidè conferretur subjecto absolutè incapaci, aut adulto renitenti, imò sufficientem non habenti voluntatem illud recipiendi.

ARTICULUS II.

De servandis, etc., ad ministrum spectantibus, ut licitè sacramenta conficiat aut ministret.

Alia hîc observanda habet minister ergà seipsum, et alia ergà subjectum.

§ I.

16. Præter jurisdictionem ordinariam aut delegatam, scientiamque et prudentiam sacramento congruentes, etc. [92] (quæ omnia sub mortali ex genere suo requiruntur), minister saltem ex officio (*a*) debet esse in statu gratiæ, alioquin sacrilegium mortale perpetraret, nisi, citrà culpam gravem, ignoraret se esse in lethali, aut ex nimiâ perturbatione ad id non reflecteret, vel non suppeteret ipsi tempus actum saltem contritionis eliciendi, quod rarissimum, cùm actus hic instantaneus esse possit.

Quæ extendenda videntur ad eum qui simpliciter confessionem audit, non intendens absolvere, quia jàm incipit sacramentum.

Et ad eum qui eucharistiam ex officio immediatè tangit (*b*).

Et probabiliùs ad episcopum chrisma conficientem aut S.-Oleum benedicentem.

Et tandem ad diaconum ordinem suum ex officio exercentem (*c*).

Quoad sacramentalia, benedictionem nempè aquæ lustralis, panis, fructuum, etc., per se loquendo mortale non est ea facere in statu peccati.

(*a*) Aliter, post D. Thomam sentiunt communiùs et probabiliùs de laico, imò et de sacerdote in casu necessitatis baptizante, quia nec laicus tum, nec sacerdos agit ut persona ad hoc consecratione speciali deputata.

Secùs, si sacerdos sacramentum aliud ex necessitate administret.

Consultò tamen et laicus et à fortiori sacerdos actum contritionis tunc eliciant. Imò moneantur obstetrices ut, ad illum eliciendum, momentum necessitatis præveniant.

(*b*) Alii contrà alios idem dicunt de eo qui eucharistiam non tangens immediatè, eam defert in processionibus, cum eâ populo benedicit, aut eam ex officio transfert de loco in locum.

Et idem dicunt quidam contrà plures de sacerdote qui concionem habet ad populum, aut correctionem facit ex officio, quia simulat. D. Thomas non dicit quale peccatum committat. Certè magis peccaret, si esset peccator publicus.

(c) Dubitant de subdiacono. Sed fatentur omnes minoribus initiatum peccare solùm tunc venialiter.

Ast minister in mortali existens et contritus, teneturne, si possit, confiteri antè administrationem sacramenti? graves autores affirmant. Sed numerosiores esse videntur qui negant, multòque probabilior speculativè apparet eorum sententia. Lex enim Tridentina quæ sacerdotem mortalis reum ad confessionem obligat antè missæ celebrationem, non videtur eum respicere nisi quatenùs eucharistiam recepturum in missâ, non verò quatenùs eam confecturum aut sibi ministraturum.

Ritualia Pauli V et vetus Bisuntinum dicunt convenire ut sacerdos in mortali existens, quamvis contritus, confiteatur. Subsequens Bisuntinum ait eum teneri, et in praxi hoc eò tutiùs tenendum, quòd talis sit usus saltem timoratorum, quòd sæpissimè quis sibi immeritò appareret sufficienter contritus, et quòd non omni probabilitate careat hæc sententiæ affirmantis ratio fundamentalis, nempè sacramentum pœnitentiæ esse medium ordinarium recuperandæ gratiæ. Attamen scrupulosi qui Deum amant toto corde, possent ex gravitate momentorum sententiæ negantis juvari ad formandam suam conscientiam, ut non semper confessarium adeant antè sacramentorum administrationem. Tam enim gravia sunt hæc momenta, ut hi scrupulosi tutâ conscientiâ in praxi illis inniti posse videantur.

Nota : inutiliter hìc discuteretur an tria, an unum tribus æquivalens sacrilegium faciat sacerdos in mortali celebrans; an tot sacrilegia quot personæ quibus eucharistiam uno tractu distribuit, aut unum solùm, sed eò gravius quò longius est sacrum convivium, cùm hæ circumstantiæ æquè debeant in confessione declarari.

§ II.

17. Pastores ex justitiâ, et sæpè alii sacerdotes ex charitate, sacramenta ritè dispositis et ea rationabiliter petentibus conferre graviter obligantur,

Etiam cum periculo vitæ, si hìc et nunc necessaria sint necessitate medii.

Non fugiant ergò pastores tempore pestis, nisi per alios sacramenta ministrare possint; quia grassante peste adest extrema respectu communitatis necessitas.

Imò viaticum, et in ejus defectum, extremam-unctionem ministrent (a); nisi omnium confessiones audire nequeant, vel nisi, in casu in quo ipsi occumbant, populus remansurus sit sine pastore.

(a) Sub gravi, inquiunt plures; excepto casu particulari in quo parva cognosceretur pro infirmo utilitas, et magnum pro pastore periculum.

18. Iidem quâcumque diei aut noctis horâ vocati nullam, præsertim si urgeat necessitas, moram interponant, subditosque sæpè moneant ut in periculo statim advocent, nullâ habitâ temporis incommodi ratione.

Invigilent ut nullus diutiùs quàm par est, sacramenta differat.

Gratis ea conferant, nisi quid eleemosynæ nomine aut devotionis studio, pro locorum consuetudine, spontè, sacramento peracto, offeratur.

Instruant de sacramento ministrando, si suscipiens scitu necessaria erga illud nesciat, adhortatiunculamque, si commodè, faciant.

---

19. Jure ecclesiastico, sacramenta administrari non debent fidelibus alienæ parochiæ, nisi in casu necessitatis, vel de consensu parochi, aut nisi sic ferat usus.

Jure verò divino, denegari debent peccatoribus publicis publicitate juris, quandiù hæc publicitas durat, nec pœnitentiâ crimen deletum est.

Et peccatoribus publicis publicitate facti tantâ ut crimen nullâ ampliùs possit tergiversatione celari.

Sed casus vix occurrit in quo non foret anteà consulendus episcopus, si per tempus liceret.

Nisi tamen tanta esset notorietas ut meritò populi scandalum aut fortè tumultus timeretur, si sacramenta non denegarentur (*a*).

Sed si peccator occultè sacramenta petat, ipsi deneganda sivè occultus sit, sivè publicus, quia nulla illi timenda tunc infamia.

Excipe confessionem, ad quam omnes peccatores per se loquendo sunt admittendi, et matrimonium cum concubinâ, præmissâ tamen ordinariè separatione.

Cæterùm, ad sacramentum conferendum, major vel minor, pro ejus naturâ, requiritur dispositionum subjecti notitia (*b*).

(*a*) V. g., si deferenda esset eucharistia concubino qui concubinam non ejecisset.

(*b*) Sic major pro pœnitentiâ quàm pro ordine matrimoniove; et major

pro istis quàm pro aliis, v. g., eucharistiâ, dispositionum notitia requiritur. Imò eucharistia petentibus ordinariè datur, quia præsumuntur digni.

Verùm episcopi litteras testimoniales ordinariè exigunt pro confirmatione, si pastor ipse non offerat confirmandum; et pro baptismo adultis conferendo magna sæpè cautio adhibenda.

SECTIO III.

De servandis, etc., à subjecto sacramentorum.

Alia ergà ministrum et alia ergà seipsum habet observanda.

§ I.

20. A ministro non tolerato sacramenta recipere sub gravi prohibetur, excepto casu necessitatis quoàd baptismum, pœnitentiam, et in hujus defectu, extremam-unctionem (*a*).

Modò tamen absit periculum seductionis aut gravis scandali; tunc enim elicito, pro posse, actu contritionis, in spe emigrandum è vitâ.

Si autem minister malus sit toleratus, vel est pastor proprius, vel est alienus.

Si sit pastor proprius, sacramenta peti possunt ab eo et recipi, si adsit causa rationabilis (*b*), qualis videtur esse major, imò simplex spiritualis utilitas.

Sed si non sit pastor proprius, causa major requiritur (*c*); quia vetat charitas cooperari ejus peccato (*d*).

Non tamen facilè minister ut malus habendus est, aut nondùm cum Deo reconciliatus.

(*a*) Vel etiam quoàd viaticum in defectu pœnitentiæ et extremæ unctionis, inquiunt theologi qui volunt eucharistiam secundariò et per accidens justificare.

(*b*) Nisi apertè reniteretur judicio ecclesiæ in materiâ fidei [47 *a*.] Tunc enim requiritur gravissima necessitas ut ab eo sacramenta recipi possint. Scandalum daretur. *P. Gab. Ant.*

(*c*) Qualis necessitas adimplendi præcepti confessionis annuæ, communicandi in paschate. Addit Billuart : qualis etiam occasio lucrandi jubilæum aut indulgentiam in locis ubi rara est, cùm grave esset incommodum confitendi alteri etiam præsenti.

(*d*) Excipiunt plures, si jam sit expositus, v. g., jam sedeat in tribunali, vel actu eucharistiam ministret. Tunc saltem minùs læderetur charitas.

§ II.

21. PRÆTER intentionem actualem aut virtualem, vel saltem, pro naturâ sacramenti, habitualem (*a*), quæ ad validitatem sacramenti necessaria est, subjectum debet habere alias dispositiones infrà pro singulis sacramentis enumerandas [15.]

Hìc solùm annotabimus eadem dicenda videri de confessione antè sacramentorum susceptionem, si eucharistiam excipias, ac antè eorum administrationem [16, *c*]; cum hâc differentiâ forsan quòd usus et consuetudo magis adhùc pro confessione antè receptionem quàm antè administrationem sacramentorum militent, faciliùsque ex eâ omissâ scandalum oriretur (*b*).

(*a*) Interpretativam aliquandò sufficere posse videtur ex eò quod extrema-unctio detur ei qui post adeptum rationis usum amens factus est.

(*b*) De facto, quis antè confirmationis, ordinis et matrimonii susceptionem non confiteretur sine scandalo ? Et pastores confessionem tunc exigunt. Possent insuper existere circà hoc disciplinæ punctum leges particulares. Istud aliquatenùs supponere videtur Rituale Bisuntinum, dicendo de confirmandis : *Debent esse confessi ut illud* (sacramentum confirmationis) *dignè suscipiant :* et de matrimonio jungendis ; *Aget parochus omni cohortatione cum sponsis ut ad matrimonii celebrationem non accedant priusquàm peccata diligenter confessi, sacram communionem susceperint.* Practicè ergo tenenda sententia affirmans.

TITULUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPUT I.

DE NATURA, NECESSITATE ET EFFECTIBUS BAPTISMI.

§ I.

22. Baptismus, cæterorum sacramentorum janua, est sacramentum in remissionem peccati originalis et actualium, si quæ sint antè commissa.

Baptismus propriè dictus fluminis dicitur, quia in aquâ datur.

Sed sunt duo alii, flaminis nempè et sanguinis, qui illius vices supplent in necessitate quoad justificationis et adoptionis gratiam, non quoad rationem sacramenti et characterem.

Baptismus flaminis, qui est actus charitatis, et contritionis perfectæ in iis qui actualiter peccaverunt, necessariò adjunctum habere debet votum sacramenti suscipiendi,

Explicitum quidem probabiliùs in iis qui baptisma noscunt, et de eo cogitant,

Implicitum verò in iis qui baptismi suscipiendi legem ignorant aut sciunt equidem: sed qui invalidè baptizati se baptizatos reputant.

Idem dic de baptismo sanguinis, quod est martyrium verum et propriè dictum, seu ob fidem aliamve virtutem cum dolore de peccatis supernaturali toleratum ex voluntate moriendi pro Christo ob motivum supernaturale (*a*).

(*a*) Hic agitur de adultis; nam ecclesia honorat infantes ab Herode occisos. Imò meritò putant salvari infantes qui ob Christum cum matre occiduntur in utero.

Ast martyrium justificatne ex opere operato? sufficitne in martyribus attritio? disputant.

23. Remota baptismi materia est aqua quævis naturalis et usualis.

In necessitate tamen adhibenda esset, sub conditione, alia aqua, ex herbis, v. g. aut ligno stillata. Sed non vinum, nec aliud quodvis liquidum quod aqua dici non posset ullatenùs.

Pro baptismo saltem solemni, aqua debet, ex præcepto Ecclesiæ, esse benedicta cum permixtione chrismatis (*a*).

Proxima autem materia est ablutio de præcepto trina quidem, si per tempus liceat;

Quæ, quoquo modo (juxta usitatum tamen ritum ad licitatem) adhibeatur, sive per infusionem, sive per immersionem, sive per aspersionem, talis necessariò sit ut persona dici possit lavata.

Contactus aquæ ad baptizandi corpus sit ergò realis, immediatus, ac per modum fluxûs continuus in parte corporis præcipuâ (*b*).

Insuper persona abluens eadem sit quæ verba profert.

Et eodem tempore quo verba proferuntur, fiat ablutio (*c*).

Forma verò apud nos sunt verba hæc : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.* Apud Græcos : *Baptizetur, etc.*

Sed quæcumque, juxtà ritum propriæ Ecclesiæ sequendum, forma adhibeatur, necesse est ad validitatem baptismi ut actionem ministri personamque baptizandi indicet, et unitatem naturæ divinæ cum explicitâ, sub distinctis nominibus, trium SS. Trinitatis personarum invocatione contineat (*d*).

(*a*) Præceptum illud graviter obligat, juxtà plures. Imò non desunt qui ut mortale habent non uti aquâ eodem anno benedictâ. Quæ extendunt aliqui ad baptismum privatim à sacerdote datum.

Rituale Bisuntinum simpliciter annotat convenire in casu necessitatis adhibere aquam benedictam. Sed verbum *convenire* ambiguum est. Consultiùs, adminus, si tempus permittat, aqua baptisterii aquæ simpliciter benedictæ præferatur.

Nota. Juxtà chimiæ peritos aqua per se corrumpi nequit, sed solùm per admixtionem materiarum heterogenearum, herbarum, carnium, etc. Sed et hoc supposito, non fiderem, si aqua corrupta appareat, quamvis nullæ factæ

putentur tales admixtiones; potuerunt enim fieri per multiplicationem animalculorum insensibilium.

(*b*) In capite et quidem necessariò, juxtà aliquos. Undè plùs minùsve dubium est baptisma in aliam corporis partem. Parùm dubium si in pectus; magis si in aliam partem corporis etsi notabilem; valdè, si in manum aut pedem, aut in secundinas, aut in capillos solos. Igitur monendæ obstetrices ut cùm baptizant in utero, avellant, si possint, secundinas (*l'arrière-faix, membrane qui enveloppe l'enfant*); et cùm baptizantur infantes qui, ut sæpè, capillos habent jam densos, hi capilli digitis separandi, aut forciculis secandi; imò, ut omnis absit scrupulus, curandum insuper ut aqua fluat super frontem.

(*c*) Si enim ablutio verba, aut verba ablutionem præcedant, invalidum aut saltem dubium esset baptisma, quia formæ verba indicant actualem, non præteritam, aut futuram ablutionem. Et idem dicendum de aliis sacramentis quorum formæ actualem indicant ministri actionem.

(*d*) Multis dubia videtur forma in quâ verbum *in*, vel *nomine* omittitur. Item si verba *in nomine* ter repetantur, nempè antè uniuscujusque personæ SS. Trinitatis designationem.

Juxtà aliquos omittens *Ego* venialiter; omittens verò *in* vel *et* mortaliter peccat. Certè saltem hæc omitti nequeunt scienter sine contemptu.

§ II.

24. Ab evangelii promulgatione, baptismus in re vel in voto est ad salutem necessarius necessitate medii.

Et adultis necessarius insuper necessitate præcepti graviter obligantis.

§ III.

25. Baptismus reatum tollit et pœnam omnem peccato debitam.

Characterem imprimit indelebilem.

Dona confert ac virtutes quæ gratiam sanctificantem semper comitantur.

Baptizatum constituit membrum Ecclesiæ et istius potestati subdit.

Jus dat ad alia sacramenta et cætera bona Ecclesiæ communia.

Membrum efficit Christi, templum Spiritûs sancti, filium Dei et Ecclesiæ, importatque proin obligationem præcepta eorum omnia servandi.

Sæpè renovanda baptismi vota.

CAPUT II.

DE MINISTRO BAPTISMI.

26. Omnis homo rationis compos, validè; et, in casu necessitatis, licitè baptizare potest et debet.

Sed fideli cedat infidelis, non excommunicato excommunicatus, viro mulier (nisi decentia aliter postulet), clerico laicus, et clerico superiori clericus inferior. Ordinis enim inversiò peccatum mortale esset ex genere suo (*a*), si fieret sine justâ causâ, qualis, v. g., major in inferiore quàm in superiore baptizandi peritia.

Hinc, generaliter loquendo, scire debent omnes baptismi ritum, et sub mortali obstetrices. Hæc curâ parochorum.

Extrà casum verò necessitatis solus episcopus et, ut ab ipso pendens, parochus aliusve sacerdos ab ipsis delegatus licitè baptizare potest (*b*).

(*a*) Ut mortalis habetur hìc ordinis inversio, si præsente sacerdote vel diacono clericus et à fortiori laicus præsumat baptizare; vel si infidelis fideli, aut excommunicatus non excommunicato præferatur. Sed extrà hos casus ordinis inversio non est nisi venialis. *Varii.*

Nota. Quandò ob decentiam sacerdos cedit mulieri, non stet à longè, ut audire possit an forma ritè proferatur.

(*b*) Mortaliter peccaret sacerdos alienus qui sine parochi licentiâ nullatenùs prudenter præsumptâ baptizaret. *Dens.*

Quidam volunt diaconum esse etiam ordinarium baptismi ministrum, cùm ipsi dicatur in ordinatione : *Diaconum oportet baptizare.* Quidquid sit, obstat hodierna consuetudo ne baptizet solemniter nisi in gravi necessitate, ex delegatione parochi, et obtento, si possibile sit, Episcopi consensu, aliter irregularitatem probabiliùs incurreret.

CAPUT III.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Baptizandus est vel parvulus, vel adultus.

SECTIO I.

De parvulis baptizandis.

27. Tenentur parentes sub pœnâ peccati ex genere suo mortalis (a) parvulis quàmprimùm de baptismo providere, tum ob mortis periculum, tum ex consuetudine vim legis habente.

Infantes etiam plurium annorum à vagis derelicti, et infantes expositi, quamvis schedulam baptismi ferentes, si non constet aliundè de eorum baptismo, sunt sub conditione baptizandi.

(a) Baptismi dilationem absque justâ causâ ut mortalem habent, alii si ultrà quatuor dies, alii si ultrà sex, et plures si ultrà octo protendatur.

28. Sed infantes infidelium qui non sunt despoticè aut serviliter christianis principibus subjecti, non debent invitis parentibus baptizari; quia cùm vetet jus naturæ ne eorum potestati subtrahantur, manifesto exponerentur apostasiæ periculo.

Excipe 1° si ità sint, sive per fas, sive per nefas à parentum custodiâ abstracti, ut nulla sit pro ipsis spes reditûs.

2°. Si infans, jam rationis compos, postulet ipse baptisma. Sed tum foret à parentum potestate eruendus.

3°. Si parentes fuerint baptizati et facti sint apostatæ.

Et idem dic de hæreticorum filiis.

4°. Si unus parentum consentiat, nisi tamen ab altero imminere pro infante periculum seductionis prævideatur, et potestati ejus subtrahi non possit.

5°. Si infans futurus sit perpetuò amens. Tutò enim tunc baptizantur et adulti.

6°. Si sit in periculo mortis saltem evidenti (a), modò sine vi baptizari possit.

7°. Si sit à parentibus projectus aut derelictus (b).

(a) Non omnes ità sentiunt. Sed praxis est Missionariorum, quam probat Benedictus XIV.

Imò non desunt qui baptizari posse autumant, insciis parentibus, quoscumque infidelium infantes, quia, inquiunt, seductionis periculum compensatur spe mortis maturæ.

Si id factum fuerit, ii infantes, rationis facti compotes, forent, secluso religionis periculo, à parentibus abstrahendi, ut in fide erudirentur.

(b) Plures, contrà D. Thomam et alios, excipiunt adhuc alium casum; si nempè princeps, cujus potestati merè civili subjicerentur infideles, juberet eorum infantes baptizari.

29. Monstrum speciem humanam omninò ferens, quamvis informem, est absolutè baptizandum;

Sub conditione verò, *si tu es homo*, si eam ferat aliquatenùs;

Sed si nullatenùs non baptizandum (a).

In his casibus consulendi periti, si fieri possit imò episcopus.

Si infans speciem ferens humanam duo habeat capita et duo pectora, utrumque caput seorsim cum formâ baptismi abluendum; vel si periculum immineat, utrumque cum formâ in numero plurali.

Si duo capita et duo pectora non benè distincta appareant, caput magis apparens tingendum est absolutè, et alterum sub conditione.

Item si duo sint capita et unum pectus.

Sed si sint duo pectora sub uno capite, unum sufficere videtur baptisma (b).

(a) Sic Ritualia. Ast contrà sentiunt nunc plures, quia fortè sub tegumento ferino homo includitur, quod foret ad minùs examinandum, aliundè doctores in arte medicâ Dinouart, Save, etc., dicunt hominem statim à conceptione animâ donari, et posse fieri ut matris imaginatio det fœtui jam animato speciem ferinam, quin anima exeat. Baptizarem tunc sub conditione.

(b) Attamen tutiùs volunt quidam baptizandum esse bis in duobus pectoribus, vel potius primò baptizandum absolutè caput cum pectore magis apparente, et dein aliud pectus sub conditione.

30. In mortis periculo baptizandus est in capite infans qui

caput emittat [13, b]; abstractis secundinis (*l'arrière-faix*) si caput involvant; et si vivus evaserit infans non erit denuò batipzandus (*a*).

Si manum solùm aut pedem emittat, in illis etiam, saltem sub conditione baptizandus, si adsit motus vitalis vel dubius.

Sed si post hoc vivus nascatur, aut etiam solùm caput emittat, perseverante periculo, iterùm sub conditione baptizandus erit.

Idem dic si in secundinis baptizatus esset, quià non est certum secundinas esse unum cum corpore, imò contrarium verisimilius est.

Ast nemo in utero clausus baptizari debet (*b*).

(*a*) Ità ferè omnes post Rituale Romanum. Quidam tamen, et fortè non imprudenter, iterùm sub conditione baptizarent, quia infans non erat totaliter natus, et renatus consequenter certò dici nequiret.

(*b*) Ità adhuc Ritualia, omnes ferè antiqui et ex recentioribus plures. Ast contraria opinio est nunc communis, et forsan communissima. In eam inclinat Benedictus XIV, synodi diœcesanæ, lib. 7, cap. 5, ubi ait praxim in utero baptizandi sub conditione esse à parochis obstetricibus suggerendam.

Et verò quamvis, ut volunt antiqui, infans nondum natus ex muliere, renasci dici nequeat, tamen jam in muliere natus est, imò jam tendit egredi, et quamvis secundinis involvatur, non certum est quòd secundinæ non sint pars illius corpusculi, ac proindè satis dubii est ut baptizetur.

Spongià, syringhià aut alio instrumento utitur baptizans abstrahendo, si possibile sit, secundinas. Aqua sit parùm calida, ne noceat matri.

Nota. Probabiliùs ignorabant antiqui aquam posse ad infantem pertingere.

---

31. Si mulier, quæ scit se concepisse, aut de hoc dubium habet, fœtum emittat quamvis tenuem, ut sæpè evenit in primis graviditatis mensibus; præsertim quandò incautæ sunt prægnantes, baptizandus est sub conditionibus *si tu es homo, si tu es vivus*, abstractis priùs secundinis, si quibusdam involvatur (*a*).

(*a*) Primùm in secundinis baptizandus, ne aere suffocetur; dein iterùm sub conditione, secundinis abstractis.

32. Si prægnans moriatur, et non certò constet de morte infantis, ori mortuæ tubus immittendus est, vel os tenendum apertum, et uteri regio pannis fovenda ad ignem cale-

factis. Dein venter cautè aperiendus, ne lædatur infans; hic demùm extrahendus et baptizandus, sub conditione quidem, si non appareat vivus, nec de morte ipsius omninò constet.

Itidem baptizandus infans partu prodiens ordinario, si dubium sit an vivat (*a*).

(*a*) Nullum, aiunt, signum certum mortis infantis nisi putrefactio.

Quoad matrem, non potest scindi, nisi mors ejus moraliter certa sit, ne interficiatur, et cavendum ne spasmus aut suffocatio pro morte habeatur [352, *b*]. Signa mortis sunt, inquit dominus Dens, rigor et inflexibilitas membrorum, quæ posita in certo situ, non ampliùs in præcedentem se restituunt, nisi fortè lentè et nunquàm totaliter. Item si oculi omninò flavescant. Sed in his medici meliores sunt judices, si habeantur.

Resolves: si prægnans in mortis periculo versetur, quisquis sit graviditatis mensis, tenetur ipsa et in ejus defectum propinqui, vel quivis alius, de hoc monere parochum vel alium, qui de operatione curabit, etiam reluctantibus marito et propinquis.

Et cùm confessarius confitentem audit puellam infirmantem, si fornicationem detegat, interroget eam nùm sit gravida; et si ità, non absolvat nisi hoc extrà confessionem ipsi vel alteri discreto aperuerit.

Extracto uno infante, videndum nùm non sit secundus in utero.

Nota. Infans potest vivere in utero mortuæ pluribus horis, imò plusquàm unâ die, aiunt.

---

33. Infans domi, ob periculum, ab obstetrice aut alio laico baptizatus, sub conditione iterùm baptizandus est, si non constet de validitate baptismi prioris (*a*).

Aliter verò fas non est illum iterùm baptizare, sed solùm supplendæ ceremoniæ.

(*a*) Omnia ferè Ritualia, omnes theologi inquirendum dicunt de modo quo datus est baptismus; et si moralis habeatur certitudo eum fuisse validè collatum, lethale reputant eum iterare, etiam sub conditione quæ tunc vana est. Imò plurimi, post Sotum, quos Benedictus XIV (de synodo diœcesanâ, libro 7 cap. 6) approbare videtur, censent irregularitatem incurri tunc à rebaptizante [676, *b*].

Ast quid requiritur ut habeatur hæc certitudo moralis? Alii obstetrici, vel laico qui baptizavit, fidem dicunt adhibendam, si ritum benè calleat. Alii testem oculatum gravem et omni fide dignum; alii duos, et sanctus Salesius duos aut tres insuper requirunt. Sylvius et Billuart obstetrici fidem omnem recusant. Pastorale Mechliniense generaliter dicere videtur baptizandum sub conditione ab obstetrice tinctum. D. Gallois, vicarius generalis Bisuntinæ diœcesis, qui longo tempore Romæ degerat, aiebat talem esse Romæ praxim in Ecclesiâ sancti Ludovici.

Observare sufficiat quòd si circà ritum benè servatum inquisitio utiliter fieri possit, sit facienda; nec iterandum baptisma si de ejus valore nullum aut non nisi spernendum dubium supersit. At rarò, et forsan rarissimè inqui-

sitio non dico scrupulum, sed omnem fundatam anxietatem amovebit; quia baptisma, quamvis brevi tempore perficiatur, multa tamen includit essentialia ad quæ singula forsan non fuerunt attenti testes, qui ordinariè non aspiciunt tanquàm testes et aliquandò, æquè ac obstetrix, turbatione agitantur.

Steyaert, post relatam praxim Mechliniensem, damnare non audet sacerdotem qui in dubio valdè tenui de validitate baptismi, ex docilitate ergà diœcesis suæ disciplinam, post obstetricem sub conditione baptizat; quin insontem habet eum.

Hanc praxim ex integro ferè edocent in diœcesi Bisuntinâ, et jam antè rerum Galliæ conversionem docebant, contrà hujus diœcesis Ritualis præscriptum.

SECTIO II.

De adultis baptizandis.

34. Adulti, ut licitè et cum fructu baptismum suscipiant, debent habere fidem, contritionem saltem imperfectam de peccatis actualibus, spem justificationis et vitæ æternæ, amorem Dei saltem inchoatum, et propositum mandata servandi.

Priùs ergo edoceantur scitu ad salutem necessaria, probentur, ac vacent bonis operibus aliquandiù.

Imò convenit ad pascha aut pentecosten eorum baptisma differri, ni benè dispositi ægrè ferant, aut aliud obstet.

De exteris inquirendum insuper an non jàm baptizati sint; et si dubium supersit, sub conditione baptizandi (a)

(a) Si inter catholicos nati sint, quamvis nullum præbere possint baptismi sui instrumentum, præsumi debent baptizati, inquiunt passim auctores. Ast, nonnè in pluribus casibus fieri debet huic regulæ exceptio? Quandò nempè tempore turbationum, præsertim religiosarum, natus est is de quo dubitatur an baptizatus sit.

Quòad hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, post factam diligentem inquisitionem de validitate eorum baptismi, perseverante dubio, sunt sub conditione baptizandi. Sed consulatur episcopus.

Aiunt invalidè passim baptizare ministellos hæreticorum, sive quia non adhibent semper aquam naturalem, sive, quia, ministro proferente verba, ludi magister tingit. Quapropter in diœcesi Bisuntinâ, viciniâ regionibus hæreticorum, ordinariè sub conditione baptizantur hæretici redeuntes.

Quoties de baptizandi modo in Helvetiâ ab hæreticis usitato inquisivi, reperi illos ritè baptizare. Equidem aliquandò in palmas ministelli super caput infantis expansas ludi magister aquam infundit; sed ministellus, formam pronuntiando manus aperit, et aqua decidit, quod sufficit.

Nota. Quandò sub conditione baptizandus est adultus, debet, si peccavit,

priùs sub conditione absolvi, inquit D. Dens. Ast videtur priùs baptizandus sub conditione, quia si jam validè baptizatus sit, baptisma posterius nihil operatur, nec profanatur. Si autem nondùm sit baptizatus, aut non validè, posterius baptisma omnia peccata remittit, et tunc absolvetur sub conditione: *Si jàm eras baptizatus*. Attamen multùm convenit ut primò audiatur ejus confessio non sacramentaliter, ut ad baptismum meliùs disponatur in casu in quo nondùm esset baptizatus, et post baptismum, repetitâ in globo sacramentali ejus confessione, absolvetur sub conditione, ut supra.

---

35. Furiosi et amentes sine ullo à nativitate intervallo, sicut infantes baptizandi sunt.

Sed si lucida habeant intervalla, in illis baptizandi; vel etiam, urgente necessitate, durante amentiâ, modò in lucidis intervallis voluntatem, deinceps non retractatam, baptismi suscipiendi ostenderint saltem implicitam, qualis in professione vitæ christianæ reperitur.

Baptizandi à fortiori, sed non inviti, quasi amentes, qui tales semper fuerunt; et surdi mutique à nativitate.

Sed anteà edocendi (isti quidem per signa), mysteria fidei, sacramentique virtutem (*a*).

(*a*) Quamvis surdos ac mutos à nativitate præcipua fidei mysteria scire nullatenùs appareret, censent quidam eos esse baptizandos, si quoquo modo baptismi desiderium manifestaverint.

Quoad quasi amentes, si nullatenùs edoceri queant, ut infantes habendi videntur. In his casibus consulendus episcopus.

CAPUT IV.

DE QUIBUSDAM BAPTISMI MAJORIS MOMENTI ACCESSORIIS.

36. Illicite baptismus solemnis administraretur sine patrino, si idoneus haberi possit.

Sed unus vel una, aut ad summum duo admittantur, qui nec pater nec mater sint baptizandi, non infideles, non hæretici, non publicè excommunicati aut interdicti, non publicè criminosi aut infames, nec qui sanâ mente non sint, vel rudimenta fidei ignorent, nec, nisi in necessitate, monachi aut moniales (*a*).

Convenit patrinos esse puberes, et sacramento confirmationis consignatos, quia tenentur sub pœnâ peccati ex genere suo gravis, filiolos instruere de necessariis ad salutem,

saltem si desit pia parentum educatio; pro eis deprecari, et curare ut christianè vivant (*b*).

Et hinc conclude filiolos patrinis debere reverentiam, amorem et obedientiam ipsorum officiis relativam.

Nota. Si quis patrini munus per procuratorem suscipiat, utriusque nomina in registro inscribenda sunt, designando quis susceptor, quis procurator fuerit.

Nota iterùm monendos parentes ut in patrinorum defectu ad pietatem et bonam indolem attendant magis quàm ad commoda temporalia;

Et patrinos de obligationibus et cognatione spirituali quas contrahunt.

(*a*) Nec in diœcesi Bisuntinâ sacris initiati, nisi consanguinei sint ad tertium saltem gradum. *Statutum anni* 1676.

In eâdem diœcesi, per statutum anni 1604, vetitum est imponere baptizandis nomina paganorum vel judæorum.

(*b*) Censent plures patrinorum officia ergà filiolos cessare, cùm isti sufficienter informati sunt ad vitam christianam : ast juxta Collet, debetur semper filiolis specialis correctio.

---

37. Exceptâ necessitate, nemo baptizandus extrà Ecclesiam in quâ sunt fontes baptismales; nisi fortè regum aut magnorum principum filii, id illis poscentibus.

Dummodò tamen in illorum capellis, et cum aquâ baptismali (*a*).

Nec unquàm, nisi gravissimâ de causâ, et ex Episcopi licentiâ, cæremonias solemnes à baptismo etiam domi collato separare licet.

Quòd si, imminente mortis periculo, factum sit, infans, si supervivat, quàmprimùm moraliter ad Ecclesiam deferendus ad illas supplendas.

Fontes in vigiliis paschæ et pentecostes benedicantur clavique clausi sint semper [23].

Item olea sacra.

Baptismi cæremonias vide in Rituali [11].

(*a*) Ita Clementina unica de baptismo, cujus verba videntur D. Dens gravem indicare obligationem. Hæc sunt : *qui autem secùs præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per episcopum suum castigetur, ut alii similia attentare non præsumant.*

TITULUS III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

38. CONFIRMATIO est sacramentum quo baptizatis Spiritus sanctus datur ad robur, seu ad fidem Christi strenuè et constanter confitendam.

Hujus sacramenti materia est, inquit Florentinum, consignatio facta cum chrismate in fronte baptizati (*a*).

Forma verò apud latinos : Signo te, etc.

(*a*) Multi primam manuum impositionem ut essentialem habent, pauci ultimam [785, *b*].
Item multi oleum sine balsamo dicunt ad valorem sacramenti sufficere.
Alii contra alios requirunt ut oleum sit ab episcopo benedictum.
Unctio fieri debet in fronte per modum crucis probabiliùs.

39. Præcepto divino et Ecclesiastico (*a*) necessaria est confirmatio.

(*a*) Ità communiter contra plures Thomistas quibus prævisse videtur D. Thomas. Ast illa præcepta obligantne sub mortali? Affirmant graves Theologi; multò plures negant probabiliùs, sed observandum censere multos à mortali, ob præsumptum contemptum non excusari eum qui negligit notabiliter, cùm facilè posset, sacramentum hoc recipere; v. g. si præsens esset, episcopo confirmante, et nihil aliundè obstet quin sacramentum recipiat. Magis peccaret qui sine confirmatione tonsuram, etc. reciperet, ob præceptum Tridentinum. Insuper obligatio sacramentum illud recipiendi gravis esse potest per accidens.

40. Ordinarius confirmationis minister solus est episcopus.
Extraordinarius verò, ex delegatione S. Pontificis, simplex sacerdos.

41. Subjectum est jàm baptizatus, etiam perpetuò amens, aut in amentiam lapsus, si constet de ejus sufficienti voluntate sacramentum illud recipiendi (*a*).

(*a*) Non sine aliquâ necessitate confirmatio danda est infantibus. Imo convenienter post primam communionem differtur. Usus non est ut detur moribundis.

42. Munera patrinorum in confirmatione (qui unus aut una esse debent) minora videntur muneribus patrinorum in baptismo, quia minus est corroborare quàm instruere et informare (*a*).

(*a*) Non desunt qui affirmant patrinum esse in confirmatione adhibendum, alii negant. Plures episcopi patrinos non exigunt.

Patrinus qui non esset ipse confirmatus, veri patrini rationem non haberet, juxta plures, nec cognationem spiritualem contraheret; sed peccaret (mortaliter, inquit Collet). Facilè talem excusaret ignorantia.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

DE NATURA, NECESSITATE ET EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

§ I.

43. EUCHARISTIA sacramentum est in quo corpus et sanguis Christi verè, realiter ac substantialiter sub speciebus panis et vini continentur ad spiritualem animæ refectionem.

In eo totus Christus est sub utrâque specie et in quâlibet speciei parte saltem sensibili, separatione factâ, et quidem permanenter, quandiù species non sunt corruptæ.

Transsubstantiatio vocatur mirabilis panis et vini in corpus et sanguinem Christi mutatio.

Ratione circumincessionis, ut aiunt, seu modo speciali, Pater et Spiritus sanctus in hoc sacramento præsentes sunt.

44. Hujus sacramenti materia *in fieri* est panis triticeus et vinum usuale de vite.

Forma verò [891], verba consecrationis (*a*).

(*a*) Species panis et vini unà cum corpore et sanguine Christi, quibus per concomitantiam conjunguntur animà ejus ac divinitas, constituunt probabiliùs *in facto esse* eucharistiæ sacramentum.

45. Corpus Christi sub specie panis, et sanguis sub specie vini, unum sunt sacramentum morali specie.

Plures autem panis et vini species consecratæ unum sunt vel multiplex numero morali sacramentum, prout ad unam vel multiplicem moraliter ordinantur spiritualem refectionem (*a*).

(a) Si ergò peractâ ferè populi communione, prævideatur superfuturas hostias, nec ubi datur communio asservetur SS. Sacramentum, plures hostiæ unicuique ultimò communicanti (congruenter præmonito) dari possunt : meliùs tamen residuas ipse celebrans sumat ante ablutiones.

§ II.

46. Eucharistiæ susceptio necessaria est adultis necessitate præcepti divini graviter obligantis pluries quidem in vitâ, et præsertim in articulo mortis (a).

Potest etiam communio necessaria esse per accidens ad graves tentationes superandas.

Tandem sub gravi ad communionem obligat Ecclesia in pascha, et in mortis periculo.

(a) Ita communissima sententia contra paucos. Sic aliundè statuit concilium Nicænum. Talis tandem constans Ecclesiæ praxis.

§ III.

47. Præter effectus sacramentis vivorum communes, eucharistia conjungit nos intimè cum Christo; *in me manet, etc.*

Venialia remittit (a) et indirectè pœnam peccato debitam;

Passionum cohibet impetus;

Et pignus est æternæ gloriæ.

Prodest etiam communio vivis et defunctis pro quibus offertur.

Suos autem parit effectus statim ac species in stomachum descenderunt, etsi evomerentur; quia per hunc descensum fit prandium spirituale (b).

(a) Ex sententiâ plurimorum eucharistiæ tribuentium remissionem mortalium per accidens, concludunt aliqui posse moribundum, sacerdote deficiente, à diacono, imo à laico, aut propriis manibus communionem accipere, si, quamvis ad contritionem perfectam se pro posse suo excitaverit, de ejus sufficientiâ, non de suâ attritione, dubitet, sive ob animi perturbationem, sive ob morbi vehementiam; quia cùm non adsit ipsi sacerdos à quo absolutionem recipiat, eucharistia est pro ipso unicum probabile salutis remedium.

Quamvis non infirmum videatur hoc ratiocinium, nescio an id alicubi fiat, etsi casus sit sat frequens. Aliundè cur Deus contritionem perfectam recusaret eam toto corde eflagitanti, etc. ?

(b) Juxtà Suarez, Henno, etc,. augetur gratia, crescentibus dispositionibus, toto tempore quo species perseverant incorruptæ in stomacho.

Sed negant plures alii, Bonacina, Soto, Billuart, etc. Attamen ex hoc dubio solo aliquatenùs concludi potest quàm pretiosum sit tempus quod communionem immediatè sequitur.

CAPUT II.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ DISPENSANDÆ.

48. Solus sacerdos minister est ordinarius eucharistiæ dispensandæ;

Extraordinarius verò diaconus (*a*).

Nota. Quamvis ad eucharistiam ministrandam requiratur ad licitatem jurisdictio ordinaria vel delegata, attamen ex consuetudine, potest quilibet in aliquâ Ecclesiâ celebrans, ad mensam accedentibus illam administrare.

Excipe communionem paschalem et viaticum, nisi sit prudenter præsumpta pastoris licentia.

Nota iterùm : in die sancto parasceve non potest ministrari eucharistia nisi pro viatico in periculo mortis (*b*).

Nec aliis diebus post meridiem, seu missam ultimam, nisi justâ de causâ.

(*a*) Diaconus ergò ex licentiâ episcopi, vel in necessitate, v. g., pro viatico eucharistiam ministrare potest.

Imò id potest laicus, tempore pestis, sacerdote ex præscripto episcopi, à longè eucharistiam præbente. Ex Benedicto XIV, de synodo diœces. lib. 13. cap. 19, § 28.

Sacerdos (et à fortiori diaconus) non potest sine gravi peccato eucharistiam sibi extrà missam ministrare, nisi in casu necessitatis, v. g., pro viatico.

Sunt tamen qui sacerdoti, imò aliqui diacono hanc licentiam concedunt ob quamlibet justam causam, v. g., solemnitatem festi, modò absit scandalum. Nescio an alicubi talis sit praxis; sed si fiat, sacerdos et diaconus stolâ modo ordini suo apto induantur.

Item sacerdos cùm eucharistiam ab alio recipit.

(*b*) Non in nocte nativitatis Domini, ex decreto sacræ congregationis anni 1641, nec in sabbato sancto. Sed hæc non ubique obtinent, notanter in diœcesi Bisuntinâ. Sequatur unusquisque diœcesis suæ consuetudinem.

Intrà missam *de Requiem* ministrari potest, non antè nec pòst nisi deponantur ornamenta nigri coloris. *P. Ant. à Goritia.*

CAPUT III.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ ET AD EAM SUSCIPIENDAM DISPOSITIONIBUS.

SECTIO I.

De subjecto Eucharistiæ.

49. Omnes fideles subjectum sunt eucharistiæ.

Infantes quidem doli capaces, et sufficienter dispositi;

Citiùs tamen moribundi quàm alii, modò discernant (*a*).

Et semi-fatui, senesque incipientes repuerascere, certis nempè temporibus, ut in paschâ, in mortis periculo, et aliâ gravi de causâ, si certo pietatis sensu ergà sacramentum afficiantur.

Quoquo tempore muti tantùm qui sunt in suis negotiis discreti, si petant, et in iis appareant signa fidei devotæ.

Sed ad eucharistiam non admittendi perpetuò amentes (*b*), nec, nisi consulto episcopo, et solùm certis, ut suprà, temporibus, surdi et muti à nativitate, quamvis appareant fidem explicitam habere sacramenti et mysteriorum fidei notitiam necessitate medii necessariam, peccataque aliqualiter confiteri possint (*c*).

Nec, nisi consulto itidem episcopo, energumeni, et in lucidis solùm intervallis.

Nota : in Galliâ non datur eucharistia reis morte afficiendis.

(*a*) Etiam in dubio an discernant, inquiunt aliqui. Sed si discernant, videtur non paucis eos esse in periculo mortis communicandos. Et cur non ?

Nec desunt qui doceant infantes esse communicandos et ad communionem obligari in paschate, statim ac sunt doli capaces. Sed communior opinio et praxis contraria est ; quia quamvis teneantur tunc peccata confiteri, major pro communione quàm pro confessione requiritur discretio.

Ab anno 10 ad 14 ad primam communionem admittuntur communiter.

Ubì nota graviorem esse jurisdictionis læsionem si extraneus sine parochi licentiâ ad primam communionem admittatur.

(*b*) Iis qui in amentiam inciderunt, communio danda est in articulo mortis, ex canone 15 Concilii 4 Carthaginensis et catechismo romano, modò, ait iste, vomitionis aut alterius indignitatis et incommodi periculum nullum

timendum sit. Difficilè nullum, v. g., expuitionis, timendum foret. Sequatur quisque suum rituale. Bisuntinum sine ullâ exceptione eucharistiam vetat dare amentibus, nisi in lucidis intervallis.

(c) Saltem aliquod in specie, inquit Layman; alioqui non nisi in articulo mortis sunt absolvendi.

50. Peccatoribus publicis, id est, qui in peccatis gravibus publicè perseverant, aut qui confessi quidem, nondùm tamen ità sunt emendati ut scandalum publicum ex enormitate criminum infamiâque ortum rep[illegible]eganda est eucharistia, extrà mortis articulum; etsi publicè petant (*a*).

Sed si sint jàm occultè emendati, possunt occultè communicare.

(*a*) Propter peccata mortalia quidem, sed communia, etsi publica, non est deneganda communio, saltem inconsulto episcopo, quia tunc per confessionem et communionem reparàtur scandalum, atque hæc est praxis communis. *Billuart.*

Pro casibus gravibus, consulendus etiam, si fieri potest, episcopus.

Sed nequidem metu mortis, inquiunt Collet et Dens, peccatoribus publicis, ni aliter, ex circumstantiis, judicet episcopus, dari potest communio; quia hoc est intrinsecè malum, et juri divino contrarium. Quod tenendum est etiamsi alibi quàm in loco suæ residentiæ eam publicè petant, si crimina eorum possint ibi probari, nisi nota aut præsumenda sit eorum conversio.

SECTIO II.

De dispositionibus ad sacram communionem.

ARTICULUS I.

De dispositionibus ex parte corporis.

51. Illota non sit facies, nec sordidæ vestes (*a*).

Nec timeatur prudenter vomitus antequàm species sint corruptæ.

Et à communione, sed solùm ex decentiâ, abstineant, qui nocte præcedenti pollutionem inculpabilem experti sunt, aut actum conjugalem, etiam ob amorem prolis, aut ad reddendum debitum exercuerunt, si sine incommodo possint communionem differre, saltem si multùm turbatus sit animus. Si autem actum conjugalem fecerint ob libidinem, abstineant absolutè ab eucharistiâ, inquit D. Thomas, quamvis

non peccaverint mortaliter, nisi tamen grave hinc timeant incommodum.

Qui autem voluntariè pollutus esset, non accedat, quamvis contritus confessus sit, nisi aliter judicet confessarius.

(a) Non debet administrari communio mulieribus quæ decentiam in habitu lædunt graviter, ut quæ nudo pectore incedunt. *Innocentius XI.* Sed hìc magnâ opus prudentiâ.

52. Exceptis casibus viatici sumendi, vel vitandæ gravis et imminentis ergà eucharistiam irreverentiæ, aliisque, ubi de sacrificio missæ, enumerandis, ad sacram communionem requiritur sub gravi jejunium naturale, nec hìc admittitur levitas materiæ, sive in quantitate, sive in tempore [895].

Naturale autem jejunium in eo consistit quod à mediâ nocte (*a*) nihil sumptum sit quod in os simul et stomachum introierit, per modum cibi, potûs aut medicinæ (*b*).

Nec prompta è stomacho evomitio jejunium restitueret.

(a) Primus horologii ictus mediam noctem indicat; et si cognoscatur horologium probabiliùs retardare, communicare sub gravi nequiret qui à primo ictu solùm à cibo, etc., abstinuisset.

Item qui non habens horologium, de mediâ nocte dubitans aliquid sumpsisset.

Si horologia non concordent, licet illud sequi quod habetur communiter pro regulâ certâ, quia pro eo stat præsumptio, inquit Billuart. Attamen non ut scrupulosior habendus foret tunc qui paulò antè primum hujus horologii ictum à sumptione, etc., abstineret, saltem si adverteret.

(b) Non solvitur ergò jejunium per ea quæ ore quidem sed non ab extrà deglutiuntur, ut tabacum aut sanguis ex naso decidens.

Benè verò si sanguis ex digito fluens sumatur, quia tunc ab extrà intrat in os.

Nec solvitur per ea quæ quidem ab extrà sumuntur et deglutiuntur, sed non modo vitali, seù quæ non sunt per stomachum alterabilia et digestibilia.

Secùs probabiliùs si alterabilia sint, quamvis non nutritiva, ut lignum forsan.

De tabaco masticato controvertitur, nisi tamen succus certò expuatur. Fumigatum non solvit, nisi in certâ quantitate deglutiatur, vel consultò. *Varii.*

Nec solvitur jejunium per ea quæ non deglutiuntur, quamvis linguâ vel palato degustata, aut etiam, quamvis masticata, modò ab ore ejiciantur, etsi sapor aut succus parvus, quæ per salivationem intrant in stomachum, in ore remaneant; vel quæ deglutiuntur equidem, sed per modum salivæ, præter intentionem, non datâ operâ, ut reliquiæ ciborum; aut per aspira-

tionem, ut culex, nix, pluvia, fumus escarum. Ita varii; et tutâ conscientiâ sequi eos quisque posse videtur, non obstantibus quæ passim contraria legi possunt apud quosdam, ut apud Collet.

Nota: aiunt quidam laicum jam ad sacram mensam assidentem, qui recordatur se non esse jejunum, posse communicare; alii negant, quia recedendo non habet gravia timenda. Priorum sententiæ adhærerem, si iste laicus non posset palam facere, saltem post missam, cur recesserit, quod sæpè difficile; nam recedendo malam de se suspicionem ingereret forsan; jam in ipso instanti rumor oriretur ex quo erubesceret.

---

53. Edocendi fideles ritum omnem eucharistiam recipiendi, monendique de accidentibus quæ possunt ipsis vel in communione, vel immediatè post advenire culpabiliter aut inculpabiliter, ut vitent conscientiæ errores in hâc materiâ nimis frequentes (*a*).

(*a*) Monendi, v. g., ne statim post communionem spuant, et si fieri possit antequàm alium cibum sumpserint, aut saltem si spuendi sit necessitas, non spuant in loco immundo, aut qui pedibus calcari possit [895]; et addendum quòd si ex inadvertentiâ spuerint, nullum ibi sit peccatum. Plerique enim maximè adolescentes hoc ut grave piaculum habent et eheu! in confessione celant.

Si hostia palato diù hæserit, debet linguâ avelli aut aquæ haustu et eò magis quòd si in ore corrumperetur, nulla esset communio.

Quoàd vomitum post communionem, ex quo mirè vexantur plerique, et quem ut grave peccatum plures, ut suprà, reputant, reticentque quamvis inculpabiliter advenerit; hæc à medicis audivisse ait Delugo: hostia minor in minuto alteratur in stomacho ordinario, et major, qualem sumunt sacerdotes, vinique species in horæ quadrante. *Collet.*

Attamen si vomitus in laicis ante horæ quadrantem vel semihoram in sacerdotibus qui celebrârunt, imò ante horam in eis qui ex senio aut aliâ causâ stomachum habent languentem, eveniret; quærendæ essent species, et si appareant, sumendæ, ni nausea fiat; vel cautè separandæ ac in loco sacro reponendæ donec corruptæ in sacrarium mittantur; citrà enim sacrilegium comburi nequeunt quandiu sunt integræ; si autem non appareant, materia vomitûs comburenda, et cinis in sacrarium mittendus.

Nota: itidem agendum si quis voluntariè, ut licet, species veneno infectas evomuisset. *Collet.*

Circà alia accidentia vide rubricas in missali aut Rituali, solùm hìc ex eodem auctore habe sequentia quæ alibi forsan non reperies:

Si hostia super sinum mulieris ceciderit, resumenda est à sacerdote; et, notato ab eâ loco, monenda ut linteamen in quod cecidit, afferat post missam ad illud purificandum.

Idem videtur dicendum de cadente particulâ. Si colligi nequeat, mihi videtur plicandum linteum aciculâ et purificandum. Sed facilè crederem volantes particulas, esse sæpè oculorum illusiones.

Si intrà mulieris linteolum hostia ceciderit, potest adhuc eam resumere sacerdos, si sit in parte superiori pectoris, cum ibi sinè indecentiâ fiant unctiones; sed si in parte inferiori aut mediâ, mulier non turbata eat in sacris-

tiam, accipiat ipsa hostiam cum purificatorio, vel ipsis digitis, si aliter nequeat, et deponat super patenam aut corporale undè eam sacerdos in ciborio collocabit. Mulier ipsa digitos et sinum et linteum suum purificabit. Si solùm particula ceciderit, potest mulier eam sumere. In his, inquit D. Thom., faciendum quod minus habere videtur periculi.

ARTICULUS II.

De dispositionibus ex parte animæ.

54. Status gratiæ prudenter existimatus requiritur ad recipiendam eucharistiam, sub reatu gravissimi sacrilegii.

Hinc lex specialis à Tridentino lata, et apostolicæ probabiliùs traditionis (*a*), ut nemo sibi peccati mortalis, vel dubiè, conscius, sacram eucharistiam recipiat, quantumcumque sibi appareat contritus, quin priùs confiteatur; nisi urgeat necessitas celebrandi (*b*), et unà simul desit copia confessarii.

Addit Tridentinum quòd si sacerdos in necessitate celebraverit, debeat quàm primùm confiteri (*c*).

Porrò adest necessitas quandò prudenter timetur grave damnum, ut infamia, aut grave scandalum (*d*); vel quandò celebrandum est ad perficiendum relictum ab alio sacrificium, vel ad dandum viaticum moribundo, vel pro sepulturâ aut matrimonio, vel ne populus missâ careat die de precepto festivâ (*e*).

Copia verò deest confessarii, cùm sine gravi incommodo, ob morbum, v. g., ætatem multò debilitatam, viarum molestiam, cœli asperitatem, locorum distantiam, populi adstantis murmurationes, etc., adiri nequit. Quæ omnia non in mediocri gradu accipienda sunt.

Item cùm adest quidem confessarius, sed non approbatus (*f*) aut excommunicatus denuntiatus. Sed absit quòd pudor confitendi, juniori, v. g., aut alia incommoda confessioni intrinseca, causa sint non confitendi (*g*).

(*a*) Et probabiliter à Christo data, juxta nonnullos.

(*b*) Aut communicandi, juxtà plures, contrà aliquos: quia, inquiunt, quamvis solùm celebraturos à lege excipiat Tridentinum in casu necessitatis, potest esse pro laicis tanta necessitas ut hoc ipso lex eos non obliget. Quod facilè admitterem.

(*c*) Juxtà plures mortaliter peccaret si ultrà tres aut quatuor dies confiteri differret sine gravi causâ, quamvis illis diebus nollet celebrare.

Imò alii contrà alios id extendunt ad casum in quo celebrasset, invincibiliter oblitus mali sui statûs : sed hoc durum videtur, quia non celebravit conscius peccati mortalis. Aliud foret, si in necessitate celebrasset.

Collet, contrà Billuart, Dens et alios, præceptum quamprimùm confitendi extendit ad laicos et sacerdotes qui in necessitate more laicali communicassent.

Quæ omnia saltem sat dubia sunt ut pars tutior eligatur.

(*d*) Ut si gravem de se opinionem malam ingerere debeat; et ex hac causâ à confessione excusat D. Dens, et videtur meritò, laicum qui jam ad sacram mensam assidet aut vadit, modò contritus sibi appareat prudenter : contrà tamen sentit Collet.

(*e*) Et juxtà quosdam, Missa annunciata tali die, si annunciatio revocari nequeat. Sed hæc ratio si sola, debilis est.

Verùm de his et similibus ex circumstantiis judicandum, non sibi, ut heù ! nimis sæpè, blandiendò. Sic sola admiratio excitanda in plebe malè sumeretur pro scandalo.

(*f*) Juxtà Collet et Dens, si ex necessitate celebraturus peccatum commiserit reservatum à quo absolvendi potestatem non habeat confessarius cujus habetur copia, non tenetur confiteri, etiamsi aliud non reservatum commiserit, quia unum remitti nequit sine altero. Alii verò dicunt hunc miserum posse indirectè à reservato tunc absolvi, cum obligatione illud apud pro reservatis approbatum in primâ occasione declarandi [99, *a*]. In hàc sententiâ dicendum videtur illum qui solum reservatum admiserit, aut non reservatum quidem sed quod non potest sine gravi damno, putà fractione sigilli, declarare, posse alia jam remissa iterùm confiteri, ab eis absolvi, et sic indirectè ab eo quod non declarat.

Illa utraque sententia non improbabilis; cujusnam autem prævaleat probabilitas, non est facilè dicere. Lubentius tamen, licet hæsitans, priori adhærerem, quia lex Ecclesiæ peccata ante communionem confitendi non videtur prævalere legi reservationis casuum.

Sed aliud existimo si peccatum commissum non sit reservatum, quamvis declarari nequeat : Possunt alia jam remissa declarari, et ab hoc indirectè recipi absolutio, cùm non sit reservatum.

(*g*) Hinc qui jam sacra faciens recordatur se esse in mortali, debet, in quâcumque missæ parte existat, toto corde conteri [898, *d*]; quia fœdato non licet sacra peragere et tota missa sacra est. *Collet.* Et si hoc generaliter acceptum rigidius appareat, saltem nulli dubium quin sacrilegii reus fiat consecrando et communicando, et non potest citiùs contritionem perfectam ciere.

Imò confiteatur, si adsit sacerdos apud quem confiteri possit, dùm aliquid cantatur, quod fieri potest breviter et nemine suspicante, non tamen missam interrumpat, maximè post consecrationem. *Idem.*

Sed quid si conteri nequeat, nec confiteri ? Juxta Scotum debet, missâ etiam jam incœptâ recedere, quodcumque timeat scandalum. Ast cur vel in instanti Deus huic misero, facienti quod in se est, non succurreret ?

Graviores adhuc videntur angustiæ pro eo qui necessitate celebrandi pressus, non potest, ob pravos habitus, absolvi à confessario, quia ipsi, se ab omni ad peccatum affectu liberum affirmanti, credere non tenetur, nec potest. Si, ut sæpissimè, se contritum credere non possit prudenter, quia ob malum cor suum ergà Deum non facit quod potest ad donum contritionis obtinendum, omnia potiùs damna sustinere debet, omnia sinere scandala, quàm ad altare accedere.

Hic notant plures eò gravius esse peccatum indignè communicantis quò graviora et magis multiplicata sunt peccata quibus inquinatur, voluntque circumstantiam hanc esse in confessione declarandam.

Hic quærunt an peccata in confessione inculpabiliter omissa debeant ante communionem declarari ? affirmant communiùs, et talis est fidelium praxis, à quâ ordinariè non sunt avertendi, vel ex eo quòd forsan ex negligentiâ graviter culpabili in examine ea omiserunt, tùm quia forsan sunt peccata pravæ consuetudinis ob quæ differri debet absolutio. Attamen negant aliqui auctores, Collet post Garcias, P. Gibert, etc. quorum sententia tam firmis innixa est argumentis ut speculativè videatur ab intrinseco probabilior. Concilium enim tridentinum, aiunt, non obligat ad confessionem ante communionem nisi eum qui sibi conscius est peccati mortalis. Qui autem inculpabiliter omisit peccatum mortale in confessione bonâ, hujus peccati sibi non estconscius, cùm sit cum aliis remissum. Aliundè cur Tridentinum præcipit confessionem mortalium ante communionem ? ut moralis acquiratur certitudo de statu gratiæ. Sed pœnitens de quo loquimur eamdem habet certitudinem moralem de statu gratiæ, quàm si nullum peccatum in confessione omisisset. Obligatio confitendi provenit ex naturâ pœnitentiæ, non ex naturâ eucharistiæ, quæ secundùm se non requirit nisi statum gratiæ. Probabilis utraque opinio, inquit Billuart, sed prior communior (imò communissima) et in praxi tutior. Idem ferè ait D. Dens.

In praxi videtur confessarium dicere posse pœnitentibus timoratis sedulò conscientiam examinantibus, et quos ipse, si opus fuit, sedulò interrogavit, non necesse esse ut oblita declarent ante communionem, sed solùm in sequenti confessione; vixque ergà nonnullos potest teneri alia praxis, alioquin non forent absolvendi nisi in ipso ad communionem accessu. Tales pœnitentes non nisi levia ordinariè declarant, cùm ad tribunal iterùm atque iterùm redeunt.

Ast periculosum foret sententiam Collet, etc., publicè ut probabiliorem exponere; imò eam generaliter sequi, ob pravos habitus, etc., ob praxim fidelium contrariam, etc.

---

55. Quamvis eucharistia in iis operetur qui ad illam accedunt cum affectu ad venialia, utiliter tamen iis differtur;

Et gravium criminum reis quamvis contritis et confessis;

Et iis qui in ipsâ communione venialiter peccant;

Et ex D. Thomâ sacrificii celebratio sacerdoti in lethale lapso eodem die quo confitetur, quamvis absolutè permitti possit.

Excipe si in his casibus ratio adsit non differendi.

---

56. Frequens communio non est iis permittenda qui in lethalia frequenter incidunt, aut in mundi pompis vitam degunt.

Neque iis qui, etsi in lethalia non labantur, falsâ tamen, ut aiunt, ducuntur devotione, quales quædam mulieres

parùm humiles, otiosæ, inobedientes, iræ, rixis, judiciis temerariis, detractionibus, etsi in materiâ levi, assuetæ.

Benè verò fidelibus nullum ad venialia affectum habentibus, plus minusvè, v. g., quâlibet septimanâ.

Sed ad quotidianam communionem requiritur ardens perfectionis desiderium et de omnibus ferè malis affectibus victoria.

Nota : aliæ, præter statum gratiæ, ad communionem dispositiones sunt fides firma, spes bona, sincera intentio honoris Dei et sui ipsius utilitatis, effusa in Deum et proximum charitas, ardensque Christum suscipiendi desiderium (*a*).

(*a*) Et, juxtà graves autores, actualis devotio et fervor, si non ex necessitate, saltem ad fructum uberiorem percipiendum. Sed multi negant esse hæc ad augmentum gratiæ habitualis necessaria. Solùm hoc majus augmentum, majoresque alii fructus percipiuntur.

---

57. De eucharistiâ participare censentur qui eam anhelant, habentque sumendi propositum.

Atque hæc est, ex Tridentino, spiritualis communio, multùm suadenda, et in omni loco et tempore, sed præsertim in Ecclesiâ, et dùm sacra celebrantur, possibilis.

Huic communioni, fidei, contritionis, humilitatis, desiderii unionis cum Christo præmittuntur actus.

APPENDIX

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

58. Ex Nicæno et pluribus aliis conciliis eucharistiam moribundis deferre præcipientibus, maximèque ex constanti Ecclesiæ praxi, deducitur communiter obligatio juris divini et ecclesiastici illam tunc petendi et accipiendi (*a*).

Illis autem pro viatico danda qui periculosè ægrotant (*b*), nisi ob tussim assiduam, vomitûs periculum, aut aliud obstaculum, aliqua ergà SS. sacramentum indecentia timeatur (*c*). Quo in casu ad communionem spiritualem invitandi, et consolandi per verba Augustini : *Crede et accepisti.*

Viatici autem susceptio unâ solùm vice in ægritudine eâdem, et eodem ægritudinis statu periculoque præcipitur.

Sed iteranda, si æger, etiam intrà breve tempus, convalescat et relabatur in idem aut aliud probabile mortis periculum, vel aliter morbi status mutetur.

Quòd si, eodem manente ægritudinis statu et eodem periculo, cupiat æger iterùm viatico refici, votis ejus annuendum, modò elapsum sit tempus in rituali definitum (*d*) et periculum perseveret.

Secùs, non posset communicare per modum viatici, et non jejunus.

Et hoc dictum sit de infirmis qui ob devotionem in ægritudine communicant.

(*a*) Malè ergò sapiunt, qui ad vitandum, ut aiunt, novum sacrilegium, viaticum non deferunt moribundis quos ob necessitatem absolvunt dubiò dispositos: non enim possunt eos absolvere, quandiù tempus suppetit, nisi firmam habeant voluntatem omnia præcepta observandi, ac proindè præceptum, quod eos tunc urget, viatici dignè recipiendi. Id possunt adjuti gratiâ, quam non denegabit Deus benè exposcentibus. Quòd si nolunt conteri aut saltem atteri, nec facere quod ad id necessarium est, orare, meditari, etc., non magis, si tempus suppetat, possunt absolvi, et extremâ-unctione inungi, quàm viatico refici.

(*b*) Sufficit verum mortis periculum, nec nimis, ex scrupulo, expectandum.

Imò præcavendum est periculum delirii, si quod probabile sit, ut in febribus quibusdam, licèt periculum mortis nondùm sit probabile; quia tunc probabile est periculum quod non poterit æger viatico refici nisi cum indecentiâ, quod non licet. *Dens.*

Prægnantes, cum periculo non communi parituræ; periculosè navigaturi, aut præliaturi ad recipiendum viaticum obligantur, si eo instanti possint, moraliter loquendo. Uno verbo, ex quâcumque causâ veniat mortis periculum, recipiendum est ex præcepto viaticum. *Pastorale Mechliniense, Billuart, Dens, Bailly*, etc., in Galliâ tamen non datur supplicio ultimo afficiendis.

Et dari potest iis qui illud petierunt antequàm vocis et rationis usu privarentur, quia operatur ex opere operato. *Concilium Toletanum. Coll. Andeg. Bailly.* Sed absit periculum ne irreverenter accipiatur, quod periculum mihi videtur abesse rarò et forte nunquàm.

(*c*) Si hostiam æger deglutire non possit, vinum aut aquam sumat; et si antè communionem id eventurum prævideatur, in cochleari, v. g., aquâ aut vino semipleno, reverenter ori intromittenda est. Sed prior modus convenientior est, si sufficiens fore prævideatur.

Quoàd periculum vomitûs: ex circumstantiis judicandum an saltem hora elabi possit antequàm adveniat vomitus; sex horas quidam requirunt ab ultimo [53, *a*].

Et hic nota vomitorium sumi non posse antequam hora una à communione

elapsa sit, nisi post communionem in morbum tantum incidat quis ut necessitate urgente, vomitorio juvari debeat.

*Nota iterùm : si in sumptione viatici æger moriatur antequam hostiam deglutierit, ex ore extrahenda est, et servanda sicut hostia evomita [53, *a*].

(*d*) Variè varii hoc tempus definiunt. Sequatur unusquisque suum Rituale. Bisuntino et pluribus aliis decem dies definiuntur.

---

59. Cùm præcepto communionis non satisfiat per communionem sacrilegam, qui viaticum sacrilegè recepisset, teneretur, citrà suî infamiam aut aliorum scandalum, illud iterùm recipere (*a*).

Cæterum notatu inutile reparanda esse ab ægrotante, ante communionem, meliori modo possibili, quæ dedisset scandala, si ea nondùm reparaverit (*b*).

(*a*) Item, inquit Collet, si jam viatico munitus in lethale aliquod labatur. Quidquid sit de sententiâ Collet, vix ante tempus elapsum, iterùm, citrà infamiam, recipi posset viaticum.

Sed in his casibus sæpè potest deferri eucharistia secretò et absque ceremonia, et faciendum videtur.

(*b*) Mitiùs cum eo quàm cum sano agendum, inquit D. Deus, quia quisque tunc præsumitur facere quod potest, ut se ad æternitatis aditum præparet.

Imo viatici receptio jam sæpè reparatio est quædam, saltem sacramentorum per vitam neglectûs, quin illius non receptio maximum esset scandalum, et hinc iterum refelluntur qui infirmis, quos tamen ob necessitatem absolvunt, viaticum recusantes, rationi ex sacrilegio desumptæ addunt aliam ex scandalo vitæ; quasi tempus non suppeteret illud breviter reparandi.

Præcipiendum ergo iis qui scandala præbuerunt ut adstantibus, et si opus sit, testibus electis manifestent, per os ministri, si ipsi nequeant, se nunc aliter quàm per vitam sentire; se omnia mala antè acta detestari, etc.

Posset etiam ipsis viaticum administrari occultè coràm eis qui eorum emendationem noscunt, qui eam statim propagabunt.

Nota : volunt plures infirmum non posse viaticum recipere quâ die jam communicavit, alii volunt eum posse, sed non teneri. Alii tandem, et posse et teneri. Variant et Ritualia, sequenda sanè prout casum decidunt. Sed plura tacent, quamvis casus sæpè occurrat, præsertim ergà sacerdotes. Benedictus XIV parocho relinquit sententiam sequi quæ sibi magis arrideat.

Si mentem aperire ausim, dicam mihi videri et posse et teneri, quia insufficientes videntur rationes quibus contrà sentientes fulciuntur. Aiunt talem jam communicasse in fine vitæ, ac proindè cessare pro ipso obligationem viatici, vigereque tunc præceptum bis eâdem die communicare vetans. Sed vana ratio : nàm viaticum non est præcisè communio in fine vitæ, sed in vitæ periculo, intuitu consequenter itineris in æternitatem. Alioquin qui sub finem diei jejunus communicasset, ut sæpè fit in magnis fidelium concursibus, non teneretur viaticum accipere, si incipiente die sequenti in mortis periculum caderet; communicavit enim in fine vitæ.

TITULUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PARS I.

DOCTRINA DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

60. POENITENTIA, ut virtus, est habitus supernaturalis et infusus, inclinans ad displicentiam et dolorem de peccato, quatenùs est offensa Dei;

Et ad satisfaciendum Deo per opera pœnalia.

Ut sacramentum verò, est sacramentum à Christo institutum ad remittenda quæcumque et sola peccata post baptismum commissa.

Virtus et sacramentum pœnitentiæ adeò in lege gratiæ conjuncta sunt, ut nec virtus sine sacramento aut ordine ad illud, nec sacramentum sine virtute prodesse valeat.

Sacramenti hujus materia remota sunt peccata post baptismum commissa. Proxima verò actus pœnitentis, contritio nempè, confessio et satisfactio.

Forma; absolutio à sacerdote.

Quæ uniantur ut exigit natura judicii (*a*).

(*a*) Hinc confessio paulò ante absolutionem facta, tutiùs, etsi confusè tantùm ac generaliter, immediatè antè eam renovanda est.

Existimant aliqui sufficientem esse unionem inter absolutionem et contritionem, si hæc habeatur vesperè in ordine ad absolutionem manè recipiendam. Sed hoc ad minùs non tutum, imò tutiùs renovanda antè absolutionem contritio, quamvis per actum contrarium aut peccaminosum non revocata, si aliquot horis præcesserit.

Et tutiùs contritio habenda est in ordine ad sacramentum, necessariòque præcedere debet absolutionem; quia absolutio est sententia judicialis quæ causæ cognitionem præsupponit.

Ast communiùs negant cum salmanticensibus contrà Layman et alios, contritionem esse necessariò præmittendam confessioni; quia confessio, etsi non dolorosa, est tamen vera accusatio; et praxis est huic sententiæ conformis.

Undè qui non habuit contritionem in præcedenti confessione, satisfacit

hunc defectum accusando, si apud eumdem confessarium, modò iste sufficienter recordetur, etc. *Collet*. Tutiùs tamen renovaretur modo generali confessio præcedens.

Item qui nondum contritus confessus est, tutiùs dicat ante absolutionem : *accuso me denuò de omnibus declaratis tibi peccatis*, vel aliud æquivalens.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

61. Contritio, ex Tridentino, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero (*a*).

Non solùm ergò de peccato tristitiam, sed illius odium;

Non solùm cessationem à peccato, et vitæ novæ inchoationem, sed veteris odium mœstitiamque voluntariè susceptam includit contritio (*b*).

Contritio alia simpliciter sic dicta, quæ charitate perficitur, habetque pro motivo offensam Dei propter se summè dilecti.

Et alia imperfecta, quæ et attritio dicitur, quâ peccatum detestatur pœnitens ex motivo distincto à motivo charitatis perfectæ, attamen supernaturali.

Utrique conjuncta esse debet in misericordiam divinam fiducia ob merita Christi.

(*a*) Addunt quidam propositum confitendi, satisfaciendi, servandi omnia mandata, et omnia assumendi media ad vitandum relapsum; quæ, quatenùs explicita, non videntur nisi de meliori esse. Aliundè expressè continentur in actu contritionis fieri solito.

Ast propositum non peccandi de cætero debetne esse necessariò explicitum? Si communior, saltem non probabilior videtur sententia affirmans. Billuart, Dens, etc., qui eam amplectuntur, fatentur valere sacramentum quandò pœnitens in dolore absorptus est ità ut non cogitet de futuro, modò si ad futurum attendens proponeret peccata non iterare.

Addit Billuart cum Collet propositum explicitum esse solùm de præcepto, non de necessitate sacramenti.

Curandum igitur ut habeatur; infirma enim non est ratio adstruens illud esse de præcepto; quòd nempè concilia, et post D. Thomam theologi, illius expressam mentionem faciant loquendo de contritione. Hæc enim mentio videtur inutilis, si propositum virtuale et implicitum sufficiat, cùm in contritione semper includatur.

Non tamen iterandæ confessiones in quibus sine gravi negligentiâ defuit.

Nota: Pauci dicunt dolorem includi sufficienter in proposito. Sed hæc sententia non est saltem tuta.

(b) Contritio debet esse formalis, nec sufficit virtualis, seu quæ in amore Dei super omnia includitur. *Theologus Pictaviensis. P. Gabriel Ant. P. Ant. à Goritia*, et alii communiùs. Hæc sententia saltem tutior est.

Item non sufficit generalis et vaga de peccato, sed debet esse de declaratis.

Imò de peccatis aut circumstantiis quæ immediatè post absolutionem declarantur nova habenda est contritio, aiunt quidam contrà alios; quia cùm nova datur absolutio, novum efficitur sacramentum. Esto, sed nonne virtualiter persevérat prior contritio? Neque ergò probabilior, neque æquè probabilis priorum sententia. Attamen cùm tutior sit, confessarius curare debet ut novus contritionis actus eliciatur ne sacramentum exponatur nullitati.

---

62. Fuit autem quovis tempore contritio necessaria et quidem necessitate medii, ad obtinendam peccatorum veniam.

Et quamvis aliquandò antè sacramentum justificet, ipsi tamen, sine sacramenti voto, quòd in illâ includitur, reconciliatio non est adscribenda (*a*).

Undè et necessaria est necessitate præcepti; sive quandò sacramentum pœnitentiæ recipitur, sive quandò, eo deficiente, recuperanda est gratia ad exercendam functionem quæ statum gratiæ requirit; sive in periculo mortis, sive quandò sine contritione non vitaretur peccatum vel in peccatis obduratio; sive quandò ex charitate Deus placandus est in necessitatibus publicis; sive tandem post commissum quodlibet grave peccatum (*b*).

Imò necessaria est contritio cùm venialia sola declarantur; sed sufficit ad vitandum sacrilegium mortale ut de uno habeatur contritio (*c*).

(*a*) Sufficit ut illud votum sit implicitum. *Collet, Theologus Pictaviensis.* Sed venialium contritio (sinè quâ, ut communiter docent, non remittuntur) non requirit votum sacramenti, quia sine sacramento remitti possunt.

Multùm hìc disputant theologi circà naturam contritionis quæ sufficiat in sacramento. Alii, numero non parvo, nec autoritate leves, contritionem exigunt quæ sit ex motivo amoris Dei propter se, quamvis non tantam quanta, juxtà eos, esse debet quæ extrà sacramentum justificat. Alii multi dicunt sufficere contritionem formidolosam; aut quamlibet conceptam ex alio quàm charitatis perfectæ motivo, modò supernaturalis sit, affectum omnem ad peccatum excludat, dotes habeat alias mox enumerandas, et amore spei perficiatur. Alii tandem quasi medium tenent, voluntque contritioni

adjungendum initium amoris Dei ut fontis omnis justitiæ, (quæ sunt verba Tridentini, de justificatione). Hæc ultima sententia certa est, cùm sit ipsamet doctrina Tridentini. Sed ad quam è duabus primis reducenda sit, et num per initium amoris intelligi debeat jam verus amor, non facilè diceretur.

Firmissimis prima et secunda sententia fulciuntur argumentis quæ longiùs esset hìc referre. Secundæ tamen momenta validiora videntur; undè tanquàm certa à pluribus traditur, notanter in Rituali et catechismo Bisuntino.

In praxi pœnitentes sunt omnibus motivis ad contritionem excitandi, et præcipuè, ut tutiùs saltem, motivo offensæ Dei in se summè amabilis. P. Billuart vi ratiocinii et ingenii sagacitate præcellens, autumat non licere sequi in praxi secundam sententiam, quia, juxtà ipsum, solùm probabilis est; et P. Gabriel Ant. inter jesuitas nec laxitate nec rigiditate notus, dicit actum contritionis ex motivo charitatis Dei propter se in articulo mortis obligare, utpotè qui via tutior sit. Quidquid sit, facile est, juvante gratiâ et vividâ perfectionum Dei consideratione, attritum fieri contritum.

(b) Statim dolendum, inquiunt alii contrà alios plures, quia non licet remanere in Dei inimicitiâ. Saltem statim deponendus est affectus ad peccatum. Sed hoc facto, quænam contritionis justificantis dilatio novum induceret peccatum mortale? Putat Billuart præceptum contritionis ratione sui sub mortali novo non obligare, nisi quandò satisfaciendum est præcepto annuæ confessionis; quia medicina non est necessaria nisi quandò necessitas curationis incumbit. Sed communiùs creditur sufficere ad novum peccatum mortale differre contritionem per tempus valdè notabile, quatuor aut quinque menses, v. g., saltem si peccator advertendo ad peccata, præsertim si sint consuetudinis pravæ, nullatenùs doleat, quia Deum quasi contemnit. Si ergò confitentes non accusent novum illud peccatum, tutius est illos de illo interrogare, et ipsius confessionem exigere.

Qui salutis suæ sollicitus est de admisso mortali dolet statim; è contrà suæ salutis incuriosus.

(c) Bona fides aut levis negligentia non rarò à sacrilegio formali excusat in hoc casu.

Quænam autem contritio habenda est de venialibus? Sufficit, inquiunt non laxiores, verus dolor, quamvis non tantus ac de mortalibus, propositumque ea, et *notatim* quæ accusata sunt, pro posse vitandi et sibi invigilandi.

Cæterùm quandò sola venialia accusantur, consultiùs accusandum est in specie, quamvis modo generali, aliquod vitæ antè actæ peccatum de quo dolor sufficiens habeatur. Non tamen hac praxi abutendum, ità ut de venialibus nullus habeatur dolor et nulla adveniat emendatio; et curandum ut pœnitens de denuò accusatis actu doleat.

---

63. Ut legitima et ad sacramentum sufficiens sit contritio, debet esse realiter et non putativè solùm

1° Interior, id est in corde, seu in voluntate, ac proindè non in mente solùm; quin tamen necesse sit quòd partem cordis sensitivam afficiat. Et de hoc monendi qui nimis anxiantur quòd non sensibiliter doleant; et qui è contrà affectui sensitivo, aliquandò fallaci, nimis confidunt (a).

2° Summa, non conatu, sed appreciativè, dolendo magis de peccatis quàm de quocumque alio malo, ità ut excludat omnem ad peccatum affectum, faciatque ut odio habeatur et mœstitiæ suprà omne detestabile (*b*).

3° Universalis, ad omnia declarata extendens se in genere saltem, ità ut nullus ad quodvis, etiam jam olim declaratum, servetur affectus (*c*).

4° Supernaturalis, cùm ratione principii, Spiritûs sancti nempè impulsu, ardenter proindè efflagitando, tùm ratione motivi, quod debet fide apprehendi.

Ergò non sufficit ut pœnitens doleat se non dolere (*d*).

(*a*) Diffidendum tamen de contritione personarum, præsertìm fœminei sexûs, quæ ob temperamentum facilè in aliis moventur, quandò multa gravia aut pauca graviora vel unum gravissimum, præsertìm recenter commissa accusantes, cor habent ut adamantem.

(*b*) Non expedit ut contritionem cientes, acerbos cruciatus aliave mala gravissima, pro præterito vel futuro, peccatis comparent; posset enim hinc oriri affectus ad peccatum et contritio fieri saltem dubia. Sufficit ut peccata sincerè detestentur tanquàm omnium malorum gravissima, paratique sint omnia quæ Deus permittet perpeti, potiùsquàm illum offendere mortaliter. Si eorum imaginatio ipsis acerba proponat, respondeant statìm: *Si Deus hæc permiserit, dabit gratias ad ea sufferenda.* Ità multi.

(*c*) Qui dolet sufficienter de uno mortali, parùm autem de altero, quia illud ex ignorantià invincibili arbitratur solùm veniale, à dolore simpliciter, vel à doloris gradu excusatur, et valida est ejus confessio. *Collet*, et meritò.

Nota: quamvis optandum ut ad singula, si fieri facilè posset, extendat se contritio, excipiendus tamen casus in quo hinc tentationes exurgerent violentæ.

(*d*) Nedùm dolor de non dolere insufficientiam contritionis semper indicet, quin signum est practicè alium esse dolorem. *Dens.*

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

SECTIO I.

De naturâ et necessitate confessionis.

64. CONFESSIO est legitima peccatorum coràm sacerdote qui, per jurisdictionem, Ecclesiæ claves habeat, declaratio et accusatio.

Necessaria est, necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici, iis qui post baptisma in aliquod peccatum lethale lapsi sunt;

Et per accidens iis qui venialia solùm admiserunt, si aliter vitari non possit scandalum, aut vinci tentatio (*a*).

Porro lex divina confessionis sub gravi obligat, saltem probabiliùs, per se aliquandò in vitâ (*b*),

Et in probabili mortis periculo,

Et quandò quis in mortali existens prævidet se opportunitatem confitendi non ampliùs habiturum [58, *b*];

Per accidens autem, quoties confessio necessaria est ad impletionem alterius præcepti, v. g., ad indurationem vitandam, ad tentationem vincendam, ad resurgendum à peccato.

Lex verò ecclesiastica semel in anno et antè Eucharistiæ receptionem.

Et his præceptis tenentur omnes baptizati qui usum rationis sunt adepti, etiam ii qui, non nisi nutibus aut scripto confessario præsenti ostenso, confiteri possunt (*c*).

(*a*) Sic scandalum pareret qui semel in anno aut in articulo mortis non confiteretur.

Sed tenenturne vi præcepti Ecclesiæ confiteri semel in anno qui non nisi venialia admiserunt? Negant Suarez et Sylvius : dubitativè respondet D. Thomas in supplemento q. 6. art. 3. dicens *eos teneri vi institutionis Ecclesiæ, vel dici posse secundùm quosdam quòd non teneantur, quia canon Lateranensis habet : omnia peccata confiteri, quod dici nequit de venialibus; sufficere ergò*

quòd se ostendant confessario dicendo se non commisisse mortalia, quod eis pro confessione reputatur.

Alii inter quos Collet post S. Bonaventuram tales ad veram confessionem obligare videntur, quia, inquiunt, Ecclesia non posset urgere ad confessionem annuam per pœnas quas non confitentibus minatur. Dicerent enim renuentes, se non commisisse nisi venialia.

Quidquid sit, nullus confitebitur quin peccata declaret aliqua.

(*b*) Et statim moraliter loquendo, post admissum peccatum mortale, inquiunt plures post D. Bonavent. Alii, Sylvius, Billuart, Dens, etc. dicunt expectari posse tempus annuæ confessionis, quia præceptum Ecclesiæ est præcepti divini determinativum; hæcque D. Thomæ communior et probabilior videtur opinio.

Verùm quantùm hortandi sint peccatores ad citiùs confitendum nemo non videt. Aliundè paucissimi sunt antea contriti.

(*c*) Non teneri confiteri qui non potest nisi per interpretem communiter docent excepto saltem mortis articulo et fortè casu in quo longo tempore abstinendum foret à confessione. Ast nùm reverà excipiendi hi casus? Alii affirmant, alii negant, alii hærent incerti. Ex iis qui affirmant, quidam cum De Lugo volunt omnia peccata esse tunc declaranda, sicut si absque interprete fieret confessio, et alii dicunt sufficere aliquod peccatum in specie accusare et alia omnia in genere. Medium in his casibus suppeditant alii qui nempè quòd per nutus aut manuum pressionem pœnitens respondeat interrogationibus quas suggerente confessario faciet interpres oculos avertendo, ne responsa videat.

Faciendum quod melius apparet.

Et hæc dicenda quando confessio fieri nequit nisi tertio audiente.

Juxtà aliquos non obligat confessio, extrà mortis periculum, si fieri nequeat nisi per scripturam, quia, inquiunt, scriptura deperdi potest. Ast vana ratio. Solummodò ergò hic observandum talem confessionem esse graviter illicitam extrà casum necessitatis, quia extrà hunc casum confessio ore fieri debet. Validam, licèt illicitam, illam existimat P. Thomas ex Charmes, modò pœnitens chartam monstrando, dicat: *Accuso me de omnibus quæ hic legis.* Licitè, inquiunt Billuart et P. Jos. Ant., sic confitetur æger qui non nisi difficilè potest aliter confiteri, quòd Billuart et plures alii extendunt ad vehementer verecundum, modò dicat: *Accuso me de omnibus quæ hic legis.*

Quidquid sit, videtur verecundum posse sic per scripturam confiteri, si ex læsâ verecundiâ in incommodum grave cadere debeat, ut forsan, sed rarissimè eveniret quibusdam nervicis; tunc enim ex verecundiâ exurgeret incommodum gravius ipsâ verecundiâ.

Talem (à quo timenda intereà deceptio) interrogarem lectâ chartâ, si quam præbeat. Difficile est quod non possit respondere ullatenùs.

Cæterùm hæc confessio: *Accuso me de peccatis quæ tibi ante confessionem exposui, vel quorum testis fuisti*, vel *quæ in hesternâ confessione invalidâ deposui*, communiter admittitur, et fateor indè non infirmum deduci argumentum in favorem confessionis à verecundâ factæ per scriptum.

---

65. Ab Ecclesiastico, imò et à divino confessionis præcepto excusat impotentia, non solùm physica et quæ ad physicam reducitur, qualis quæ venit ex periculo violandi sg-

creti sacramentalis, aut ex defectu temporis, cùm instante pugnâ, v. g., naufragio, etc., omnes prostrati, sine aliâ confessione absolvuntur;

Sed et moralis, seu extraordinaria difficultas confessioni extrinseca, ut quæ ex periculo infamationis aut gravis alterius detrimenti sive confessario, sive pœnitenti, sive tertio oriretur.

Gravior tamen requiritur causa ad eximendum præcepto divino quàm ab ecclesiastico; et si causa non extendat se ad omnia peccata, instituenda confessio est peccatorum pro quibus non valet causa, eâque cessante, prætermissa declaranda sunt (*a*).

(*a*) Excusant communiter à confessione, saltem integrâ, pœnitentem qui timet prudenter ne ad turpia sollicitetur à confessario, aut ne, præ fragilitate, tentationibus ex confessione orituris consentiat.

Cæterùm voluntas peccandi declaranda est, quandò peccatum ipsum declarari nequit.

Notatu inutile quòd, ut valeant causæ non confitendi integrè, requiratur necessitas confitendi vera, qualis v. g. implendi præcepti confessionis annuæ, gravis vitandi scandali, nec adiri possit alius confessarius. Ità omnes.

Non excusat ergò ab integrâ confessione faciendâ quòd confessarius urgeatur per magnum populi concursum.

SECTIO II.

De dotibus confessionis.

Multas communiter assignant, sed quæ ad integritatem, sinceritatem, humilitatem et prudentiam reduci possunt.

§ I.

66. Sit integra confessio (*a*):

Id est sine ullâ peccati ullius mortalis omissione graviter culpabili.

Et hæc est, quam formalem vocant integritas; quæ, sicut necessariò requiritur ut confessarius judex pronuntiare possit, ità, utpotè sola plerùmque possibilis, sufficit ad valorem sacramenti.

Porrò hæc integritas includit accusationem moraliter possibilem et quidem in specie,

1° Peccatorum mortalium, etiam eorum quæ sunt contrà duo ultima præcepta,

2° Circumstantiarum speciem mutantium [186 *b*], aut peccati malitiam notabiliter augentium vel minuentium (*b*),

3° Numeri peccatorum (*c*),

4° Habitûs peccati et ejus occasionis proximæ si adsint,

5° Peccatorum dubiorum, sive dubitetur an fuerint commissa, sive an mortalia sint, sive an jam confessa (*d*),

6° Effectuum peccatorum qui prævideri potuerunt, sive ut eorum gravitas confessario innotescat, sive ut remedia præscribat, et ad reparationem, ubi opus erit, obliget. Quin et sunt casus in quibus effectus qui prævideri non potuit, impediri debet, si adhuc possibile, vel reparari si non fuerit impeditus, cùm potuerit et debuerit impediri.

Uno verbo integritas includit declarationem omnium necessariorum ut status, dispositio et necessitas spiritualis pœnitentis confessario pateant.

Mortaliter ergò peccat et contrà veritatem et contrà religionem, qui lethale vel unum negat et reticet, nisi velit possitque confessionem nondùm perficere. In quo casu exponeret se tamen plùs minùsve periculo majorem aliâ vice reticendi tentationem experiendi.

A fortiori sacrilegè confiteretur qui confessionem apud duos divideret.

Attamen præambula peccatorum ordinaria, quamvis gravia in se essent, non sunt necessariò declaranda, si peccatum fuerit commissum.

Secùs extraordinaria, aut multùm insolita, aut diù continuata.

Sed, opere malo semel consummato, nova præambula et conamina tàm interna quàm externa repetita accusare oportet, quia ad novum peccatum tendunt, quamvis non committatur. Sic non raró in peccatis luxuriæ consummatæ.

(*a*) Semper intellige: nisi causa gravis excuset, ut modò dictum est. Hinc si muti omnia per nutus aut scripturam declarare nequeant, modò

unum tamen aut alterum peccatum confiteantur; si infirmi, intrà confitendum, loquelâ destituantur, etc., absolvi possunt.

Et absolvendus ægrotans qui fatetur se gravia adhùc habere confitenda, [730, *b*] sed non posse, ob fatigationem ultrà prosequi, modò periculum sit ne expectando moriatur.

Sed ordinariè per interrogationes, si non multa sint peccata, detegi et consequenter accusari possunt.

(*b*) Circumstantia, in materiis quæ constant numero, pondere aut mensurâ, notabiliter aggravat, quandò seorsim sumpta, sufficeret ad mortale.

In aliis autem materiis, quandò notabiliter excedit modum ordinarium peccandi, ut si quis in comessationibus, ebrietatibus totâ nocte, in impudicitiis pluribus horis moretur. Hic ergò sæpè interrogandi ebriosi, amasii et amasiæ, etsi hi actum principalem semel tantùm exercuerint.

In peccatis internis nulla duratio per se subintelligitur, undè semper explicanda est. *Dens.*

(*c*) Consuetudinarii, qui à longo tempore non sunt confessi, aut confessionem generalem instituunt, non possunt ordinariè numerum peccatorum declarare, nisi dicendo quoties circiter in die, hebdomadâ, mense vel anno peccaverint. Sed si dicant solùm quoties circiter in anno, aut in mense, dimidium numeri, quamvis non malitiosè, nequidem indicabunt. Si ergò frequentes fuerint lapsus, inquirendum ab eis quot in singulis hebdomadibus, unâ per alteram adæquatâ, imò aliquandò quot singulis diebus. Inquirendum insuper si frequentiùs uno ætatis tempore, quanto, et quoties tunc lapsi sint. Inquirendum tandem rùm, quoties et quandiù interrupta fuerit mala consuetudo.

Idem dic de iis qui aliquandiù in aliquâ malâ voluntate demorati sunt.

Qui utuntur his locutionibus : *circiter*, etc. Si parvus sit numerus, ordinariè circà eum examen sedulum non fecerunt. Sic qui dicunt se bis aut ter ab ultimâ confessione, spatio v. g., trium mensium, carnes manducasse diebus vetitis, numerum qualis est, facilè dicere possent si examinarent; et confessarius inveniet quatuor, quinque vices.

Hi ergò et similes ad examen sæpè remittendi, præsertim qui dicunt *plus quàm vigesies, plus quàm centies*, nisi tamen non ex contempto examine, sed ex simplicitate; in quo casu à confessario adjuvandi sunt ad dicendum verum numerum, quantum possibile est.

Nota : Qui, etsi post sufficiens examen, numerum circiter solùm declaravit aut confusè, rursùm illum declarare debet, si notabiliter relativè minorem dixerit, si, v. g., 10 pro 15, 20 pro 30; secùs si 10 pro 11, 12; 20 pro 22, 24, etc.

Sed si majorem dixerit, dicta non tenetur retractare, inquiunt meritò Collet, Dens et alii. Causa enim finita est, et carentia peccati non est materia confessionis.

(*d*) Nisi probabiliùs pœnitens contrarium existimet. *Billuart.*

Ast peccatum quod ut dubium declaratum est debetne iterum declarari si ut certum deprehendatur? Negant post Sleyaert, Dens et P. Ant. à Goritiâ; quia peccatum fuit remissum qualecumque fuerit. Affirmant è contrà, et quidem probabiliùs meritò sicut et tutiùs, Theol. Pict., P. Gab. Ant., Collet, Billuart, quia peccatum declarari debet prout est in conscientiâ; est autem nunc in conscientiâ ut certum; ergò ut peccatum oblitum declarari debet.

Si autem ut certa declarata sint quæ posteà dubia deprehendantur, nihil

iterandum; quia causa finita est, etc., ut suprà; ità plures, et videtur meritò.

Excipe nisi circumstantiæ quædam particulares exigant, ut confessarius habeat notitiam hanc conscientiæ sui pœnitentis.

Nota : à scrupulosis qui rarò peccant, non est exigenda peccatorum dubiorum confessio; quia ex duobus malis minus est eligendum. *Collet.* Sed nollem, saltem ordinariè, cum aliquibus eximere ab accusando peccato dubio ob hanc præcisè rationem quòd dubitatio longo post commissum peccatum tempore surpervenerit. Nimia est enim et sat communiter pœnitentium in discutiendo conscientiam negligentia, sæpèque malè formata conscientia eorum.

Potest absolvi sub conditione *si peccasti*, qui solùm declarat peccatum dubium. *Dens.* At satiùs cum dolore peccatum declaretur jam anteà remissum, quod non sit pudor iterùm confiteri; tunc sinè conditione datur absolutio [87, *a*].

Quamvis certò mortalem in posterum apprehendat confessarius rem quæ sibi in confessione dubiè tantùm mortaliter peccaminosa videbatur, non tenetur pœnitens eam iterùm declarare. Benè verò si confessarius eam apprehenderit ut nullatenùs peccaminosam. In priori enim casu confessarius à peccato absolvit, non in posteriori; nisi tamen absolvere intenderit pro casu in quo res esset peccaminosa, quod semper fieri debet.

---

67. Præcedat ergò confessionem diligens ab ultimâ recte peractâ peccatorum inquisitio (*a*).

Non diutiùs tamen in investigandis quæ sunt contrà castitatem immorandum. Imò nullatenùs scrutanda, si indè gravis exurgat tentatio; sed omnia confessario interrogare rogato committenda.

Nec gravius et prolixius examen exigendum communiter à rudibus, senibus multis, ægrotantibus, scrupulosis.

Nota : quamvis peccata, menti in disquisitione diligenti non occurrentia, vel ab eâ in accusatione excidentia, cum declaratis condonentur, sunt tamen in primâ confessione, in quâ memoriæ restituentur clavibus subjicienda. Propositio contraria ab Alexandro VII damnata est [88, *b*].

Et idem dicendum de omissâ circumstantiâ quæ fuisset declaranda; quin et ipsum peccatum foret denuò declarandum, si circumstantia non posset aliter accusari (*b*).

(*a*) Pii, qui singulis quindenis conscientiam in confessione exonerant, à præcedenti vespere examini intendunt; igitur incuriosi, qui rarò confitentur, diem unam et plures in examine impendant. *Dens.*

Sed, generaliter loquendo, rigidior hìc apparet eruditus iste theologus. Attamen plerique pœnitentes proportionatum peccatorum multitudini et longo sæpè inter confessiones intervallo tempus examini non impendunt.

Timoratis autem frequenter confitentibus sufficit modicum examen; quia si peccarent mortaliter, peccatum semper præ oculis haberent.

Hic quæritur an peccata scribere teneatur, si possit, qui existimat se lethalis alicujus, in accusatione non recordaturum? Plures volunt et ad hoc sufficit juxtà Suarez ut timeat ne è memoriâ excidat; ratio eorum est quòd debeant assumi media, etc.

Alii dicunt talem non esse praxim, nequidem timoratorum. Praxis hæc diligentiam supponit exquisitam ad quam nemo tenetur; aliundè cuidam exponeret periculo diffamationis, et. Ità Sylvius, Billuart, etc.

Priori sententiæ lubentiùs adhærerem; quia qui tenetur ad finem tenetur ad media, quæ sunt in suâ potestate. Nollem tamen praxim hanc ulli præcipere. Faciliùs crederem cum Collet versantem in periculo peccata obliviscendi teneri citiùs ea confiteri, aut scribere brevi, et cuilibet alii inexplicabili modo.

(*b*) Sed nùm nova danda absolutio si eidem confessario à quo quis absolutus est, oblita etiam statim declarentur? Negat Collet, nullam afferendo rationem, sed hâc sanè ductus quòd peccatum remissum sit et satis sit illud clavibus subjicere. Affirmant alii saltem ut quid tutiùs. Sic Collator Andeg. Talis est praxis, inquiunt alii et illam supponunt P. Gab. Ant., D. *Dens* et theol. Pict. ut nempè, ait iste, pœnitens à peccato omisso *directè* absolvatur.

Nota : ad examen faciendum sæpè remittendi qui illud vel non, vel segniter fecerunt, nisi rudes sint, etc., vel nisi de hâc negligentiâ moniti et eam cum dolore confitentes possint ope confessarii conscientiam hic et nunc sufficienter discutere, quod ordinariè præsumendum non est, de pluribus saltem; attamen charitate fulgentem ostendet se confessarius, multis in casibus, si eos de peccatis interroget et remittat benignè ad breve tempus, ut ulteriùs inquirant diligenter quæ in interrogationibus fortè fuerunt omissa, et ea ad quæ non sat exactè responderunt.

§ II.

68. Sincera sit confessio.

Sæpissimè confessionis validitati obstat sinceritatis defectus, qualis in illis qui contrà mentem allegant ea quæ peccata multùm minuunt (*a*).

Et sinceritati graviter contrarium esset confiteri sine necessitate et scienter apud adeò imperitum, ut conscientiam dijudicare nequiret; vel non explicare peccatum cujus gravitatem confessarius non sat cognosceret (*b*).

Cæterùm secluso, qui sæpè est, errore conscientiæ, mendacium leve (*c*) circà materiam ad confessionem nullatenùs vel non in materiâ essentiali pertinentem, v. g., negatio peccati venialis aut mortalis jàm remissi, non nocet graviter confessionis sinceritati nec sacramentum invalidum reddit, extrà casum tamen quo multùm confessarii interesset rem

scire ad judicandum de re spectante ad præsentem confessionem, vel ad pœnitentis bonum spirituale magni momenti (*d*).

Non quærantur ergò à pœnitentibus non necessaria ad bonum illorum regimen, imò nec ad illud multùm conducentia, si timendi locus sit, ut non rarò, ne ea ex pudore negent vel ex aliâ causâ.

(*a*) Quales puellæ forsan non paucæ quæ affirmant sese totis viribus defendisse ab amplexibus vel tactibus libidinosis.

Quales à fortiori illi, qui, ut sæpè, peccatum, in confessionibus præteritis celatum, accusant simpliciter, aut solùm ut omissum.

(*b*) Qui pluribus utuntur confessariis, uni, qui ordinarius est, venialia tantùm, aliis gravia declarantes, mortaliter contrà sinceritatem peccant, inquit Steyaert. Attamen Suarez et Sylvius hìc non vident nisi culpam levem, quæ nihilominùs potest per accidens esse gravis, ex eo quod status pœnitentis confessario fortè non innotescit; et sic sentirem

(*c*) Non faciliùs ab iterandis confessionibus eximendæ sunt quæ, ut citiùs Eucharistiæ participes fiant, leviter mentiuntur in confessione. Jam enim ob mendacii consuetudinem mensâ sacrâ indignæ, *Collet*. Quod cum grano salis acciperem.

Nota : facilè sæpiùs, à gravi saltem contra sinceritatem culpâ, ob bonam fidem excusantur simplices, ignari, timidi, scrupulosi qui peccata augent vel peccatorum numerum. Imò non est impossibile quosdam, ob læsam imaginationem, accusare quæ non fecerunt, et à fortiori ut certum quod dubium est. Aliquandò etiam simplices utuntur præpositione *circiter* dùm tamen numerum enunciant adamussim.

(*d*) V. g. de habitu, occasione, restitutione, vocatione, etc.

§ III.

69. Humilis sit confessio.

Id decet reum læsæ majestatis divinæ et æternis suppliciis dignum, qui petit veniam.

Flexis ergò genibus, capite detecto, depositis armis, et oculis demissis, facienda est confessio.

Sed non sæpiùs eò usque progreditur in confessione superbia, ut eam per se nullam reddat; ordinariè non est nisi signum minoris contritionis aut totalis ejus defectûs.

§ IV.

70. Prudens sit confessio.

Id est, verbis paucis et castis, sufficientibus tamen, pec-

cata accusanda sunt; et vitanda, quantùm possibile, proximi infamatio.

Adeundus ergò confessarius qui neque complicem cognoscat, neque alium cujus peccatum ex proprii peccati accusatione ipsi innotescet (*a*); modò id fieri possit sine incommodo gravitati infamationis proportionato (*b*).

Minùs tamen strictè tenetur pœnitens vitare complicis quàm non complicis apud confessarium infamationem, quià complex aliquousquè cessit jure suo.

Nota: prudentiam non lædit qui petendo contrà tentatorem consilium, illum confessario indirectè manifestat, nisi æquè consilium bonum ab alio facilè petere possit.

Nec etiam qui directè manifestat si ad ejus, vel cujusvis alterius procurandam correctionem (*c*).

(*a*) V. g., si quis patrem suum de furtò vero infamaverit, non potest hanc à se factam patris diffamationem accusare apud confessarium cui pater notus est, nisi iterùm patrem diffamet. Si non possit confessarium adire cui ignotus sit pater, Suarez et alii plures dicunt eum non teneri circumstantiam patris diffamati accusare; contrà sentiunt ut probabilius Soto, Billuart et alii adhuc plures; quia, inquiunt, infamatio apud confessarium qui ad secretum tenetur, non est incommodum æquivalens detrimento non faciendæ confessionis integræ.

Mihi videtur parvam sæpè fore infamationem; sed ordinariè potest facilè confessarius alius adiri.

(*b*) Sola major utilitas causa videtur sufficiens alium confessarium non adeundi in casibus ordinariis ubi complex manifestaretur; item aliquæ leucæ faciendæ, inquit Billuart; aut si non nisi ægrè et incommodè confessarius mutari possit; Et hæc ex eodem semper principio, quod nempè complex cesserit jure suo, et in sui apud alterius confessarium infamationem consensisse censeatur.

Non ergò redarguendi, generaliter loquendo, parochiani qui parocho confitentur cum indirectà complicum manifestatione, quandò agatur de casibus communibus. Alioquin vix posset pastor parochianos in tribunali audire et regere; imò id extendit Billuart ad alium confessarium cui noti forent incolæ alicujus loci; quod sat probo, quandò parochi vicini sese mutuò juvant in audiendis confessionibus.

Sed in casibus non communibus, v. g., si quis accusandum habeat incestum cum sorore suà confessario notà, alius adeundus est, si fieri possit sine gravi incommodo, quale non videtur solum iter ad tres leucas.

(*c*) Qui confessario suo detegit peccatum alterius ut eum moneat et corrigat, hoc ipso dat ipsi licentiam cognitione sic partà utendi, quamvis pertineret ad confessionem. Satiùs tamen de his et similibus post peractam confessionem tractatur.

APPENDIX

DE CONFESSIONIBUS ITERANDIS.

71. CONFESSIONES iterandæ sunt quotiès ob defectum essentialem fuerunt invalidæ;

Et quandò de earum validitate dubitatur prudenter (*a*).

Iteranda etiam accusatio mortalium quæ confessarius non audiisset; imò omnium, si non audita ab auditis discerni nequeant, vel si confessarius judicare nequeat de dispositionibus pœnitentis et de remediis præscribendis.

Sed caveant confessarii scrupulosi ne repetitionis onus imponant sine necessitate, aut utilitate huic gravamini prævalente.

Nota: Si pœnitens oblitus fuerit invincibiliter nullitatis confessionum suarum, iterare sufficit non in bonâ fide factas aut aliter nullas (*b*).

(*a*) Peccator sæpiùs recidivus, sed jam extraordinaria seriæ conversionis signa præbens, aliquandò relinquitur in bonâ fide circà confessiones præcedentes fortè dubiè validas, cùm prævidetur nempè quod monitus, à conversione, ob torturam falsò apprehensam, retraheretur, aut monitionem vilipenderet, sicque in malâ fide, non rediens ad tribunal, progrederetur. Sed facilè potest tunc institui ejus confessio summaria, in hoc casu necessitati sufficiens. *Dens.*

Raró verè conversi confessionem generalem respuunt, quandò confessarius ipsis promittit et dat adjutorium.

(*b*) V. g., qui post malam consuetudinem, in quâ à laxiori confessario absolvebatur, tandem emendatus, et bonâ fide prosequens, confessiones fecit validas. Sufficit iterare priores.

Ast quandònam bona fides prudenter præsumitur? Ex adunatis omnibus circumstantiis hìc judicandum. Steyaert immeritò mihi videtur dicere non iterandam esse confessionem ob ignorantiam vel oblivionem peccati, nisi negligentia videatur valdè supina et quasi affectata. Sed notant meritò Billuart et Dens peccatum, mollitiei, v. g., posse committi ex ignorantiâ vincibili et omitti, etiam pluries in confessione, ex invincibili oblivione et inadvertentiâ. Quià peccatum commissum ex ignorantiâ etiam vincibili, non relinquit speciem in mente sicut illud quod committitur scienter.

Undè concludit idem Billuart pueros, rusticos, rudes, qui bonâ fide in prioribus confessionibus peccatum aliquod ex ignorantiâ vincibili commissum omiserunt, non esse semper cogendos ad confessionem generalem; maximè si sit ipsis gravis et difficilis, aut timeatur aliquod aliud detrimentum; sed sufficer plerùmque ut instruantur et omissum accusent.

Exciperem, si habitum habuerint hujus peccati, quia denuò saltem malâ consuetudine, contritione caruerunt.

In dubio sat frequenti circà omnia hæc, iterandæ sunt confessiones. Nec difficilè, nec periculosè ordinariè iterantur, si in visceribus charitatis procedat confessarius. Aliundè quot fructus percipit indè pœnitens [748]!

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

72. Satisfactio, in genere, est voluntaria pœnæ toleratio ad compensandam aliquatenùs injuriam Deo per peccatum illatam, et redimendam pœnam graviorem per idem peccatum promeritam.

Alia est sacramentalis, alia voluntaria.

Utraque pœnam, prior tamen, vi clavium, cum proportione majorem, remittit de condigno; ac proindè opus satisfactorium debet esse supernaturale.

SECTIO I.

De necessitate et qualitatibus satisfactionis ex parte confessarii considerata.

73. Cum remissio culpæ omnem non semper importet pœnæ remissionem, necessaria est, et pars sacramenti integrans, sacramentalis satisfactio, eamque sub gravi tenetur confessarius injungere, etiamsi probabiliùs levia solùm accusasset pœnitens; alioquin sacramentum esset mutilum (*a*).

Sed cùm sæpè ad tollendam omnem pœnam reparandamque, etiam non ad apicem, quod impossibile, illatam Deo injuriam, non sufficiat satisfactio sacramentalis, monendus est pœnitens ut faciat satisfactiones quæ voluntariæ dicuntur (*b*).

(*a*) Ergo 1° injungenda videtur satisfactio, etiam statìm post confessionem moriturо; quidquid dicant quidam supponentes quòd non poterit eam adimplere; vix enim tempus non suppetit ut non possit eam implere vel antè vel statim post absolutionem, qualis esset, v. g. acceptatio dolorum vel ipsius mortis. Sacrificium nullum tunc salubrius. Posset etiam injungi eleemosyna per alium facienda. In his casibus danda major pœnitentia alia, casu quo moriturus convalescat.

Si absolvendus sit sensu orbatus, nulla ipsi imponi potest pœnitentia. Monendi tamen adstantes ut, si sensus moribundo redeat, ipsi suggerant actus fidei, etc., animo satisfactorio faciendos. *Collet.*

Ergò 2° quando peccata oblita confitenti nova datur absolutio, novo injungenda est pœnitentia, nisi saltem confessarius quam jam imposuit, ad oblita ordinaverit. Sed facilè tunc nova parva injungitur, vel pœnitenti dicitur ut priorem ad mox confessa extendat aliquatenùs. *Idem. Billuart*, etc.; novum enim conficitur sacramentum.

(*b*) Ex opere operato prodest precatio : *Passio Domini*, quam facit sacerdos post datam absolutionem, si intendat ut opera bona quæ faciet pœnitens sint in satisfactionem, et pœnitens ea ad hunc finem referat et perficiat. *Suarez, Dens, Collet*, etc. Optimè ergò de hoc monetur pœnitens, cui justâ de causâ imponitur pœnitentia justo minor.

---

74. Satisfactio injungenda non solùm sit ad vitæ novæ custodiam, sed etiam ad peccatorum vindictam (*a*).

Sit etiam pro qualitate criminum et pœnitentium facultate salutaris et conveniens (*b*).

Non solemnis, inconsulto episcopo ; nec quæ peccata occulta manifestet ; sat publica sit tamen ut scandala reparentur.

Nec gravior, nec levior (*c*)

Sed minùs gravis imponenda verè conversis de quibus timendum est ne, ob eam, à virtute deterreantur ;

Et iis qui jàm spontè satisfecerunt ;

Nec diutiùs, saltem ordinariè, duratura (*d*) ;

Nec quæ prævideatur non peragenda.

Et mitigari potest pœnitentia, cùm pœnitens dolore magno afficitur, necnon indulgentiarum tempore, si eas lucretur pœnitens. Tunc tamen aliqua imponenda est (*e*).

Cæterùm opera bona quævis, sed præsertim oratio, eleemosyna, jejunium et quæ ad illud, corpus castigando, reducuntur. Imò mala temporalia à Deo permissa acceptataque à pœnitente pro satisfactione imponi possunt.

(*a*) Imponantur ergò operà incommoda et molesta corpori. Attamen oratio etiam purè mentalis, ut potè per acceptationem sensibilis, potest pro pœnitentiâ præscribi, quià importat semper aliquid molesti. *P. Ant. à Goritiâ.*

(*b*) Pœnitentia constare debet, quantùm fieri potest, unius aut paucarum specierum operibus, nempè ob periculum oblivionis. Potest enim, etiam tunc, esse in vindictam simul et custodiam.

Conveniens sit ætati, sexui, conditioni pœnitentis.

Non noceat, saltem graviter, sanitati.

Non imaginationem lædat, nec ad impudicitiam provocet, ut saltem pro aliquibus cilicium, ex jubâ præsertim, flagellatio infrà renes, etc.

Rarò et forsan nunquàm filiis injungatur pro pœnitentiâ ut veniam petant a parentibus.

(c) Hic duo scopuli : mortale est enim levissimam pro gravibus pœnitentiam injungere, justoque longè majorem; sed et illicitè agere reprehendendique multùm videntur qui gravem pro levibus imponunt, v. g., singulis usquè ad primam confessionem Dominicis, aut visitationem SS. sacramenti, aut lectionem piam, etc.; nec excusantur sub prætextu quòd hinc procuretur diei Dominicæ sanctificatio major. Deberent saltem monere modicam talis pœnitentiæ partem sufficere, et reliquum esse solùm de consilio. Aliundè omittuntur plùs minùsve hæ graves pœnitentiæ; pœnitentesque non distinguunt quale peccatum faciant illas omittendo; et quandò pro peccatis mortalibus impositæ sunt, æquè omittuntur. Excipe tamen ab hâc decisione casum in quo pœnitentia delicto etiam mortali major, aut gravis pro venialibus imposita, referretur ad unum è finibus à Tridentino indicatis, nempè ad novæ vitæ custodiam, infirmitatis medicinam et præteritorum vindictam. Sic puero ob furtum leve severa imponitur pœnitentia et rigida restitutio. *Dens.* Monerem tamen eum de levitate peccati in se. Nec puto ad excedendum sic in impositione pœnitentiæ sufficere relationem quamcumque ad unum ex dictis finibus, alioquin pœnitentia gravis posset semper pro levibus injungi; sed requiri relationem plusquàm communem.

Jejunium unius diei, unius missæ auditio, unius rosarii aut psalmorum pœnitentialium recitatio una, ut pœnitentia gravis nunc habetur; ut levis verò unius aut alterius psalmi recitatio, etc. *P. Ant. à Goritiâ.*

Unius aut plurium coronarum recitatio pro uno aut pluribus mortalibus non sufficit, inquit Manuale Genevense.

Pro peccato mortali, ebrietatis v. g. quæ fuerit sinè scandalo, D. Dens injungeret recitationem, flexis genibus, duobusque diebus, psalmi *miserere*, duplex in eàdem hebdomade jejunium, et eleemosynam dupli quod consumptum est in potando. Et hæc omnia intellige de confessionibus ordinariis. In generalibus enim necessariis si progressio adhiberetur, impossibilis evaderet pœnitentia.

(d) Rarò ultrà annum pro plebeiis, etiam in confessionibus generalibus. Potiùs tamen longa quàm nimis dura.

(e) Vel saltem injungenda in pœnitentiam opera quæ pro lucrandis indulgentiis indicantur, inquit P. Ant. à Gorit. Sed non sola certè; nam post magnas indulgentias jubilæi, missionum, etc., pœnitentes insuper indigent adjumentis contrà relapsum.

Potest et mitigari pœnitentia cùm injungitur restitutio, reconciliatio cum inimicis, fuga occasionum, etc., *idem.*

Sed quamvis pro pœnitentiâ imponi possit probabiliùs res jam præcepta, tutius tamen est hanc non imponi solam, imò rarò imponenda est ut vindicativa, sed solùm, ubi opus est, ut medicinalis.

---

75. Confessarius exigere potest, saltem ex parte, præviam absolutioni satisfactionem, sed solùm ab ignavis. Non enim licet recedere ab usu Ecclesiæ quæ id non exigit.

SECTIO II.

De necessitate et qualitatibus satisfactionis ex parte pœnitentis consideratæ.

76. Ad validitatem sacramenti tenetur pœnitens acceptare pœnitentiam sibi prudenter impositam (*a*).

(*a*) Si non prudenter imponatur, pœnitens monere debet confessarium de impossibilitate, difficultate, etc., eam adimplendi; et si non acquiescat confessarius, alium adire potest.

Secùs, si pœnitentia justa sit, quià non licet sacramentum inchoatum relinquere sine causâ, et fugere judicium sacerdotis cui se pœnitens jàm subjecit.

Si tamen pœnitens sentiat se pœnitentiâ nimis gravatum, et mitiorem petat, ipsi aliquandò, sed non semper annuendum.

Ast potestne confessarius prævidens gravamen pœnitentis, partem pœnitentiæ ejus in se suscipere! alii negant, quia satisfactio, quà sacramentalis, impleri nequit per alium. Quidam tamen affirmant quatenùs pœnitentia est vindicativa. Sic fecisse S. F. Xaverium legitur in ejus vitâ.

Ob communionem sanctorum, inquit P. Thomas ex Charmes, pœnitentia concedi potest implenda partim per alium qui eam implendo debet esse in statu gratiæ. Sed id praxi contrarium.

---

77. Ad sacramenti verò integritatem tenetur pœnitens, et quidem certò sub mortali, pœnitentiam gravem sibi pro lethali nondùm anteà remisso impositam adimplere, nisi causâ legitimâ excusetur (*a*).

Quin et partem ejus, saltem valdè notabilem omittendo mortaliter peccaret.

Imò debet pœnitens satisfactiones voluntarias ad satisfaciendum Deo assumere, si levior imposita sit ipsi pœnitentia.

Si tamen confessio fuerit invalida, pœnitentia non obligat ratione procurandæ integritatis sacramenti, cùm sacramentum non existat.

Sed nota ordinariè existimare pœnitentes se etiam tunc teneri eam adimplere.

(*a*) Non conveniunt quodnam peccatum committat qui pœnitentiam gravem pro peccatis levibus aut lethalibus jam anteà remissis impositam non implet. Peccatum illud ut dubium mortale ad minùs habeo, si pœnitentia ex toto omittatur, quia sacramentum privatur parte integrante. Idem dicerem de casu in quo pœnitentia levis omitteretur ex integro, quamvis plures ibi non

videant nisi veniale, etsi pœnitentia illa levis fuisset pro mortalibus nondùm remissis imposita. Aliundè peccatum esset non raro mortale, ex eo quòd fideles sæpè forsan sic existiment.

78. Sub mortali ex genere suo pœnitentia implenda est tempore præfixo, maximè si tempus gravi de causâ determinatum sit, ità ut fiat quasi pars pœnitentiæ (*a*).

Si autem tempus nullum determinatum sit, quamprimùm moraliter implenda (*b*).

(*a*) v. g. instante vel urgente tentatione, occasione præsente. Si enim tunc temporis non impleretur pœnitentia, finis ejus totalis fortè non attingeretur.

(*b*) Dilatio ad mensem aliquibus non videtur mortalis; nec dilatio ad octo post mensem dies, si singulis mensibus præfixa sit pœnitentia. Quod faciliùs quàm prius crederem.

79. Causæ ab impletione pœnitentiæ excusantes sunt, præter impotentiam physicam aut moralem (*a*), ipsius in aliam legitima commutatio, id est :

Commutatio facta (*b*) justam ob rationem ; ut si pœnitentia nimis difficilis aut minùs utilis evaserit; periculum transgressionis, etc.

Et à sacerdote in tribunali, causâ cognitâ; commutatio enim pœnitentiæ est actus judicialis (*c*).

Undè pœnitens ipse, nequidem in melius, eam commutare potest; quia elevata est ad opus sacramentale et satisfactoria est ex opere operato. Sacramentum fieret mutilum.

(*a*) Sive ex parte operis præscripti veniat impossibilitas, sive ex parte pœnitentis, qui, v. g, pœnitentiæ oblitus confessarium qui eam imposuit interrogare non potest.

Suarez, Billuart, etc., à pœnitentiâ liberant eum qui ex quâcumque causâ eam implere nequit, hìc ratiocinantes sicut de impossibilitate legem implendi, modò tamen aliter Deo satisfiat. Id extendit Billuart ad casum in quo pœnitens suâ culpâ pœnitentiam oblitus esset, quia, v. g., ejus executionem diutiùs procrastinatus est. Hi ergò ad repetitionem confessionis tunc non obligant, sed consulunt solùm ut in confessione sequenti, alia pœnitentia, pro oblitâ petatur, et qualis ipsis dari solet.

Alii verò post Bonacinam ad aliam pœnitentiam petendam obligant, ut sacramentum reddatur integrum, et in casu oblivionis exigunt iteratam confessionem, duplicisque pœnitentiæ impositionem, unius pro oblitâ, ad sacramenti integritatem; alterius pro actuali sacramento, quia danda nova absolutio est. Hæc in praxi tenenda videtur sententia saltem ut tutior, vel

ex hoc quòd pœnitentia sit medicinalis, et quod congruam pro oblitâ non sibi imponeret pœnitens, maximè recens conversus.

De iterandâ confessione statim dicam.

Attamen in confessionibus frequentioribus, videtur confessarium dicere posse pœnitenti : si pœnitentiæ fueris oblitus, aliam substitues; quia tunc substituenda sacramentaliter imponitur.

(*b*) A priori non magis recedendum quàm ratio causæ exigit. *Dens.*

(*c*) Si ergò ab eodem sacerdote pœnitentia immutetur, aut nova imponatur pro oblitâ, non requiritur sacramenti novi confectio, modò statim aut ferè statim post absolutionem, et sacerdos memor sit statûs pœnitentis, quià idem est actus judicialis, moraliter loquendo. Ità communiter : nec desunt qui moralem hanc ejusdem judicii continuationem extendunt ad spatium plurium horarum, imò dierum, quod sat arridet, sed non tutum.

Si autem non statim aut ferè statim post absolutionem immutetur pœnitentia, et à fortiori alia detur pro priori oblitâ, iterandum est probabiliùs totum sacramentum, quia est alia confessio.

Sed in præsenti casu sufficit repetitio peccatorum in communi, si confessarius confusam saltem habeat adhuc eorum memoriam.

Ast si pœnitentia immutetur ab alio confessario, aut alia pro oblitâ detur, certiùs est iterandum esse sacramentum, quin tamen adeò distincta exigatur peccatorum annotatio ac si non fuissent jam condonata. Sufficit, inquit Collet, cognoscere statum pœnitentis.

Sunt tamen qui dicunt novum confessarium posse, cognitione præcedentis pœnitentiæ, scire qualitatem novæ imponendæ, excepto tamen casu in quo pœnitens mutationem peteret, quia irrationabiliter fuisset ipsi imposita pœnitentia; aliter enim ageret incognitâ causâ.

Nota : disputant 1° an secundus confessarius, pro reservatis non approbatus, possit mutare pœnitentiam pro reservatis impositam. 2° An mutatione acceptatâ, possit pœnitens ad priorem redire. Affirmativè, juxtà probabiliorem, ad primum respondent contrà Suarez et alios Bonacina, Neesen et P. Ant. à Goritiâ. Affirmativè etiam ad secundum Billuart, etc. Sed casus hi non sunt sat frequentes ut discutiantur.

Nota iterum : quandò immutatur pœnitentia, reservandum aliquid de priori, ut priori sacramento sua servetur integritas. *P. Gab. Ant.*

Et tandem : non facilè immutandas pœnitentias.

---

80. Pœnitentia ante absolutionem implenda non exigit statum gratiæ [128, *b.*], nec, saltem sub gravi, post absolutionem (*a*).

(*a*) Benè verò sub levi; tunc pœnitentia suum non consequitur effectum, remissionem nempè pœnæ temporalis. Sed juxtà plures illum habebit, remoto per conversionem peccato mortali. Imò, sublato affectu ad peccatum, satisfit pœnitens latè de congruo.

Saltem non probabilior nec praxi conformis est sententia eorum qui volunt iterandam impletam in peccato mortali pœnitentiam, nisi in actu aut in affectu peccati peracta sit.

Ad cautelam tamen danda est pœnitentia, cujus pars saltem statim à receptâ absolutione impleatur; imò ei qui eam in statu peccati implevit, major imponenda. *Varii.*

APPENDIX

DE INDULGENTIIS.

81. INDULGENTIÆ, quæ mediis Deo satisfaciendi meritò adjunguntur, eo maximè quod per opera aliqua satisfactoria nobis applicentur, sunt dispensatio thesauri spiritualis Ecclesiæ ex meritis Christi infinitis et superabundantibus sanctorum satisfactoriis resultantis, in remissionem pœnarum temporalium quæ pro peccato debentur.

Aliæ sunt plenariæ, remissio nempè generalis, seu sine limitatione, pœnæ peccato debitæ.

Aliæ non plenariæ, seu partiales, septenæ, v. g., quadragenæ, quæ sunt determinata remissio pœnæ peccato debitæ (*a*).

Aliæ ad tempus, septennium, v. g.;

Aliæ in perpetuum conceduntur.

Et his annumerandæ, quæ sine affixo durationis termino.

Aliæ loco vel rei;

Aliæ personæ alligantur.

Aliæ in vitæ decursu;

Aliæ in termino lucrandæ.

Aliæ tandem defunctis applicabiles;

Aliæ iis non applicabiles.

(*a*) Alii aliter definiunt. Indulgentiam plenariam dicunt quæ totam, partialem quæ partim pœnam canonicam remittit, proportionatamque in purgatorio subeundam. Sed cum non concordent circà majorem vel minorem indulgentiarum vim, sciatque nemo quanta purgatorii pœna per pœnitentiam canonicam remissa fuerit, sufficit annotare indulgentias non eximere ab obligatione Deo satisfaciendi, iisque advenientibus non cessare pœnitentias sacramentales, anteà saltem impositas.

---

82. Indulgentias S. Pontifex, Nuntii apostolici, Concilia generalia,

Et aliquas Archiepiscopi in sua archidiœcesi, Episcopi, Cardinales concedere possunt (*a*).

(a) Controvertitur an Capitulum, vel Vicarius, sede vacante, hâc potestate gaudeat.

---

83. Ad lucrandas indulgentias requiritur,

1° Intentio (*a*);

2° Status gratiæ et quidem ad peragenda opera præscripta, si id Bulla exigat; si dicat, v. g. : *præmissâ sacramentali confessione. Qui confess.* etc. *tale opus fecerint.*

Aut si opus, ad indulgentias lucrandas designatum, ad Deum placandum præscriptum sit.

Aut si factum in statu peccati non contribueret, ob quamcumque aliam causam, ad finem à concessore indulgentiarum intentum.

Extrà hos casus sufficit ut opera præscripta animo peragantur pœnitenti, et ad Deo satisfaciendum, modò tamen compleantur in statu gratiæ (*b*).

Sed ad lucrandam indulgentiam plenariam requiritur insuper ut nullus habeatur ad veniale quodvis peccatum affectus (*c*).

3° Adimpletio operum præscriptorum, et quidem quo tempore præscribuntur (*d*).

Non tamen totam amittit indulgentiam qui aliquid parvi in se, aut relativè ad opus præscriptum, ex eo omittit, vel peccat leviter in illo exequendo; modò saltem peccatum non habeat se ut finem operis, nec illud reddat demeritorium.

Nota : Verisimilius est, ni aliter dicat Bulla, bis faciendum esse opus præscriptum, si aliundè jam præceptum sit, nisi eodem cadat tempore, saltem aliquandò [129, *b*].

(*a*) Sufficit virtualis, imò habitualis, juxtà P. Thomam ex Charmes, etc. Ità ut sufficiat intendere lucrari omnes indulgentias quæ per opera facienda lucrari possunt.

Saltem probabilius est sufficere intentionem manè habitam omni diei, etc.

Sed indulgentia defunctis applicabilis, iis non applicatur, nisi expressè id intendatur.

(*b*) Aut status gratiæ adveniat durante tempore concesso ad indulgentiam. *Sylvius.*

(c) Imò affectus ad veniale impedit ne pars quidem indulgentiæ plenariæ lucretur, inquiunt aliqui; et, juxtà alios, ad indulgentiam plenariam totali-

ter consequendam, requiritur spiritus pœnitentiæ vehemens, et ut satisfactio aliundè non negligatur.

(*d*) Si Bulla dicat: *præmissâ sacramentali confessione*, vel: *qui confessi fuerint*, sat communiter docent confessionem esse præmittendam, etiamsi sola venialia commissa sint, nisi fortè morem quis habeat semel saltem in hebdomade confitendi; quia ità declarasse dicunt Clementem XIII.

Si verò Bulla dicat solùm: *contritis et confessis*, aut *verè pœnitentibus et confessis*, verisimiliùs est, si forsan Jubilæum excipias, venalium solùm reis confessionem non esse præscriptam.

Nota: confessio, aut loco ejus contritio, in ordine ad lucrandam indulgentiam diei alicui affixam, non debet præcedere primas vesperas hujus diei.

---

84. Indulgentia rei, v. g., coronæ precatoriæ affixa, non transit ultrà personam, quia licèt realis, ad personam ordinem dicit.

Non tamen, ut suspicantur quidam, amittitur indulgentia, si res cui affixa est, alteri commodetur, modò non ad lucrandam indulgentiam.

Bene verò si ita destruatur, ut eadem, moraliter loquendo, non remaneat.

---

85. Circa quæ notandum:

1° Indulgentiam plenariam diei affixam lucrari pluries in die nemo potest;

Nec plures per idem opus.

Sed plenariam, per totam octavam alicujus festi lucrandam, singulis intrà diebus, lucrari quisque potest, ni Bulla aliter dicat;

Item partialem pluries eâdem die, repetendo idem opus, ni aliter dicatur.

Pensanda ergò omnià verba Bullæ seu Brevis.

2° Eadem Ecclesia geminâ indulgentiâ potiri nequit.

Attamen piæ confraternitates, in loco jam indulgentiâ communi donato, specialem obtinere possunt.

3° Circà altaria privilegiata:

Cessat privilegium eâ anni parte (*a*) quâ non celebratur idem missarum numerus qui in supplicâ expositus est. Sic declaravit S. congregatio.

Missa in iis altaribus pro defunctis celebrata, illis debet applicari, et essè propria defunctorum, exceptis diebus do-

miniicis, duplicibus, octavis Paschæ, Pentecostes, festis corporis Christi et aliis quibus, attento Ecclesiæ ritu, prohibitum est celebrare missam *de requiem*.

4° Cùm, anno magni jubilæi Romæ celebrati, suspenduntur generaliter indulgentiæ, excipiuntur indulgentiæ altarium privilegiatorum aliæque defunctis applicabiles. Nonnullas alias sæpè adhùc excipiunt Bullæ.

(a) Etiamsi, juxtà quosdam, numerus hic non cessaret, nisi uno aut altero die.

CAPUT IV.

DE ABSOLUTIONE.

86. Absolutio [696], quæ apud nos indicativa est, consistit in his verbis : *Ego te absolvo à peccatis tuis. In nomine,* etc.

Ad validitatem sufficiunt probabiliùs hæc verba : *te absolvo*, et in casu necessitatis sola adhiberentur, addendo tamen, si per tempus liceret : *ab omnibus censuris et peccatis, in nomine*, etc.

Sed ad licitatem verba omnia proferenda sunt ab *ego te* ad *et Spiritûs Sancti. Amen* (a).

Nec omittenda cætera, maximè quæ formam immediatè præcedunt, et incipiunt ab his : *Dominus noster* (b).

Et levanda per modum impositionis manus, efformandumque signum crucis cùm dicitur : *In nomine Patris*, etc. (c).

(a) Sub gravi, inquiunt alii contra alios. Saltem sub gravi dicatur : *à peccatis;* quin sine his aliqualiter dubia esset forma. *Billuart.*

(b) Dicit Tridentinum preces quasdam fuisse de ecclesiæ sanctæ more laudabiliter verbis formæ adjunctas. Undè ob concursum populi possunt sine vel veniali peccato omitti, inquiunt aliqui, qui iterùm non nisi veniale vident omittere verba *in nomine Patris, etc.*

Ast nescio an sit alicubi praxis ut omittantur, ob populi concursum, verba immediatè præcedentia, benè verò, saltem in aliquibus ecclesiis, quod non redarguerem, preces : *Misereatur*, etc. *Indulgentiam*, etc. *Passio Domini nostri.*

Possunt etiam omitti in confessionibus brevioribus et frequentioribus, inquiunt ritualia Romanum, Bisuntinum, etc.

Exciperem si pœnitens prece *passio Domini, etc.*, multùm indigeat [73, *b*.].

(c) Adeò pauci sunt qui manus impositionem aut elevationem ut essentialem habent ad validitatem sacramenti, ut prudens circà hoc haberi non possit dubium, si ritus hic fuerit omissus.

---

87. Conditio (*a*), variis in casibus, justâ de causâ, absolutioni apponitur, modò tamen de præsenti sit vel de præterito.

Conditiones autem pro præcipuis casibus, apponendæ sunt : *Si sis vivus, si sis absolutionis capax, si sufficientem habueris rationis usum;* vel : *si peccasti* (cùm nempè peccatum dubium est); *si sis rationis capax; si Ecclesiæ opem expostules* (cùm quis religionis ignotæ absolvitur); *si non te absolvi.*

Nunquàm tamen apponenda, saltem extrà casum extremæ necessitatis, hæc conditio; *Si sis dispositus* (*b*). Si enim posset pro libito apponi, nulla alia præcautio adhiberetur ad vitandum sacrilegium.

(*a*) Non necessariò voce exprimenda. *Collet.Dens.*

Conditiones nunquàm sunt necessariò, sed de meliori tantùm, apponendæ, inquit praxis Bajocensis, quia semper supponuntur. Cùm tamen contrà sentiant aliqui, apponendæ sunt ; sed mortaliter peccaretur, si sine justâ causâ. Justæ autem causæ sunt, fatentibus omnibus, v. g., mortis periculum; peccatum dubium mortale in quo pueri aut semiamentes essent longo tempore relinquendi; præceptum annuæ confessionis implendum. Sunt tamen qui hæc negant.

(*b*) Fatentur omnes. Sed hæc conditio potestne apponi in casu saltem extremæ necessitatis, v. g., absolvendo moribundum sensu orbatum ignotæ religionis, vel qui confessionis nulla signa dedit nisi valdè dubia? Non arbitrantur Lovanienses plures, voluntque sacramentum tunc esse nullum, sed adeò plures existimant validè tunc dari adsolutionem, si conditio vera sit, ut eorum sententia communissima videatur. Pro eâ stant praxis Basileensis et constitutiones Lausannenses, etc.

Billuart hìc hæret incertus, consulitque tanquàm à rectâ ratione suasum ut mente solùm retineatur conditio, sive quia, si proferatur, de validitate talis formæ controversia est aliqua; sive quia nunquàm Patres, Concilia et Ritualia talem formam probarunt nisi in certis casibus pro baptismo et extremâ unctione.

Tutiùs est ergò talem formam non adhibere, sed simpliciter absolvere, inquit D. Dens, in hoc coincidens aliquatenùs cum praxi Bajocensi, quæ inutilem arbitratur conditionum appositionem. Docebatur in seminario Bisuntino moribundum sensu destitutum, jacentem ad latus regionis acatholicæ posse absolvi sub conditione : *Si expostulas opem Ecclesiæ.* Sequatur unusquisque suæ diœcesis praxim.

---

88. Ut validè detur absolutio necesse est ut pœnitens benè

dispositus præsens sit moraliter, et ut dici possit confessarium exercere actum legitimè judicialem (*a*).

Undè extrà casum necessitatis absolutio cadere debet super unum saltem peccatum certum et speciale (*b*).

(*a*) Præsentia est moralis, quandò confessarius et pœnitens se mutuò audire possunt, quamvis aliquid intercedat, et voce solitò altiori loquendum sit, præsertim si pœnitens sit adhùc in conspectu, licèt septem aut octo pedibus jam distans.

Sed in casu necessitatis absolvendus esset homo in majori distantiâ, cùm videretur v. g. cadens è tecto vel in aquas, quia tunc præsentia moralis sub oculis habetur saltem dubia.

Ut autem actus judicialis exerceatur, requiritur, præter jurisdictionem, et sufficit quòd ex omnium peccatorum confessione habeatur virtuale judicium de statu peccaminoso pœnitentis, ad quod satis est confusa peccatorum reminiscentia, confusa statûs pœnitentis cognitio. *Varii.*

Ergò invalidè absolveret confessarius qui nequidem veniale percepisset, quia æquè est ac si nulla esset confessio. *P. Gervais.*

In missionibus necesse non est repetere confessiones generales, etiam à mensibus pluribus factas, quamvis confessarius non recordetur peccatorum. *Praxis Bajocensis post Sanbovium.* Et reverà videtur eumdem esse actum judicialem continuatum. Si tamen pœnitens non reminiscatur impositæ sibi pœnitentiæ, non videtur, quidquid dixerint, eum posse absolvi sine novâ quâdam generali confessione; nam imponenda est nova pœnitentia, quod fieri nequit, nisi cognoscatur quàm mala fuerit vita pœnitentis. Consultò igitur talis primò imponatur pœnitentia, quæ in memoriam revocet confusam peccatorum notitiam. Et si, inquit P. Gervais, confessarius nullius peccati in particulari recordetur, unum aut alterum à pœnitente sciscitari debet. Et nihil obstat quin antè absolutionem dicat ei : *Accusas te denuò de omnibus quæ hucusquè confessus es, et de oblitis.* Et id curandum. *Theol. Pict* [60, *a.*]

Sed cavendum ne torqueantur pœnitentes et confundantur per iteratam peccatorum confessionem.

(*d*) Si ergo non nisi dubia accuset pœnitens, ut accidit sæpiùs in cogitationibus contrà castitatem, in distractionibus recitando preces, in cooperatione peccatis alienis, etc.; curare debet confessarius ut aliquod vitæ anteactæ peccatum certum dictu non difficile, de quo actu pœniteat, denuò confiteatur, ut possit absolvi.

---

89. Ut verò licitè detur absolutio, extra casum necessitatis, requiritur insuper et sufficit judicium de legitimâ dispositione pœnitentis sat prudens, ut efformet certitudinem moralem latè dictam (*a*).

Undè timor, imò prævisio relapsûs non semper impedit absolutionis beneficium. Nihilominùs sæpè tunc adhibenda ejus dilatio, saltem tanquàm medium perseverantiæ.

In necessitate absolvendus est dubiè dispositus (*b*) [733]

Certò indispositus nunquàm [734].

Sed cùm in necessitate absolvitur dubiè dispositus, monendus est ut, transactâ necessitate, si forte, ritè se disponat et confessionem iteret, si apud alium confessarium, nec alia sacramenta intereà recipiat.

(a) Id est, ut excludat dubium, quamvis non omnem formidinem. Non enim, inquit D. Thomas, in actibus humanis invenitur certitudo sicut in demonstrativis. Sufficit ergò certitudo materiæ conveniens, seu judicium nixum motivo comparativè gravi et probabiliori, seu formatum ex veris pœnitentiæ signis, quæ non elidantur per signa suspecta. Sic suspectam reddit contritionem suam etiam magis apparentem, qui, non ex pusillanimitate aut fragilitate, sed sincerè vel minaciter et ad extorquendam absolutionem indebitam, dicit se non ampliùs confessurum, si non absolvatur.

(b) Semper quidem in extremâ. Ast quid in gravi? Comparandum est periculum quod gravem reddit necessitatem, cum periculo profanationis sacramenti, inquit dominus Dens, et dari potest absolutio, si necessitas prævaleat periculo indispositionis pœnitentis. Sic absolvitur antè partum periculosum mulier dubiè disposita, miles antè prælium. Ità multi.

Saltem tunc tollendum est dubium quantum possibile est.

Et ut gravem, sed videtur immeritò, habent alii necessitatem, quandò timetur pœnitentis desperatio, aut aliud ipsius grave detrimentum spirituale, ut lapsus ex pusillanimitate in graviora delicta; vel ne pœnitens semel dimissus non revertatur ampliùs ad ullum confessarium.

Meliùs notant aliqui absolvi posse pœnitentem qui, ex imperitiâ vel negligentiâ confessarii, in peccatis perseveravit, si monita fidenter acceptans, prudentem confessarium in posterùm sit aditurus; dùm è contrà, non datâ absolutione, ad imperitum et laxum reverteretur.

Notatu inutile gravem non constituere necessitatem præceptum annuæ confessionis et communionis, lucrandam indulgentiam, infamiam vel scandalum, aliosve qui solent objici prætextus; quamvis sint sæpè causæ efficaciùs adhùc conandi ad veram contritionem adducere tunc pœnitentes.

Sunt qui inter causas accelerandi absolutionem presbyteri, collocant, si pastor sit, et die festo missam pro populo prætermittere nequeat sine scandalo. Verùm meritò contrà sentiunt alii. Mallem ego omnia pati quàm talem absolvere dubiè dispositum. Habet medium, contritionem nempè perfectam, quæ cum gratiâ in ipsius potestate est.

---

90. Omni ritè disposito et petenti, etiam solùm implicitè, concedi debet sub gravi absolutionis beneficium, nisi justa sit causa illud differendi, ut sæpè si prævideatur relapsus (a).

(a) In genere causa rationabilis est absolutionem differendi, quandò ex dilatione speratur notabile bonum, quale et quantum non sequeretur ex præcoci absolutione. *Dens.*

Existimarunt Lovanienses solam utilitatem pœnitentis causam non esse sufficientem differendæ absolutionis, si pœnitens invitus sit. Sed meritò contrarium sentiunt alii, Lugo, P. Gabriel-Ant., Billuart, etc., quia medicus

justè pro brevi tempore recusat medicinam posteà cum fructu meliore applicandam. Confessarius autem medicus est, arbiter, rector, non tantùm judex, nec jus habet pœnitens ut has omnes qualitates suas abjiciens, judicis solùm qualitatem retineat.

APPENDIX

DE JURISDICTIONE NECESSARIA AD ABSOLVENDUM.

PRÆNOTANDA.

91. Jurisdictio, seu potestas regendi ecclesiastica, est:

Vel fori externi gratiosi, cùm nempè per solam voluntatem superioris exercetur, et vocatur voluntaria; vel contentiosi, si cum apparatu judicii; et tunc contentiosa dicitur.

Vel fori interni, pœnitentiæ nempè aut conscientiæ.

Actus jurisdictionis fori externi valent coram Deo et hominibus;

Actus verò fori interni solùm coram Deo.

De foro pœnitentiæ hìc solùm.

Porrò nullus major defectus quàm potestatis. Attamen in materiâ præsenti omnia ferè controversa, et sæpissimè nullus è dubio exeundi locus, quàm ad superiores à quibus jurisdictio pendet, recursus (*a*).

(*a*) Ab initio enim quæstionis jam scinduntur theologi.

Plures requirunt ad exercendam licitè jurisdictionem, certitudinem moralem strictè dictam quòd habeatur jurisdictio; quia, inquiunt, nullus major defectus quàm potestatis, et jurisdictionem non supplet opinio probabilior quòd habeatur.

Alii, ut Collet et Billuart, ad quos per suum quasi silentium accedunt P. Gabriel Ant. et D. Dens, dicunt posse hìc teneri in praxi opinionem probabiliorem, quia cùm quis probabiliùs ac proindè prudenter existimat se habere jurisdictionem, prudenter agit ac proindè Ecclesia eam supplet, si de facto non habeatur. Aliundè, addunt iidem, talis est confessariorum consuetudo, et consuetudine jurisdictio acquiritur. Nec hìc ratiocinandum, sicut cùm agitur de dubio aliquo circà materiam et formam sacramentorum, quas supplere non potest Ecclesia.

Alii dicunt sufficere ut habeatur de existentiâ jurisdictionis opinio probabilis. Sic Neesen. Dubitat Suarez.

Alii tandem medium tenent dicendo sufficere opinionem probabilem in casu necessitatis quamvis non absolutæ, v. g., cùm absolvendus est sacerdos qui debet celebrare ad vitandum scandalum. Sic Suarez, De Lugo, etc.

Non ut scrupulosum haberem qui, extrà casum necessitatis propriè dictæ,

in quo Ecclesia, ex consensu omnium, supplet jurisdictionem, non uteretur jurisdictione sive relatè ad personas, sive relatè ad peccata, in opinione probabiliori et à fortiori simpliciter probabili, fundatà. Nam Ecclesia non damnavit tutioristas, nec declaravit se supplere jurisdictionem in dictis casibus. Fatetur Collet esse quàm primùm ad superiorem recurrendum, ut vitetur anxietas. Præveni eam.

SECTIO I.

De jurisdictione in se consideratâ.

92. Præter ordinis characterem, jurisdictionis potestatem requiri ad absolvendum clarè docet Tridentinum, sess. 14. cap. 7.

Est autem hæc potestas, prout hic sumitur, auctoritas quâ sacerdos, tanquàm judex, potest in actu secundo sententiam absolutionis ferre in subditum.

Ad eam reducitur nunc approbatio, quamvis essentialiter discrepans. Nam hæc est simplex testimonium idoneitatis, quam supponit, sed non necessariò subsequitur concessio jurisdictionis (*a*).

Jurisdictio alia est ordinaria, quæ fundatur in titulo intrinseco, in beneficio nempè, in dignitate vel officio curam animarum importante immediatè.

Alia delegata, quæ aliquandò ex jure vel consuetudine, sed ordinariè ex merâ venit concedentis voluntate, ac proindè voluntatis hujus limites non excedit (*b*).

Jurisdictionem saltem ordinariam supplet titulus coloratus cum errore communi.

Titulus coloratus ille est qui apparet secundùm leges acquisitus, sed qui, ob defectum ignotum, nullus est.

Error verò communis est error communitatis, nec illum impedit paucorum notitia, benè verò multitudinis ignorantia affectata, imò et saltem valdè supina quæ scientiæ æquiparatur.

Titulus coloratus et error communis debent, saltem probabiliùs, unà concurrere (*c*).

(*a*) Undè jurisdictione etiam ordinariâ gaudentem potest Episcopus ex justâ causâ ad examen revocare et minùs idoneum repertum suspendere.

Dens post Neesen, etc., Sic, inquit, declaravit sacra congregatio, 26 Aug., 1628. Vide, Trident., sess. 21. cap. 1. de reformatione.

(b) Qui apud nos vocantur Succursalistæ jurisdictionem solùm delegatam habere tradit clarè D. Renatus Dumoustier de Merinville, Archiepiscopus Camberiensis, in suis regulis ad confessarios; idque confirmare videtur usus succursalistas à suis ecclesiis amovendi pro libito. Attamen S. P. videtur mentem habuisse in concordato anni 1801, ut succursales forent veræ parochiæ, non enim distinguit (distinguunt articuli organici) et parochiis dotem assignat quam dabit gubernium. Aliundè extraordinarium nimis videtur nullos nunc in Galliâ jurisdictionem ordinariam habere præter Episcopos et curatos ecclesiarum quæ dicuntur *chefs-lieux de canton*. Demùm facile non esset definire quid sint ecclesiæ succursales, cùm in illis jurisdictionem ordinariam non habeant curati *de canton*.

Ast si Episcopi ad has ecclesias instituendo, non habeant intentionem conferendi jurisdictionem nisi delegatam ordinariam sibi vindicare ad minùs summè temerarium esset.

Delegatio datur aliquandò indirectè, cùm nempè datur alicui facultas confessarium sibi eligendi; sed semper subauditur *ex approbatis*.

Delegatio, etiam quam appellant tacitam et sufficientem, debet signo aliquo et de præsenti manifestari. Undè non sufficit quòd superior videat et non contradicat, ut opinantur aliqui. Juxtà D. Dens et alios, non est necesse ad validitatem ut delegatio manifestetur et acceptetur, in hoc sensu quòd validè absolveret qui inscius esset delegatus.

(c) Titulus coloratus non videtur titulus, nisi veniat à potestate legitimâ. Ast titulus delegationis potestne esse coloratus, supplereque jurisdictionem delegatam, si adsit error communis? Existimant communiter et notatim sic tenet manuale genevense. Reverà eædem ac pro jurisdictione ordinariâ militant rationes. Sed non crederem saltem (quamvis plures sic sentiant) errorem esse communem, et eo ipso confessarium approbari, quòd sit expositus populo, et communiter reputetur confessarius. Habet quidem pro se errorem communem, sed non habet titulum coloratum, cùm nullum habeat. Ità Sanchez, Dens et P. Ant. à Goritiâ qui citat declarationem sacræ congregationis.

Nec etiam tutò adhærerem sententiæ eorum qui volunt delegatam habere adhùc jurisdictionem eum cujus, elapso tempore, finita est, aut cujus fuit occultè revocata, si adhùc gerat se ut confessarius. Ratio quam affert Billuart, nempè titulum qui finitus est posse in aliquo sensu haberi pro colorato, etsi apparens, non sat movet ut hæc sententia in praxi admittatur sine ullâ anxietate. Attamen communis est.

Nec à fortiori factitari, imò nec teneri posse videtur quod iidem addunt, nempè validè à reservatis absolvere confessarium, qui dicit se talem habere potestatem, cum non habeat; quia licèt habeat titulum pro aliis peccatis, non habet pro reservatis.

Nota : graviter peccat qui utitur titulo colorato.

---

93. Jurisdictio ordinaria incipit cùm acquiritur titulus cui annexa est (*a*).

Delegata vero, cùm datur commissio (*b*).

(*a*) Ast, an per institutionem acceptatam? an per apprehensam possessionem? De hoc olim jam disputabatur.

(b) Commissio datur succursalistis per modum institutionis, aliquandò saltem, quod contradictionem importat in verbis, si succursalistæ non sint nisi delegati.

Quandò succursalista ad aliam ecclesiam nominatur, cessatne ex tunc habere in priori jurisdictionem? cessatne administratoris jurisdictio per nominationem et institutionem alicujus ad ecclesiam viduam? Soli superiores possunt has novi juris quæstiones dirimere.

In diœcesi Bisuntinà, ex statuto anni 1744, à novo rerum ordine renovato, mortuo curato vel succursalistà, vicario, si quem habeat, vel succursalistæ aut curato viciniori devolvitur parochiæ viduæ administratio cum omni jurisdictione, usquequò aliter provideatur. Sed hi amittunt administrationem si, intrà tres dies à morte parochi, litteras super hoc ad ordinarium mittere neglexerint. Si per oblivionem non scribant, jurisdictionem non amittunt. Non necesse est ut intrà tres dies litteræ perveniant.

---

94. Jurisdictio ordinaria amittitur per ablationem tituli cui annexa est.

Cessat verò simpliciter per dimissionem tituli completam, id est, acceptatam acceptatione titulari notificatâ;

Et per adeptionem alterius tituli loco prioris (a).

Delegata autem amittitur per revocationem notificatam.

Cessat vero simpliciter elapso totaliter tempore ad quod limitata fuerat (b);

Et deficiente quâlibet aliâ conditione sub quâ fuisset concessa (c).

Sed non cessat morte concedentis (d);

Nec dimissione tituli cui non erat annexa, ita ut parochus, v. g., titulum suum dimittens, non amittat quàm antè adeptionem hujus tituli jam habebat sine limitatione delegatam, etiam quoàd reservata, jurisdictionem, nisi de contrariâ episcopi voluntate constet. In dubio consulendus.

Undè ut principium statui potest : cessante jurisdictione ordinariâ non cessat ideò jurisdictio delegata, nisi ordinariam præsupponat (e).

(a) Sed quonam præcisè tempore? Nescio. In his et similibus casibus tutò obtinetur potestas delegata, pro toto tempore quo durare posset dubium.

(b) Hic ultima dies tota computatur, quia favores convenit ampliari. *Manuale genevense.*

(c) Hinc si vicarius post verum exitum reverteretur, indigeret novâ delegatione, quia cessasset esse vicarius. Secùs si merum habuisset exeundi propositum, etiam manifestatum. In dubio quod in his casibus non rarum est, petenda est nova delegatio.

(d) Nisi concessa fuerit pro casu et personâ particulari, et res adhuc sit integra. *Billuart*, qui addit sic auctores sentire communiùs.

Videtur adhùc excipienda commissio data à parocho, quia non censetur data à sede, sicut delegatio episcopi. *Dens.*

(e) Ità meritò manuale genevense. Undè concludit archipresbyterum qui dimittit suum titulum parochialem, posse adhùc absolvere, nisi ejus honorifica hæc delegatio et commissio revocetur, aut ex toto, aut pro parte confessionis. E contrà parochus, cui Episcopus facultatem concessisset absolvendi parochianos suos à casibus reservatis, non posset, dimisso suo titulo, eos nec ab istis, nec ab aliis absolvere.

Indè infer parochum qui, ex consuetudine in multis diœcesibus vigente, poterat in totâ diœcesi confessiones audire, id ampliùs non posse, amissâ per sui tituli dimissionem ordinariâ jurisdictione; quia hanc præsupponebat jurisdictio delegata universalis, seu quia ut parochus pro totâ diœcesi erat delegatus, non ut sacerdos præcisè.

Sed si hic novum titulum obtineat, revivisceretne quam habebat, durante priori titulo, delegatio universalis? Non. Sed novam acquireret.

Ast quid, si non vi statuti generalis aut consuetudinis, sed ex concessione particulari obtinuisset, durante priori titulo, delegationem pro totâ diœcesi, aut potestatem à casibus reservatis absolvendi ? Hæ potestates fueruntne amissæ per dimissionem tituli ? reviviscunt-ne obtento novo titulo ? Amissæ fuerunt si qualitati erant affixæ, et reviviscunt reviviscente qualitate, nisi tamen ut parocho talis loci fuerint ipsi concessæ. Si autem personæ affixæ fuerunt, non fuerunt deperditæ, nec consequenter opus est inquirere an reviviscant. Undè qui, antè adeptionem tituli, habebat, pro tempore indefinito, aliquam potestatem delegatam, absolvendi, v. g., à casibus reservatis, illam conservat, dimisso titulo, nisi aliter intenderit episcopus, qui de cætero in dubiis circà hæc omnia semper est consulendus.

---

95. Notanda : 1° Delegatus ad audiendas confessiones non potest alium subdelegare.

2° Ubi viget consuetudo quod parochi vel etiam simplices sacerdotes sibi confessarium eligant ex approbatis in suâ diœcesi, apud quemcumque, vel pro uno loco, approbatum possunt confiteri (*a*).

3° Ex cap. *placuit,* de pœnitentiâ, excommunicantur ipso facto qui vindicantes sibi jurisdictionem ordinariam absolvere præsumunt.

Qui verò solùm delegatam usurpant, ferendæ sententiæ suspensioni subjacent.

4°. In proximo mortis probabili periculo (*b*), cùm nempè in tali casu mors frequenter evenire soleat et proximè immineat (nec expectandum periculum extremum), sacerdotes quosvis (*c*) etiam excommunicatos denunciatos vel degradatos approbat, seu delegat Ecclesia, et quidem pro omnibus

casibus reservatis censurisque, saltem quæ obstarent receptioni sacramentorum et sepulturæ ecclesiasticæ.

Sed adverte 1° sic à censurâ reservatâ absolutum, si mortem evadat, teneri et quidem sub pœnâ reincidentiæ (ubi viget reincidentia) (*d*), sistere se coram superiore, aut pro casu à quo absolutus est, approbato, ut monita suscipiat. De hâc ergo obligatione monendus est, et cum juramento adstringendus ut illam adimpleat, aliaque præstet omnia, pro quorum omissione fuerat censurâ ligatus.

2° Si per tempus liceat, debet sacerdos non approbatus, approbationem petere. Si tamen eam non peteret, validè absolveret.

3° Debet ipse pœnitens præferre approbatum pro reservatis, si quæ habeat, pro iisdem non approbato (*e*); et simpliciter approbatum nullatenùs approbato, suspensum aut interdictum irregulari, et hunc excommunicato denunciato.

Si tamen jàm incœpta sit confessio, cessat prædicta pœnitentis obligatio, nisi fortè, finitâ confessione, recordetur peccati quod extrà casum necessitatis debuisset apud pro eo approbatum confiteri.

Quod si ægrè ferat ægrotans apud approbatum confiteri, discedat iste, et alter tunc fit approbatus ob necessitatem.

Imò si causa aversionis moribundi sit timor prudens subversionis, potest non approbato, approbato præsente, confiteri.

(*a*) Quidquid dicant aliqui, valdè ad minùs incertum est utrùm parochi possint sic sibi confessarium eligere, ubi talis non est usus.

(*b*) Ut actuale prælium; periculosa et valdè longa peregrinatio in quâ non habebitur copia confessarii; primus partus mulieris. *Theologus pictaviensis.*

Non frequenter in primo partu mors accidere solet. Adderem ergo : si prudenter in eo, ex causâ non ordinariâ, mors timeatur, vel si, morte imminente, non poterit adesse sacerdos.

(c) Multi, cum Fagnano, excipiunt sacerdotes hæreticos vel schismaticos notorios, et communem esse sententiam ait Toletus. Sed multi graves contrarium censent. Quidquid sit : excepto seductionis periculo, in casu necessitatis utendum est jurisdictione dubiâ. Hic autem saltem dubia est jurisdictio.

(*d*) Viget in diœcesi Bisuntinâ.

(*e*) Intelligit P. Gab. Ant. quoad licitatem, quia tunc nulla est reservatio.

SECTIO II.

De jurisdictione relatè ad loca, personas et peccata.

§ I.

96. Jurisdictio ordinaria territorium non excedit, nec delegata fines à delegante designatos (*a*).

Attamen qui gaudet jurisdictione ordinariâ, potest ubiquè, etiam in diœcesi alienâ, subditum suum absolvere; quia absolutio est actus judicialis qui fit sine strepitu.

Secùs qui solùm delegatâ, saltem cum restrictione ad locum et personas (*b*).

(*a*) Vicarius ergò ad tres leucas, v. g, approbatus, ulteriùs (incipiendo à limitibus parochiæ cui inservit), confessiones audire non potest.

Juxtà plures contrà alios, hoc ipso quod quis parochiale habet officium, approbatus est in totâ diœcesi, imò et in omnibus, quia id concedit Tridentinum, Ses. 23, cap. 15. *Billuart.*

Dubium tollit pro diœcesi Bisuntinâ statutum 3, tituli 14, post rerum gallicanarum conversionem renovatum. Per illud enim parochi, non qui nunc succursalistæ vocantur, possunt, ut delegati, in totâ diœcesi confessiones audire, obtento ad licitatem parochorum consensu; sed quin sit pro omnibus diœcesibus approbatus obstat saltem praxis hodierna apud nos.

(*b*) Juxtà Billuart sufficit approbatio Episcopi pœnitentis, secluso privilegio aut constitutione particulari; quia, inquit post Sylvium, jurisdictio non est in locum, sed in personas.

Secùs sentiunt multi, et in favorem eorum sententiæ citatur declaratio Clementis X, constitutione *Superna*, juxtà quam approbatio quæ non dat jurisdictionem ordinariam restringitur ad locum; ità etiam pastoralis Basileensis, et hoc sat probabiliùs mihi visum est, ut pro principio haberetur.

Medium tenet DD. Biord, Episcopus genevensis, in suo manuali confessariorum. Si agatur de delegato absque limitatione loci et personarum, communior, inquit, et in praxi tuta nobis est opinio quòd possit diœcesanos Episcopi, qui illum delegavit, in alienâ diœcesi absolvere; tùm quia jurisdictio non est territorialis sed personalis, tùm quia in eo inviti non censentur præsules. Addit prohibitionem hìc factam non afficere nisi confessarios regulares.

Hæc reverendissimi sententia favere videtur nostris succursalistis in suppositione, non improbabili saltem, quòd non habeant jurisdictionem ordinariam, quandò delegatam habent pro totâ diœcesi. Non auderem tamen tali jurisdictione uti, nequidem ergà eos qui forent ex meâ succursali,

§ II.

97. Qui ordinariâ solùm gaudent jurisdictione, solos subditos suos absolvere queunt.

Et qui delegatâ, solas personas pro quibus delegati sunt.

Undè sacerdos pro quodam solùm personarum genere, pro infirmis, v. g., approbatus, alios absolvere nequit.

Tribus autem modis fit aliquis subditus:

Ratione domicilii nempè aut quasi domicilii;

Ratione statûs, seu ex privilegio. Sic novitii, et alii qui sunt de familiâ conventûs, hujus conventûs superioribus sunt subditi;

Et juris interpretatione, seu tacitâ ordinariorum voluntate per consuetudinem firmatâ; sic vagi, iter agentes, etc., subduntur sacerdotibus locorum per quæ transeunt.

---

98. Extranei tamen audiri possunt, nisi id vetuerit eorum ordinarius, vel in fraudem veniant, quia talis est usus (*a*).

Imò possunt à simpliciter approbato absolvi à casibus ratione suî reservatis, si reservati non sint in diœcesi in quâ confitentur.

Secùs si essent reservati in diœcesi confessarii, quamvis non in suâ, quia reservatio confessarium afficit (*b*).

Nota: ad regulares absolvendos, ipsorum superioris requiritur delegatio. Sed ex decreto Benedicti XIV, tractatu de sacrificio missæ, qui manent extrà claustra cum bonâ veniâ, nec habent aliquem sui ordinis apud quem confiteantur, possunt apud quemcumque approbatum confiteri, et à casibus ratione suî vel ratione censuræ in ordinis constitutionibus reservatis absolvi, cum impositâ obligatione coram superiore, ubi primùm poterunt, se sistendi.

Moniales (*c*) excipiuntur semper in delegatione generali. Imò qui ad eas audiendas specialem habent Episcopi licentiam, non omnes audire possunt, si pro uno solo aut altero monasterio data sit.

(a) Etiam tempore paschali, nisi usus contrarius sit, aut vetet parochus. Parochus, etiam alio tempore, si sciat et non improbet Episcopus, prohibere posset, sub nullitatis pœnâ, ne sui apud alienos confiteantur. Sed non nisi gravibus de causis id faciendum. *Bailly.*

Fraus metienda videtur ex intentione fugiendi severiorem suæ diœcesis disciplinam, non autem ex solâ intentione fugiendi personam confessarii. Sic in fraudem non venit mulier quæ, ne parocho suo aut vicinioribus lapsum detegat, peregrinationem facit in aliam diœcesim, ut ibi confiteatur. *Manuale genevense.*

(b) Si autem casus extranei sit in ipsius diœcesi ratione censuræ reservatus, ex usu et licentiâ ab episcopis sibi mutuò concessâ, potest, juxtà multos, Episcopus eos per se vel per ad id delegatum absolvere, nisi censura *sit ab homine* (excipitur et irregularitas). Si verò casus extranei reservatus sit ratione censuræ solius, et solùm in diœcesi confessarii, cùm ille extraneus censuram non incurrerit (cùm supponatur illam non existere in diœcesi ipsius) à quovis simpliciter approbato potest absolvi.

(c) Etiam novitæ et omnes quæ voto qualicumque monasteriis addictæ sunt. *Manuale genevense.*

Sed moniales quæ parentes invisunt, vel quæ ad mendicandum peregrinantur, sæpè ex concessione episcopi (quæ necessariò requiritur) possunt apud quemlibet approbatum confiteri.

§ III.

99. Jurisdictio inferioris non se extendit ad peccata superiori reservata sive jure, sive consuetudine, sive statuto (a).

Peccata autem reservantur vel ratione suî, vel ratione censuræ, vel simul ratione suî et ratione censuræ.

Possuntque reservari postquàm commissa sunt.

Sed nullum peccatum reservatum censetur nisi sit

1° Externum, quamvis tamen absolutè reservari possit peccatum internum.

2° Mortale interiùs et exteriùs, ità ut actio externa habeat gravitatem materiæ, nisi contrarium dicatur.

3° Consummatum in suâ specie, imò in specie quam legislator intendit prohibere, nisi tamen dicat contrarium (b).

4° Certum et quoàd factum, et quoàd has tres circumstantias (c), seu certò commissum, certò externum, certò mortale, et certò consummatum.

Ast non necessè est, ad incurrendam reservationem, ut peccans eam cognoverit vel etiam nunc cognoscat, cùm afficiat confessarium.

Si tamen casus reservatus sit solùm ratione censuræ, censuram et proindè reservationem non incurrisset qui censuram

ignorasset invincibiliter (*d*), aut ad eam inculpabiliter non advertisset [636].

(*a*) Multi volunt carentem potestate à reservatis absolvendi, posse, ab aliis absolvendo, ab istis absolvere indirectè in duobus casibus 1°. Cùm pœnitens inculpatè omittit declarare reservatum, vel bonâ fide accusat illud confessario non advertenti illud esse reservatum. Tunc, inquiunt, Episcopi censentur auferre reservationem, cùm non contradicant, quamvis publicè et communiter doceatur præsens opinio. 2° Quandò sacerdos peccati reservati reus, nequit sine gravi scandalo non celebrare, nec præstò est confessarius habens potestatem in illud reservatum. Ecclesia, inquiunt, præcipiendo huic sacerdoti confessionem, censetur concedere confessario facultatem illum absolvendi [54, *f*].

Alii verò negant, quia Tridentinum à necessitate jurisdictionis ad absolvendum à reservatis excipit solùm casum articuli seu periculi mortis.

Dubium est an Episcopi possint sibi reservare casus Papæ jam reservatos, ità ut duplex sit reservatio; id vetuit S. congregatio die 26 novembris anni 1602.

(*b*) Hinc qui post attentatum crimen, v. g., homicidii per venenum, sed antè ejus realem consummationem, confiteretur, posset à non approbato pro reservatis absolvi. Teneretur solùm illud post consummationem declarare approbato pro reservatis. *P. Ant. à Goritiâ.*

(*c*) Ità communiùs, et generaliter loquuntur theologi illi. Sed ex iis quidam dubitant an idem dicendum sit de peccatis Episcopis reservatis, ac proindè, casu dubii in his eveniente, consulendus foret Episcopus.

Sed reservanturne sivè Papæ, sivè Episcopis casus dubii dubio juris? Multi negant; quia odia restringenda; graves tamen affirmant, et in praxi tenenda est istorum sententia. Eo ipso enim quod dubium est an aliquod peccatum reservatum sit, dubium est an ab eo absolvere possit qui non habet potestatem in reservata.

In diœcesibus tamen ubi regulæ pastorales aliam amplectuntur sententiam, eam tutò sequi potest sacerdos ibi ministerium exercens, pro casibus ab Episcopo reservatis. Sic in diœcesi Basileensi; è contrà in Lausannensi ex constitutionibus jussu DD. Guisolan editis.

Nota : qui à reservato fuit absolutus ab sacerdote potestatem in illud non habente, sed qui absolvit quia peccatum erat dubium dubio facti, validè absolutus est, quamvis posteà peccatum certum evadat, et quamvis pœnitens teneatur illud iterùm confiteri ut certum, non tamen apud approbatum pro reservatis. *Manuale Genevense. Regulæ Camberiacenses.* Idem docet Billuart ut probabiliùs.

Nota iterùm. Addunt communiùs quintam conditionem ut peccatum reservatum sit, nempè ut sit commissum à pubere, nisi aliud in canone dicatur, ut dicitur pro percussione clerici. *Bailly.* Standum voluntati superiorum. Sic in diœcesi Bisuntinâ, ad incurrendam reservationem peccatorum generaliter saltem reservatorum, requiritur annus decimus quartus completus; quid autem de specialiter reservatis aut de Papalibus? non dicitur.

(*d*) Alii dicunt sufficere ad excusandum à censurâ ignorantiam strictè vincibilem. Saltem in dubio quod sæpè adest, an ignorantia fuerit sat invincibilis ad excusandum à censurâ, aut an fuerit sufficiens advertentia, censura non est reservata, quia dubia est dubio facti.

100. Peccata Papæ reservata (casus Papales) reservantur ratione censuræ (*a*).

Ast Episcopis devolvuntur,

1° Cùm censuræ sunt occultæ (*b*), modò, licèt occultæ, ad forum contentiosum non sint deductæ.

2° Quandò reus non potest, moraliter loquendo, personaliter recurrere ad sedem romanam (*c*), nec tunc scribere tenetur (*d*).

Sed, ubi viget *reincidia*, in eamdem censuram relaberetur, qui, sublato impedimento, ad Papam aut ejus delegatum non recurreret, de quo ergò monendus est qui absolvitur (*e*).

Et possunt Episcopi « resipiscentem hæreticum, aut spontè » coràm se comparentem, aut ad forum suum quoquo modo » deductum, ecclesiæ reconciliare, et pro utroque foro ab» solvere à censurâ, in quam ob hæresim incidit....... quin » imò ad simplicem sacerdotem remittere, postquàm suas » ejuravit hæreses, ut ab eo absolvatur, eamque absolutio» nem, licèt à confessario datam in foro sacramentali, pro» desse etiam in foro externo, etc. » Ità Benedictus XIV, de synodo diœc., lib. 9, cap. 3, n. 3.

(*a*) Omnia, inquiunt autores. Attamen Benedictus XIV reservavit, *ratione sui*, peccatum illius qui falsò confessarium accusasset de sollicitatione ad turpia in tribunali vel occasione confessionis, et peccatum contrà sextum præceptum à confessario cum pœnitente commissum. Vide constitutionem *sacramentum pœnitentiæ* tomo 1° Bullarii ejusdem Papæ [760, *b*].

(*b*) Ab omnibus casibus occultis absolvere possunt Episcopi *in suâ diœcesi*, inquit Trid., id est, necesse est ut unus aut alter, nempè Episcopus, aut absolvendus, sit in diœcesi Episcopi. Id tamen negant plures et volunt Episcopum subditum posse suum absolvere ubiquè à Papalibus sibi devolutis, sicut à censuris à se latis; modò non in foro externo.

Casus autem Papalis est occultus cùm censura est occulta, si ratione censuræ sit reservatus.

Cæterùm ut casus non sit occultus, sufficit probabiliùs notorietas facti, et quidem in aliquâ parte diœcesis, quamvis ignoraretur in loco ubi pœnitens est absolvendus.

Censent multi, inter quos Benedictus XIV, per Bullam *in cœnâ* revocari facultatem à Trid. [753, *a*] Episcopis concessam à casibus occultis absolvendi, sed solùm quoàd eos qui in dictâ Bullâ recensentur, et notanter quòad crimen hæresis. Nec enim in jubilæo quidem hæc potestas pro hæresi conceditur, nisi expressè dicatur. Vide numeros 5, 6, 7, 8, 9 et 10, cap. 5, lib. 9, de synodo diœcesanâ ubi dictus S. P. Episcopos gallicanos refellit. Sed ibi-

dem notat non agi de hæretico spontè aut ab alio ad forum Episcopi delato.

Nota : publicum non est quod decursu temporis è memoriâ excidit ; benè vero quod publicum est alicubi publicitate juris, etsi in diœcesi pœnitentis occultum.

(*c*) Ob bella, v. g., ob ætatem, sexum, statum, paupertatem, infirmitatem pœnitentis. Hinc pueri, senes, mulieres, milites, agricolæ, artifices, aliique qui, omnibus consideratis, divites dici nequeunt habitâ ratione statûs præsertim et familiæ, habendi sunt ut in impossibilitate sedem pontificiam adeundi, et nequidem excipitur si casus Bullæ cœnæ incurrerint, etiamsi forent publici ; quia impossibilitas est impedimentum canonis seu juris cui non derogat Bulla.

Nota : potestas Episcoporum absolvendi à casibus papalibus sibi devolutis ordinaria est, inquit manuale genevense ; undè sequi videtur Episcopum aut ejus delegatum posse, ob impedimentum Romam eundi, absolvere, quamvis delegatus à Papâ adiri posset. Negant tamen aliqui cum Bonacinâ, quia cùm delegatus Papam repræsentet, non potest dici impossibile ad Papam recurrere, cùm ad ejus legatum recurri potest, ac proindè cessat tunc ordinaria Episcopi potestas. Remanet ergò dubium aliquod.

A fortiori si agatur de casu Episcopo reservato, aut ipsi devoluto, certò pronunciari nequit presbyterum, simpliciter approbatum, posse ab eo absolvere, cùm adiri potest approbatus ab Episcopo pro eo casu.

(*d*) Ità communiter contrà Bonacinam. Sed notandum 1° non idem dicendum esse de dispensationibus, quia pro iis jura non requirunt realem præsentiam sicut pro absolutionibus.

2° Quamvis ex eodem principio clarè concludi posse videatur non necesse esse scribere ad Episcopum, in casu impossibilitatis se ipsum coram ipso sistendi personaliter (et id de facto aliqui concludunt), attamen saltem tutius est ad eum scribere, et talis est praxis. Cæterùm adeò frequenter repериuntur confessarii qui ab Episcopo potestatem habent casus ipsi reservatos aut devolutos remittendi, ut casus impossibilitatis ad eum, aut ejus delegatum recurrendi, sit nunc admodùm rarus.

(*e*) Si impedimentum canonis prævideatur certò fore perpetuum, inutilis est hæc monitio.

Pueri eximuntur ab onere reincidiæ, possuntque ab Episcopo absolvi à casu in quem in infantiâ inciderunt, etiamsi post adeptam pubertatem illum confiteantur. *Varii.*

---

101. Circà omnia hæc nota : 1° cùm petitur facultas à reservatis absolvendi, clarè exprimendum est quid petatur, et cùm conceditur, videndum quousquè, nec ultrà extendenda (*a*).

(*a*) Sic potestas generalis à casibus reservatis absolvendi à Papâ obtenta, non se extendit ad casus quos S. P. sibi specialiter reservasset, nec ad censuras ab homine ab ipso latas, nisi dicatur, *à quibuslibet censuris*, nec ad casus Bullæ in cœnâ, ubi viget (sicubi adhùc vigeat) nisi expressè dicatur. Imò qui habet potestatem absolvendi à casibus in Bullâ cœnæ contentis, indiget adhuc, juxtà plures, facultate speciali ad absolvendum ab hæresi licèt occultâ, modò externa sit, ità ut hæc facultas non censeatur concessa etiam

tempore Jubilæi, nisi specialiter exprimatur : ità Benedictus XIV, Bullà *convocatis;* et synodi diœcesanæ lib. 9, c. 1. Attamen juxtà Sylvium, facultas ab hæresi occultâ absolvendi sufficienter exprimitur, quandò in litteris sola excipitur manifesta.

Sic iterùm : potestas generalis à Papâ obtenta non extenditur ad casus Episcopis reservatos, nisi specialiter exprimatur. Si ergò Episcopus judicasset se posse sibi reservare, sub aliâ ratione, casum jam Papæ reservatum, et de facto illum sibi reservasset; et à Papâ, et ab Episcopo obtinenda foret facultas ab illo absolvendi.

Pariter facultas generalis à reservatis absolvendi ab Episcopo obtenta, non se extendit ad casus Papales ipsi devolutos, nec ad eos quos Episcopus sibi specialiter reservasset, nec (saltem in diœcesi Bisuntinâ, ad casus archiepiscopo reservatos quibus annexa est censura, ut ferunt statutum 8 tit. 14, et litteræ pastorales D. Francisci Jos. à Grammont in capite collectionis statutorum Bisuntinæ diœcesis).

Nec tandem extenditur ad censuras *ab homine* per sententiam judicis latas, nec ad irregularitates. Imò existimarem facultatem dispensandi ab irregularitate non importare (nisi dicatur), potestatem aliquem *rehabilitandi* in titulo ad quem fuisset nulliter in irregularitate institutus : idem dic de excommunicatione.

Et sunt casus, v. g., peccatum complicis in materiâ luxuriæ, à quibus absolvendi nunquàm conceditur potestas, nisi, quod rarissimum, expressè dicatur.

Ergò si dicat Episcopus vel ejus vicarius : *concedo tibi quidquid possum*; casus complicis in materiâ luxuriæ non videtur comprehendi in hàc universali concessione. Ab ipso insuper foret inquirendum quid possit concedere. Aliis ergò verbis concedendæ facultates.

Nota 2°. Episcopi indulta Pontificia ordinariè obtinent pro casibus à quibus absolvere nequeunt. Ad ipsos ergò antequàm ad S. P. scribendum, occurrente casu. Sed cùm vi indulti concedunt facultates, de S. P. indultâ auctoritate necessariò fieri debet expressa mentio in formâ absolutionis, ut ordinariè ferunt indulta.

Et specialia indulta Pontificia obtinere possunt simplices sacerdotes, quæ ostendenda sunt Ordinario, priùsquàm is qui obtinuit utatur (*a*).

(*a*) *Manuale genevense.* Ità etiam D. Dens; sed loquitur solùm de indultis pontificiis ad absolvendum à casibus Episcopo reservatis. Papa non solet concedere talia indulta.

Nota 3°. Habens potestatem ordinariam absolvendi à reservatis potest reservationem, etiam extrà sacramentum, tollere.

Secùs habens solùm potestatem delegatam.

Nota 4° ut occurratur variis, quæ hic nasci possunt et sæpè confessarios torquent, difficultatibus, Episcopi passim circà absolutionem à casibus sibi reservatis aut devolutis, pauca vel plura declarârunt (a).

(a) In diœcesi Bisuntinâ, sequentia (quibus adhùc usus conformis) habeto ex statutis et variis Superiorum dictis antè rerum Galliæ conversionem.

1° Omnes parochi, administratores et vicarii in capite (nunc ergò succursalistæ) à casibus generaliter in diœcesi reservatis absolvere possunt, tempore ad paschale officium implendum determinato.

2° Idem possunt omnes confessarii, ergà eos qui, matrimonium proximè inituri, confessarium, pro generaliter reservatis approbatum, adire nequeunt, nec matrimonium convenienter differre.

3° Quilibet simpliciter approbatus potest ab omnibus casibus, pro quibus archipræsul Bisuntinus delegare potest, absolvere infirmum ad quem publicè defertur Eucharistia, etiam non pro viatico, si immediatè antè communionem reconciliari petat et peccatum reservatum accuset.

4° Confessarius qui obtinuit facultatem ab uno reservato nominatim absolvendi, potest, pro unâ vice tantùm, absolvere ab aliis pro quibus delegare potest idem Archipræsul, si quos declaret pœnitens antè absolutionis susceptionem.

5° Si antè absolutionem cesset confessarii potestas à reservatis absolvendi, potest à jam declaratis absolvere.

6° Tollitur reservatio pro casibus etiam Papalibus Archiepiscopo devolutis, quandò iis gravatus, obliviscitur sine suâ culpâ eos confiteri, modò sit rite dispositus, etiamsi confessarius non sit pro eis approbatus.

A fortiori ergò si pro eis sit approbatus, ut tempore Jubilæi. Tunc absolvit quantùm potuit.

Et si absolutus peccati recordetur, teneri non videtur illud clavibus subjicere apud sacerdotem pro eo approbatum, sed solùm apud simpliciter approbatum, cùm ablata sit reservatio. Attamen cùm dici posset suppleri tunc jurisdictionem, potiusquàm tolli propriè reservationem, pœnitentemque fuisse solùm indirectè absolutum, suaderem ad minùs peccatum aut censuram oblitam, apud sacerdotem pro eis approbatum confiteri, si in mentem redeunt, ut directè ab ipsis recipiatur absolutio.

7° Tollitur tandem reservatio eorumdem casuum, quandò apud sacerdotem pro iis approbatum fecit quis confessionem bonâ fide nullam, sufficitque apud simpliciter approbatum, confessionem illam reparare.

Secùs si illa reservata declarata fuissent apud sacerdotem pro iis non approbatum, qui pro iis approbatus fuisset putatus, quia non declarârunt superiores se tunc supplere jurisdictionem.

Sed videtur eum, qui sic fuit invalidè absolutus, validè absolvendum fore in primâ confessione quam faciet, etiam apud sacerdotem pro reservatis non approbatum, quia cùm se absolutum existimet, peccatum reservatum non confitebitur, ac proindè hoc peccatum erit de genere oblitorum, pro quibus, ut modò dictum est, suppletur jurisdictio.

Et verò, inquit Collet, communis est sententia, cui consentire superiores censentur, eum qui fuit invalidè ab non habente potestatem absolutus à reservatis, indirectè ab eis fore absolvendum in sequenti confessione. Ergò à

fortiori hoc dicendum, ubi declarârunt superiores peccata reservata oblita remitti etiam à sacerdote pro ipsis non approbato.

Si autem confessio sit malâ fide nulla, non tollitur reservatio, nisi, inquiunt aliqui, apud superiorem, à quo facta fuit reservatio, peccata declarentur.

Ast contrà eos dixerim de superiore præsumendum non esse eum reservationem tollere tunc, nisi fortè mala fides, quæ confessionem reddit nullam, versetur circà alia quàm peccata reservata, v. g., circà contritionem.

Sed quid intelligendum per confessionem malâ fide nullam? Non solùm confessionem in quâ mortale retinuisset pænitens, sed etiam ut videtur, confessionem quæ nulla esset ob defectum quemcumque mortalem ex parte dispositionum.

Nota: Etiam, seclusâ declaratione superiorum, si in dicto casu confessio nulla sit ob venialem dispositionum defectum, quia, v. g., pœnitens credit bonâ fide se esse contritum ex motivo supernaturali, dùm ex naturali solùm conteritur, existimat ut probabilius Billuart reservationem tolli, quia vix constare potest de defectu, qui nullam reddat confessionem bonâ fide factam, et continua esset anxietas.

Attamen si confessarius, qui ex facultate sibi pro uno casu concessâ, semel dedit absolutionem, deprehendat pœnitentem emisisse confessionem nullam, videtur posse eum iteratò absolvere, quia non est usus realiter suâ potestate in absolutione nullâ, ac proindè illa potestas perseverat. *Manuale genevense.*

Excipe in jubilæo, si jam elapsum sit tempus quod præfixum fuerat ad illud lucrandum.

Nota iterùm: ubi circà reservata oblita nihil declarârunt superiores, hæc habent theologi (quod inservire potest pro casibus Papalibus Episcopis non devolutis, ad eos enim non spectant declarationes Episcoporum).

1° Si ex oblivione reservata non declarentur, cùm fit confessio apud sacerdotem pro iis non approbatum, quidam dicunt Ecclesiam supplere jurisdictionem. Sed longè plures negant, et meritò.

2° Si confessio fit apud sacerdotem pro iis approbatum, omnes fatentur ea indirectè remitti, quia confessarius intendit absolvere in quantum potest.

Sed si in memoriam redeant, suntne apud confessarium pro eis approbatum, clavibus subjicienda? Suarez, Habertus, etc., affirmant; sed plures, quorum sententiam penè unanimem dicit Collet, negant. Sic Pontas, Coll. Andeg., Bailly, etc. P. Gabriel Ant. sentit tutius esse ea apud confessarium pro illis approbatum declarare, ut satisfiat fini reservationis.

Nota tandem: extrà Bullam Cœnæ, et exceptis regularibus, confessarii qui sine licentiâ à reservatis absolvunt, nullam, præter peccatum, pœnam incurrunt, saltem ipso facto.

Cæterùm, ut finis imponatur intricatæ huic materiæ, nunc omnes ferè confessarii potestatem obtinent ab omnibus aut ferè omnibus reservatis Episcopis absolvendi, età Papalibus cùm ipsis devolvuntur, ità ut ad nihil ferè inserviat nunc reservatio, nisi ut ostendatur pœnitentibus criminum gravitas, quam ostensionem, reservationisque et potestatis absolvendi monitionem omittere non debet confessarius.

SEQUELA

DE POTESTATE CONFESSARIORUM TEMPORE JUBILÆI.

102. Omnes sacerdotes ab ordinariis approbati possunt, tempore jubilæi, absolvere in foro pœnitentiæ,

1° Ab omnibus peccatis, sive Papæ sive Episcopis reservatis ratione suî.

2° Ab omnibus censuris, etiam *ab homine*, imò ab eis in quas quis incidisset à promulgatione jubilæi, etsi intuitu absolutionem ab eis obtinendi, modò verè contritus sit.

Sed in Bullis jubilæorum excipiuntur ordinariè peccatum complicis in materiâ luxuriæ, et irregularitates, paucis saltem expressè exceptis (*a*).

Absolutioni autem præmitti debet, si possibile, satisfactio parti læsæ, aut cum eâ transactio, et intentio jubilæum lucrandi, omniaque ad id præscripta implendi, quamvis posteà, etiam culpabiliter, illud absolutus non lucraretur (*b*).

(*a*) In anno sancto suspendi solet, extrà Romam, facultas absolvendi à casibus Papæ reservatis. Sed disputatur an hæc suspensio extendatur ad facultates quoquo modo concessas. *Dens*.

Sed, ut meritò observat D. Dens, sub generali suspensione non comprehenduntur facultates quæ competunt Episcopis ratione officii et de jure communi. Saltem sic videtur. Ergò Episcopi possunt tunc et per se et per delegatos absolvere à casibus Papalibus sibi devolutis.

(*b*) Nota : qui, tempore jubilæi jam absolutus, in easdem censuras incurrisset, videtur posse iterùm ab eodem, vel ab alio sacerdote absolvi, modò nondùm lucratus sit jubilæum. Hoc est enim jubilæi privilegium, quòd omnes illud lucrari possint. *Coll. Andeg., Collet.*

APPENDIX GENERALIS.

DE SIGILLO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

103. Cum sacramentum pœnitentiæ per modum judicii secreti sacerdotem inter ut ministrum Christi, et reum ultrò confitentem, conficiatur, de eo factum esset, nisi secretum inesset ei inviolabile.

Ergò lex hujus secreti divina;

Sed et naturalis, ob pactum inter sacerdotem et reum;

Et ecclesiastica, pœnas gravissimas continens;

Tandem in omni excogitabili casu clamans (*a*).

Undè non solùm contrà religionem et charitatem peccaret sigillum sacramentale effringens, sed et contrà justitiam, tùm ob violatum pactum, tùm ob læsum jus ad famam quod habet pœnitens.

Et hoc peccatum gravissimum, materiæ levitatem non admittens.

(*a*) Confessarius ergò à judice interrogatus, dicat simpliciter, præstito quamvis de dicendâ veritate juramento, quod diceret si nihil sciret, quia scientia quam habet non pertinet ad usum societatis.

Ergò pœnitens potest solus à lege sigilli dispensare. Sed magnâ cautione et solùm ex causâ gravi, v. g., ad consulendum in casu difficili, hæc licentia petenda. Et quamvis sint casus in quibus pœnitens sub pœnâ denegandæ absolutionis, ad hanc licentiam concedendam obligari possit si non occurrant, debet concedi pœnitenti omnimoda libertas.

Juxtà Billuart, confessarius potest, obtentâ pœnitentis licentiâ, revelare, ob aliquem bonum finem, peccata complicis. Secùs sentit P. Thomas ex Charmes, quia pœnitens, qui potest cedere jure suo, cedere nequit jure complicis sui, qui hinc diffamaretur.

Probabilior videtur sententia Billuart, quia jus pœnitentis est primarium; jus verò complicis, in quantùm à sigillo sacramentali pendet, secundarium solùm et dependens.

Saltem potest pœnitens, imò, ex jussu confessarii debet, exigente gravi causâ, rem totam confessario, extrà actum confessionis, vel alteri viro prudenti aperire, ut si non esset confessus. Sicque omninò agendum. Nam si in actu sacramentali solùm, sive pro se, sive pro complice, licentiam de in eo depositis loquendi pœnitens concederet, confessarius non posset, ubi opus, probare eam fuisse concessam, et si pœnitens negaret se eam dedisse, confessarius ut violator sigilli haberetur.

SECTIO I.

De sigillo sacramentali in se considerato.

104. Sigillum supponit confessionem sacramentalem, vel ea quæ ad eam pertinent.

Ut autem sacramentalis sit confessio, haud necesse ut detur absolutio, sed sufficit ut confessio fiat in ordine ad absolutionem; ut pœnitens subjiciat se Dei ministro, confiteaturque etsi non contritus, sed veniens solùm ad satisfacien-

dum aliquo modo præcepto confessionis, vel ut à confessario juvetur pro recipiendâ qualicumque tempore futuro, etiam ab alio confessario absolutione.

Hinc 1° sacramentalis non est, nec proindè secretum importans, confessio ficta, ad irridendum, aut ad confessarium seducendum, etiamsi quædam in eâ peccata miscerentur.

Attamen prudentia silentium hìc juberet ordinariè.

Hinc 2° peccata sacramentaliter non deponit dicens sacerdoti : *Hoc tibi dico sicut si confiterer* ; vel : *Sub secreto confessionis*, quamvis (quod non convenit) acceptet sacerdos ; modò saltem hic sacerdos non sit ipsius confessarius, nec in confessione hæc et similia proferantur, aut antecedenter vel consequenter in ordine ad illam ; obligatio enim sigilli, ut sacra, non à voluntate cujusvis, sed à solâ sacramentali confessione pendet.

Sed est hìc naturale secretum quod simplices haberent forsan ut sacramentale, ac proindè scandalizarentur non parùm si violaretur.

---

105. Sigillum indirectè frangi potest, faciendo nempè, omittendo, dicendo vel reticendo, etc., ea ex quibus conjici posset quod sacramentaliter obsignatum est, etiamsi videns vel audiens rem sciret aliundè, quia daretur ipsi alia cognitio vel conjectura (*a*).

(*a*) Indirectè ergò revelaret secretum qui laudaret unum de suis pœnitentibus, tacendo de aliis, si hoc fieret cum relatione ad istos.

A fortiori qui cùm aliquem non absolvisset, ipsi saltem publicè petenti, aut quam aliis dare solet, recusaret schedam, eucharistiamve aut aliud sacramentum. Secùs, si nihil confiteatur, sed solùm petat schedulam. Schedula tunc neganda, inquiunt Layman et Lacroix. Quod videtur extendendum ad casum in quo certò sciretur eum non confiteri, nisi ut habeat schedulam, quia tunc confessio non esset sacramentalis.

Quòd si non petat publicè, casus est de quo infrà.

Nota : Ergò confessionis schedulæ dandæ sunt ordinariè extrà confessionem, quia sunt quid externum, nec unquam absolutionis datæ vel recusatæ fieri in ipsis debet mentio nequidem indirecta. Generatìm schedulæ nemini confesso denegandæ, ubi earum usus. *Collet*, et meritò.

SECTIO II.

De iis qui secreto sacramentali tenentur.

106. Confessarius (etiam fictus, nisi pœnitens eum ut talem noverit), primariè et propriè loquendo, secreto solus obstringitur.

Sed secundariò tenetur interpres aut qui pœnitentem juvit in examine conscientiæ (*a*);

Et quicumque consultò vel casu audivit vel didicit quæ ad confessionem alicujus pertinent (*b*).

Et quotquot facti notitiam talem habent, etsi jam per ora multa transierit (*c*).

(*a*) Hic docent plures legi non posse inventam scriptis exaratam confessionem, saltem si nomen ferat. Alii tamen negant, quia scriptura non est propriè sacramentalis confessio, sed instrumentum et præparatio ad illam facta pro juvandâ memoriâ.

Si res moraliter consideretur et attendatur ad sensum communem, tutius saltem esset non legere.

(*b*) Talis superior qui dat potestatem à reservatis absolvendi.

Talis ille à quo confessarius, cum aut sine pœnitentis licentiâ, hujus peccatum exposuit ad petendum consilium. Si autem quis ut doctor præcisè à pœnitente consuleretur, licèt in ordine ad confessionem, non videretur teneri nisi naturali secreto, inquiunt plures, quia id non est inchoata confessio. Et idem dicendum de eo qui audivisset, dùm peteretur consilium. Ast si quis consultus fuerit quâ ratione peccata sint declaranda, secreto sacramentali tenetur, inquit theolog. Pictav. Saltem tutiùs sicut et facilè in his et similibus casibus servatur silentium.

Talis tandem judex (et quivis) qui ex imprudentiâ confessarii reum cognosceret; non enim magis interrogare eum, nec plùs dicere aut facere posset, quàm si nihil audivisset.

(*c*) Controvertitur an lex sigilli obliget ergà ipsummet pœnitentem. Sed quidquid sit, si strictè loquendo non violatur secretum loquendo ipsi pœnitenti, saltem sacrum sigillum non omninò intactum manet, et confessio ordinariè redderetur odiosa.

Ergò nequit confessarius pœnitentem minùs benignè post, quàm ante confessionem excipere; præter morem declinare; tristi facie aut minùs politè alloqui; communionem ipsi recusare, etsi nullus alius esset in ecclesiâ; morum attestationem, aut non, aut aliter dare quàm anteà fecisset; imò nec eum ad novam confessionem non admittere, putà quia ex præcedenti novit eum non conversum, aut scrupulosum, aut intricatæ conscientiæ. Equidem censent aliqui nullam fore tunc sigilli fractionem, si nullus sit præsens, quia pœnitens petendo confessionem, jam est in eodem casu ac si audiretur: sed quid impedit quia audiatur et dicatur ipsi quod charitas et prudentia dictabunt? Nonne saltem hoc tutius?

Cæterùm, notant omnes pœnitentem censeri esse adhùc in confessione, dùm non exivit è tribunali, quamvis jam data sit absolutio; nisi tamen, ait meritò Billuart, de rebus aliis jam intervenerit sermo. Addendum fortè : vel nisi jam clausa sit portula, saltem si qui præsentes sint.

Negant plures confessarium posse pœnitentem sine ejus licentiâ alloqui in unâ confessione de habitis in alterâ jam finitâ : saltem nisi hoc expediat, ad rectitudinem præsentis confessionis et judicii ferendi, quia præcedens judicium est absolutum; et aliundè id natum est imponere ruborem pœnitenti.

Crederem cum aliis id fieri posse ex justâ et gravi causâ. Imò nollem confessarium esse circà gravitatem causæ scrupulosiorem, quia aliter medici et conscientiæ rectoris officium vix implere posset confessarius ordinarius. Aliunde non levis est ratio quam in hujus praxis favorem affert D. Dens, nempè totam personam iterùm subjici tribunali et judicio confessarii, et ità censeri esse idem Dei tribunal, et judicium continuatum. Tandem praxis hæc est confessariorum timoratorum. Attamen aliquandò saltem prudentiùs petitur pœnitentis licentia.

Nota. Ne odiosa reddatur confessio, non facilè petenda est à pœnitente licentia eum alloquendi extrà de iis quæ dixit in tribunali; sed cùm pœnitens ipse primus cum confessario de suâ confessione loquitur, eo ipso dat licentiam eum alloquendi.

---

107. Strictè loquendo, ipse pœnitens secreto non tenetur sacramentali, sed naturali solùm, et præsertim quoàd ea quæ ipsi sub secreto dicta sunt, vel undè sequeretur confessarii detrimentum (*a*).

Ast sunt casus in quibus nedùm peccet pœnitens, quin ex charitate, et aliquandò ex obedientiâ, tenetur confessarium manifestare, saltem prælato, id exigente bono communi aut etiam privatorum.

(*a*) Aliqua adest in sacramentum irreverentia, temerè et sine utilitate loqui de rebus in ipso velut in asilo depositis, præsertim contrà justam confessarii voluntatem. *Theol. Pict.*

SECTIO III.

De rebus quæ sigillo sacramentali occluduntur.

108. Directè vel indirectè res cadere potest sub secreto sacramentali;

Directè, si sacramentaliter deponatur,

Indirectè, si ipsius manifestatio vergat in detrimentum sacramenti, pœnitentis, aut alterius.

Ad tres autem rerum species revocari possunt quæ directè vel indirectè cadunt sub secreto sacramentali, suntque :

1° Peccata et defectus naturales.

2° Res, quæ manifestatæ vergerent in damnum vel gravamen, etiam solùm apprehensum pœnitentis, vel alterius.

3° Ea quæ nata sunt reddere confessionem vel minimè odiosam, aut difficiliorem, si manifestarentur.

Ità ut scientia, ex confessione parta, sit circà tria hæc, in omnem usum societatis, sicut si non esset.

Quæ applicanda erunt, sive ergà particulares, sive ergà communitatem sigillum violetur (*a*).

(*a*) Communitas enim, sive ecclesiastica, sive civilis, vel congregatio integra, corpus est, et quasi una persona. Dicendo ergò ex confessione, in eâ communitate patrari crimina, vel talem communitatem ecclesiasticam habere ebriosum, etc., secretum violatur.

Et hæc ad parochiam præsertìm parvam extendi debent; imò juxta plures, ad civitatem (*praxis Bajocensis, Steyaert*) si diceretur, v. g., ibi plures esse adulteros, etc., vel opus tribunalis ibi esse difficile, ibi regnare ignorantiam, etc. Hæc enim et similes locutiones loca et ipsos particulares infamant. Imò nescio utrùm scrupulosior esset qui hæc extenderet ad regionem. Certè non, si sit parva. Quæ enim in ea manens præsertìm honesta puella, non rubore suffunderetur, si, v. g., audiret confessarium dicentem puellas ejus regionis esse mollitiei, etc., deditas? Nec in his excusantur imprudentes confessarii, dicendo rem de quâ loquuntur, esse publicam, talia ferre rumorem, etc., se proindè locum, parochiam, etc., non infamare. Præterquàm quòd enim hoc sæpè negarem, hìc non agitur de diffamatione præcisè, sed de violatione sigilli. Porrò, ut violetur sigillum, sufficit quòd res dicatur tanquàm ex confessione cognita; quia additur pondus famæ publicæ. Numquid enim de particulari publicè, imò juridicè diffamato, et de cujus crimine nemo dubitat, auderent dicere : *res vera est, apud me confessus est?*

Hinc vetuit Clemens VIII Superioribus communitatum regularium, ne notitiâ per confessionem partâ uterentur ad regendas communitates. Quod ad gubernationem parochiæ meritò extendit Methodus Bisuntinensis. Illa enim prohibitio, quamvis solis regularibus facta videri possit, ut juris divini interpretativa à non uno habetur, ob periculum indirectæ saltem revelationis.

A fortiori hæc dicenda, si agatur de dandis alicui familiæ consiliis.

---

109. 1° Peccata et defectus naturales.

Sub peccatis autem sigillo occlusis comprehenduntur peccata etiam publica, quatenùs ex confessione nota.

Peccata mortuorum (*a*).

Peccata venialia, saltem in specie declarata (*b*).

Objecta peccatorum, complices, peccatave aliorum ad confessionem pertinentia, etiam indirectè et indebitè manifestatorum. Et quævis circumstantiæ (*c*), ut peccati reservatio, imposita pœnitentia, denegata absolutio, etc (*d*).

Sub defectibus verò naturalibus comprehenduntur inclinatio ad malum, tentationes, morositas, ingenii tenuitas, difficultas mentem explicandi, defectus natalium (*e*), et alia quæ dedecus pariunt vel tristitiam, quamvis ex mundi malitiâ.

(*a*) Hinc confessarius qui a puellâ gravidâ non potuit in extremis obtinere, ut statum suum extrà confessionem aperiret, non potest ipse eum nec post ejus mortem aperire ut scindatur et baptizetur infans, quamvis ex manifestatis contritionis signis potuerit tandem eam loquelâ orbatam absolvere. Contritionis manifestatio est equidem præsumpta licentia data confessario, sed præsumpta licentia non sufficit. *Collet.*

Nec revelari possunt circumstantiæ peccatum publicum minuentes.

(*b*) Si in genere dicat solùm confessarius : *Talis non est confessus nisi venialia*, nulla est sigilli violatio, juxta multos; quia accusatio saltem venialium est consequens necessarium actûs confitendi. Ast nonne aliquandò posset hìc aliqua esse indirecta revelatio? Dicendo enim de uno quòd solùm venialia declaraverit, et id non dicendo de aliis qui, v. g., eodem die confessi sunt, datur suspicio quòd mortalia declaraverint. Aliundè inveniuntur non rarò qui nequidem venialia accusant. Prudentiùs ergò saltem et tutiùs ab his abstinendum.

Nec etiam, ob idem revelationis indirectæ periculum, probarem confessarios, qui virtutes et gratias pœnitentium enunciant, quas tamen ex solâ confessione nôrunt; aliundè hæc ex intentione pœnitentium sæpè sub secreto naturali cadunt.

Tandem dicere nollem : *Talem absolvi. Talis benè confitetur.* Nec ulli, ob notas ex confessione ejus qualitates, specialis exhiberem benevolentiæ signa, quamvis velint plures, inter quos theolog. Pictav. et Billuart, sigillum remanere tunc intactum; imò id gratum pœnitenti.

(*c*) Qualis persona, quæ fuit objectum, causa vel occasio peccati; v. g., si pœnitens confiteatur se dixisse de tali puellâ quòd sit gravida, de Petro quòd furatus sit. Qualia etiam ea quæ, quamvis non sint peccata, exposita tamen sunt in confessione, ex intentione explicandi peccatum, vel ejus circumstantias, aut statum conscientiæ; sive imprudenter sivè prudenter, sivè meritò, sivè immeritò dicta sint; modò tamen, ait Billuart, pœnitentis, aut alterius intersit ea celari. Sed hanc restrictionem cum grano salis accipe.

Nota : quidam dicunt pœnitentem, peccata alterius declarando tanquàm suorum objecta, nolle ea includi sub sigillo, eo quod illa supponat publica. Non improbabilis certè opinio : illam tamen ut potè principiis hìc positis minùs conformem, et minùs tutam, sequi nollem. Imò improbat meritò Billuart confessarios, qui, orto in aliquo loco scandalo, dicunt aures confessariorum continuò vexari de oblocutionibus contrà istud scandalum.

Si tamen pœnitens peccatum alicujus detegat in confessione, non sua con-

fitendo, nec ut eà meliùs cognoscat confessarius, sed, vel post accusationem, vel intercalando, ut nempè sciat confessarius et agat consequenter, hoc ad confessionem non attinet, sed illud in confessione dicit pœnitens, vel quia tunc occasio est illud dicendi, vel quia liberiùs illud dicit, vel quia tandem pœnitens non vult nominari præcisè. Attamen illi dicerem : *Dicis mihi hæc sicut extrà confessionem ?* Vel : *Post confessionem dices, Non te nominabo.*

(*d*) Quidam excipiunt casus in quibus pœnitentia injuncta levis esset, vel non fuisset sufficiens materia ad absolvendum. Sed, saltem ob scandalum, tales revelationes sunt omninò vitandæ. Vitandum item dicere : *Talem non absolvi, quia confessionem generalem non compleverat.* Non idem periculum si dicatur : *Non absolvi quia subitò aliò vocatus sum.*

Et hæc omnia dicta sunto de manifestatione defectuum naturalium.

(*e*) Et scrupuli, juxtà alios contra alios. Surditas non cadit sub secreto : inquit Collet, nec balbuties : nisi ex eâ colligi possit pœnitentem multa et gravia commisisse. De his tacerem. Sed ab omni imprudentiâ excusat necessitas, cùm nempè surdo voce altiori est dicendum ut eat in alium locum ubi audietur.

Nec inutiliter hìc notandum confessarios aliquandò voce altiori loqui, cùm cantatur in Ecclesiâ, aut verbum Dei annunciatur, dùm confessiones audiunt. Item finito cantu aut concione, vocem ergò multùm demittant. Caveant etiam non parùm qui tribunalia habent erecta in angulis, præsertim si juncta sint structuræ tabularum sectarum (*boiserie*).

Ex his omnibus concludendum quàm graviter delinquant, qui voce altiori pœnitentes redarguunt; aut stuporis alteriusve passionis, quæ eos prodant signa exhibent; qui post paucos auditos dicunt se gravia audivisse, qui, etsi nullum nominando, in sacrâ concione depingunt pœnitentes ex confessione notos, vel magis quàm eos ab extrà nôrunt.

A fortiori qui pueros, jam doli capaces, simul plures audiunt.

---

110. 2° Sub sigillo sunt ea quæ, ex eo educta vergerent *per se* vel *per accidens* in damnum aut gravamen verum vel solùm apprehensum pœnitentis, etiam id non advertentis.

Vel in damnum aut gravamen tertii, in confessione inclusi (*a*)

(*a*) Quæ intelligenda videntur etiam pro casu in quo revelata in damnum aut gravamen non injustè vergerent; vel in quo ex non usu scientiæ sacramentaliter partæ, majus damnum exurgeret.

Si enim scirent pœnitentes hucusquè non extendi secretum sacramentale, à confessione avocarentur; ac proindè doctrina vel praxis contraria de se nata esset avertere à confessione. Ergò tutiùs, in favorem sigilli rejicienda.

Ità, contrà olim plures, Cardinalis Tollet, P. Gabriel Ant., Billuart, Dens, etc., qui citant damnatam hanc ab Innocentio XI propositionem (quod fortè nesciebant theologi nobis, etiam ab hâc damnatione contrarii) : « Scientiâ » ex confessione acquisitâ uti licet, modò fiat sine directâ aut indirectâ re» velatione et gravamine pœnitentis, si aliud multò gravius ex non usu se» quatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur. » Et hùc accedit prohibitio facta à Clemente VIII, de quâ supra.

Ergò non licet passivè se habere ergà pœnitentem, ipsi pro aliquo munere recusando suffragium, quod, seclusâ notitiâ ex confessione partâ, illi datum fuisset, licèt in mente solùm munus hoc fuisset ipsi destinatum. *Collet.*

Nec in famulatum non accipere post confessionem personam quam accipiendi habebatur anteà intentio.

Nec à fortiori mutare, sub aliquo prætextu, quem nullus, nequidem pœnitens suspicabitur, intentionem quæ manifestata fuisset.

Addit Collet confessarium non posse jubere ancillæ suæ apud seipsum peccata declaranti, ut claves reddat, quia ex confessione ejus novit eam furari, vel ut liberè exeat, quia eâdem viâ cognoscit illam insidiari castitati juvenis apud confessarium manentis. Adderem tamen : nisi in quantùm ancillæ alterius jubere posset et deberet in similibus casibus.

Hinc non licet uti notitiâ per confessionem partâ ad externam gubernationem subditorum per actus ingratos et molestos, saltem qui immediatè versarent circà personas quæ confessæ essent, his licèt non advertentibus; ageretur enim tunc cum gravamine pœnitentis. *P. Ant. à Goritiâ.* Nec potest confessarius, ex eâdem notitiâ, etiam indirectè agere adversùs ipsum pœnitentem, ad corrigendos parochiæ abusus. *Collet.*

Si hæ sequelæ duræ sint, respondeo eas sequi ex principiis sat clarè videri, et confessionem non esse institutam ad impedienda extra confessionem omnia peccata, sed in remedium eorum quæ ad S. Tribunal adferuntur.

Utrùm autem hæc fieri possint per generales monitiones quæ personas confessas non attingant ullatenùs? Utrùm, v. g., pastor qui per confessionem novit spargi in suâ parochiâ hæreses; serpere quædam vitia et peccata, possit per generales instructiones contrà similia præmunire, nullatenus proditis personis? Utrùm non hùc usquè extendi debeat vetitum Clementis VIII, seu, ut volunt plures, jus divinum quod interpretatur? Affirmant alii, alii negant. Tutiùs petenda est à pœnitentibus licentia de his loquendi. In rigore quid sentiam apparebit ex dicendis mox, N. 112. Sufficiat hìc dicere omninò servandum esse in communitatibus decretum Clementis VIII. Difficilè enim membra innocentia aliquid non suspicarentur.

---

111. 3° Sigillo occluduntur generaliter quæ confessionem odiosam vel minimè, aut difficiliorem redderent (*a*), etiamsi essent solùm circà ea quæ ad confessionem pertinent merè ut prælusoria aut appendices (*b*).

(*a*) Hìc eadem facienda videtur observatio ac suprà, sufficere nempè quod res de se nata sit confessionem reddere odiosam, quamvis de facto in casu particulari odiosam non reddat, quia pœnitens rem ignorat.

Ast quid natum est confessionem reddere odiosam? Decidere hoc opus, hic labor est. In genere observat D. Dens post Steyaert et Wiggers hoc pendere à moribus patriæ et temporum varietatibus, ità ut aliqua uno loco vel tempore adversentur sigillo, quæ alio tempore vel loco non habentur ut talia.

b) Secùs dicendum de *præambulis* ad confessionem, aut illius appendicibus, quæ ipsi extranea sunt. Undè, inquit Collet, non peccat qui dicit se hodiè talem audivisse, nisi indè colligi aut conjici possit eum, quà talis est status, deliquisse, putà quia dignitatem suam celare consuevit.

In genere tamen circà *præambula* et appendices extraneas taceatur. Quot enim, ut gravia deponant, ad extraneum etiam occultè vadunt, qui ægrè id sciri ferrent. In his materiis nunquàm siluisse, sæpissimè verò pœnitebit locutum.

Nota : multi dicunt licitos esse actus qui non exercentur directè circà pœnitentem, sed circà extrinseca ejus peccati per confessionem cogniti; ut, diligentiùs res suas servare, seras mutare, claves apud se servare, obstruere fenestras, etc.; quia inquiunt, hæc non debent esse ingrata pœnitenti, cùm si sit verè pœnitens, potiùs deberet eis cooperari. Ast sententia contraria non minùs, imò magis probabilis est; 1° ob decretum Clementis VIII, de quo suprà. 2° quia hæc agendi ratio de se nata videtur confessionem reddere odiosam, cùm sit quædam exprobratio tacita facta pœnitenti, undè erubescit vel erubesceret.

Excipit Collet, si in genere, quamvis ex confessione, sciat parochus plures esse in parochiâ nebulones. Posset enim tunc, inquit, rebus suis invigilare. Ast hæc exceptio videtur principiis hùcusquè positis aliquatenùs saltem contraria; 1° ob Decretum Clementis VIII; 2° quia nebulones qui apud hunc parochum confessi sunt, existimare possent eum uti scientiâ per ipsorum confessionem partâ; 3° quia est plena periculi.

Undè infero, ut quid saltem quod mihi videatur, parochum non posse uti cognitione, etiam ex multorum confessione acquisitâ in suâ parochiâ, ad prædicandum contrà quosdam abusus aut peccata contagiosa ibi existentia; saltem nequit dicere talia committi in suâ parochiâ, inquit praxis Bajocensis. Intrando in parochiam omnia curet ab extrà cognoscere et petat, prudenter tamen, et raró à pœnitentibus licentiam pro rebus quas aliundè cognoscere nequit, et potiùs ut rem extrà confessionem dicant, licèt in tribunali, si nolint alibi.

---

112. Ergò licet scientiâ uti per confessionem partâ extrà tres casus hìc modò memoratos; quia Christus solùm pro his sigillum instituit (*a*).

Sed in dubio an res sit sub sigillo, standum pro eo, quia favorabilius.

(*a*) Ita communiter; et intrà hos casus solùm intellige effata : *audita in confessione confessarius minùs scit quàm quæ nescit. Quod confessione scitur est quasi nescitum. Quod scit confessarius, non scit ut homo, sed ut Deus.* Ipse enim D. Thomas, cujus sunt duo effata posteriora, ait abbatem, qui in foro pœnitentiæ non potuit Priorem indignum adducere, ut prioratum abdicaret, posse ex aliquâ aliâ ratione eum absolvere à curâ prioratûs, itâ tamen ut omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione. Et alibi : confessarium debere monere Principem de imminente sibi periculo per confessionem cognito, dummodò nullatenùs pœnitentem prodat; in his enim (circà quæ sto meis principiis) confessarius ageret ut homo.

Hinc non est contrà secretum loqui de auditis in confessione, non designatâ personâ, si nullum sit periculum quòd cognoscatur. Sed hoc apage, si non sit necessitas; præsertim coram sæcularibus qui hìnc scandalum sumere possint. Aliundè id vetuit Lateranense, cap. *omnis.*

Nec contrà secretum est cogitare de peccato declarato ad casum deciden-

dum, ad orandum pro pœnitente et ad consulendum in necessitate, modò absit periculum personam manifestandi; quod ut vitetur, omittendæ sunt, quantùm possibile est, circumstantiæ modi, loci, temporis, ætatis, sexûs, qualitatis personæ et aliæ inutiles, et variandæ indifferentes, inquit manuale genevense. Adderem mutandum esse totaliter casum, si possibile sit, servato solùm, sub aliâ facie, nodo difficultatis. Frequentiùs enim quàm putatur, res circà quam quis consultus fuit, detegitur ab eo. Non raró etiam idem pœnitens confitetur apud sacerdotem qui fuit consultus. Nec dicatur non à consulente tunc rem detegi, sed ab ipso pœnitente; præterquàm quòd enim eveniat sæpissimè, ut pœnitens peccatum idem apud posteriorem confessarium deponat aliter quàm apud priorem, posterior confessarius habet duplicem peccati notitiam, unam ex manifestatione factâ à priori confessario, et alteram ex declaratione pœnitentis, undè videtur sigillum æquè ferè violari, ac si duo confessarii ejusdem pœnitentis de aliquo ejus peccato, sine ipsius licentiâ, invicem consulerent.

Idem dic, si fortè pœnitens, apud eum qui consulitur, jam confessus fuerit idem peccatum, aut aliundè ab eo ex confessione possit cognosci.

Igitur (non tamen hìc ultrà limites scrupulum, in his materiis, sicubi, laudabilem, extendendo) si timor aliquis existat orituræ ex consultatione alicujus manifestationis, petatur prudenter licentia consulendi, si casûs difficultas exigat.

Nec contrà secretum agunt qui, modò prudentia adsit, ex generali cognitione per auditionem confessionum partâ, conciones suas nutriunt, nullum nequidem locum depingendo.

Nec tandem, qui acquisitâ ex confessione notitiâ utuntur ad corrigendos proprios defectus, v. g., altiorem vocis tonum in tribunali, asperitatem, rigiditatem, laxitatem.

Nota : scrupulosiores, et ex scrupulo laxiores mihi videntur Theol. Pictav. et D. Dens; prior consulendo generaliter ei qui loquitur de rebus quas ab extrà sicut ab intrà novit, addere circumstantias undè rem novit, ne offendantur simplices; et posterior dicendo itidem generaliter declarandam esse scientiam extrà confessionem acquisitam, cùm corripitur publicè pœnitens cujus defectus et ab intrà et ab extrà cognoscitur. Mihi enim apparet dari saltem posse circumstantias, in quibus hæ præcautiones locum præberent suspicandi rem ex confessione sicut ab extrà cognosci.

Item, ob eamdem rationem non probo eos qui, circà mores alicujus, quem tàm ab intrà quàm ab extrà norunt, interrogati, respondent: *in quantum ab extrà novi eum, moribus bonis prœditus est.* Habenda est ratio circumstantiarum.

Nota iterum ; sunt in præsenti materiâ casus circà quos magis dissident theologi. Primus : casus insidiarum confessario paratarum sive per venenum vino ad missam parato immixtum, sive armis in itinere, sive, etc. Si ab ipso facinoroso insidiæ declarentur in tribunali, confessio sæpè non erit sacramentalis, sed simplex comminatio, et tunc nulla in casu difficultas. Si autem confessio supponatur sacramentalis (ut facile est supponere, si ab alio quàm à confitente malum immineat) et confitens nullo modo velit consentire in usum scientiæ ex ejus confessione partæ, alii affirmant confessarium posse vitare insidias, modò neque directa neque indirecta fiat revelatio, nec gravamen ullum indè aut damnum eveniat neque confitenti neque alteri. Ità P. Gab. Ant., P. Thomas ex Charmes, etc. Alii negant, quia esset ibi indirecta revelatio. Ità Collet, etc. Alii medium tenent dicentes confessarium licitè tunc omittere missam, iter, etc., prætextâ aliâ causâ. Ità Sylvius,

etc. Casus est sat insolitus ut non discutiatur. Starem pro affirmativâ, ob enunciata modò principia.

Alter casus : interrogationes factæ in tribunali ob notitiam partam ex confessione alterius. Posse fieri absolutè negat auctor Methodi Bisuntinæ, Dominus Pochard, loquendo de notitiâ partâ ex confessione complicis, et absolvendum dicit, si interrogatus, ut fit communiter, rem neget, modò aliundè dispositus appareat. Et absolvendum ait praxis Bajocensis, si nolit fateri. Ratio quam affert D. Pochard est, quòd confessarius non possit uti notitiâ per solam confessionem partâ. Eadem ratio militat, si agatur de interrogando non complice, cujus tamen peccatum viâ confessionis alterius cognoscitur, modo quo dictum est suprà [109].

Aliter sentit Collet si agatur de rebus necessariis, modò, inquit, quod facile est, non intelligat pœnitens undè ad hujusmodi interrogationes moveatur confessarius. Idem existimat P. Ant. à Goritiâ, modò interrogationes fiant generaliter et à longè. Sed sibi in alio loco contradicit.

Ex suprà positis principiis speculativè forsan posset admitti sententia Collet. Sed in praxi, periculosissima videtur, saltem si agatur de interrogatione complicis, ac proindè abjicienda. Vix enim ac ne vix non suspicabitur pœnitens undè interrogetur. Saltem sigilli frangendi periculo se exponeret confessarius, facilèque zelus eum induceret ad existimandum, imò firmiter credendum, nullum esse periculum ubi reverà existeret. Sed minùs est periculi si peccatum cognoscatur per confessionem non complicis.

Crederem cum auctore Method. Bisunt. contrà alios, pœnitentem non posse in his casibus ad alium confessarium sub aliquo prætextu ordinariè saltem remitti; posset enim suspicari cur remitteretur; nisi fortè remittatur antè confessionem, ex prævisâ ejus reticentiâ; modò nondùm in confessione præcedenti peccatum reticuerit, etsi generaliter interrogatus. Nam tunc posset adhuc suspicari cur non audiretur ejus confessio

PARS II.

PRAXIS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Praxim hanc, Dei ac Ecclesiæ mandatorum peccatorumque ipsis adversantium notitia, istamque notiones circà leges et peccata in genere, præcedant necesse est.

NOTIONES GENERALES

CIRCA LEGES.

CAPUT I.

DE NATURA, DIVISIONE, AUCTORE ET PROMULGATIONE LEGIS.

§ I.

113. Lex est præceptum communitati stabiliter impositum, ad promovendum ejus bonum commune.

Objectum tamen legis potest esse bonum particulare, modò ex eo resultet bonum commune, quod necessariò est motivum legis, quamvis non foret motivum legislatoris.

Hinc 1° lex non potest esse contrà bonum Dei aut religionis; quin potiùs, finis ejus ultimus est facere homines bonos, quamvis finis proximus regiminis politici sit tranquillitas publica et felicitas temporalis.

Hinc 2° lex debet esse honesta et utilis;

Justa, ac proindè proportionata facultatibus subditorum, si onerosa sit,

Loco et tempori conveniens;

Non pro privato commodo lata; sed pro communi civium utilitate (a).

Hinc 3° lex bona à non bono ferri potest, ligatque con-

scientiam princeps infidelis, hoc ipso quod vult uti potestate quam scit sibi naturaliter concessam, nisi de ipsius voluntate contrà constet; sed tunc lex non esset; est enim de essentiâ legis propriè dictæ quòd obliget in conscientiâ, *qui..... potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

(*a*) In dubio an materia legis bona sit vel mala, obediendum.

Leges tyranni obligant. Item leges usurpatoris, juxtà plures, quando pacificè possidet; quia facto est superior. Quod verum arbitrarer, saltem si agatur de legibus quæ ad rectam gubernationem spectant; non enim populi esse possunt sine legibus.

§ II.

114. Lex alia divina, alia humana.

Lex divina naturalis est vel positiva.

Lex naturalis est dictamen rationis, necessariò proindè à Deo lata.

Lex divina positiva liberâ Dei voluntate sancita est; hæcque duplex:

Mosaïca, quæ populo Judaïco usquè ad Christum imposita, judæos solùm obligabat, evenitque, quoàd legalia, mortua, et, quoàd cæremonialia, mortifera (*a*).

Evangelica, à Christo omnibus usquè ad finem data, quæ præcepta morum continet, positivaque seu cæremonialia quædam, fidei nempè magis explicitæ, sacramentorum et sacrificii.

Lex humana est vel ecclesiastica vel civilis.

Ecclesiastica alia generalis, alia particularis (*b*).

Civilis verò subdividitur in jus gentium, quod omnium, aut saltem plurimarum gentium consuetudine et moribus introductum est (*c*);

In jus civile,

Et in jus municipale.

(*a*) Rectè loquendo, quoàd moralia desiit, quamvis ratione sui subsistent.

(*b*) Leges ecclesiæ generales in corpore juris canonici; particulares in variarum ecclesiarum statutis, præcipuæ saltem, continentur.

Corpus juris canonici quinque partibus constat: decreto Gratiani, quod authonticam legem non facit, nisi ex fontibus è quibus desumptum est;

Decretalibus Gregorii IX;
Sexto decretalium Bonifacii VIII;
Clementinis, à Clemente V sic dictis;
Et extravagantibus tùm Joannis XXII, tùm communibus. Quæ omnia vim habent secundùm quòd sunt communiter recepta, seu nisi sint revocata, vel per consuetudinem contrariam abrogata. *Billuart.* Excipe si ad fidem spectent.

Rescripta pontificum, uni Ecclesiæ data, regulariter valent et possunt allegari pro aliis, præsertim cùm decretalis epistola juris corpori inserta meruit auctoritatem publicam. Excepto tamen, si papæ responsum ex causâ speciali, personâ, loco et tempore prodierit. *Idem.*

Quantùm ad declarationes et interpretationes congregationis Cardinalium ut vim habeant, tria solent ab auctoribus requiri : 1° ut sint à S. P. approbatæ; 2° ut solùm declarent et interpretentur, non verò dispensent; 3° ut sint subscriptæ à Cardinali præside et secretario, cum appositione sigilli. *Idem* et *Dens.*

Nota : 1° Decretales quæ præcedunt Siricium papam ut supposititiæ habentur; 2° Juri canonico hodiè annumerantur decreta et canones conciliorum generalium et constitutiones pontificiæ nondùm in corpus juris relatæ. Sunt tamen variæ ad disciplinam spectantes, quæ vim legis non habent, eò quòd non sint communiter receptæ. *Dens, etc.*

(c) Jure hoc, quod, etsi à jure naturæ aliquandò et civili verè discrepans conscientiam ligat, servantur immunitates legatorum (ambassadeurs), fœdera pacis et induciarum, commerciorum libertas inter nationes non inimicas, etc.

---

115. Insuper lex quævis affirmativa est vel negativa.

Affirmativa : quandò aliquid directè, seu ratione suî et primariò præcipit.

Negativa : quando sic aliquid prohibet.

Sed indirectè et secundariò lex affirmativa prohibet, et negativa præcipit quæ ad suî impletionem necessaria sunt.

Hæ adhùc inter utramque differentiæ : quòd lex affirmativa obliget semper equidem, sed non pro semper, ut aiunt, id est, non omni instanti; et è contrà lex negativa :

Et quòd lex affirmativa omissionis, lex verò negativa commissionis peccato violetur.

Alia lex moralis solùm, quæ nullam pœnam;

Alia dicta purè pœnalis, quæ pœnam solùm;

Et alia mixta, quæ et culpam et pœnam in suî violatione importat.

---

116. Tandem lex alia scripta et alia consuetudinaria.

Legem consuetudinariam definiunt : jus non scriptum

(saltem in initio) diuturnis subditorum moribus, et cum aliquo legislatoris consensu, introductum.

Consensus autem legislatoris est vel personalis vel legalis.

Personalis est quandò legislator consuetudinem approbat expressè vel tacitè, verbo, facto, vel alio quocumque signo; vel non impediendo, cùm facilè posset.

Tunc consuetudo dicitur introducta viâ conniventiæ.

Legalis verò, quandò jura dicunt talem consuetudinem legem facere, vel simpliciter valere legitimas consuetudines.

Tunc consuetudo legem facit viâ præscriptionis, legislatore etiam ignorante.

§ III.

117. Leges ecclesiasticas ferre possunt:

1°. Concilium generale et Papa, pro totâ Ecclesiâ.

2° Concilium nationale aut provinciale, pro natione vel provinciâ.

3° Episcopus, etiam nondùm consecratus (saltem si possessionem adeptus sit), pro suâ diœcesi, et qui quasi-episcopali potestate gaudent, ut quidam Abbates, pro suis subditis (a).

4° Ordines religiosi in capitulis generalibus, pro religiosis sui ordinis.

Leges verò civiles condunt qui summam in regimine politico, quodcumque illud sit, potestatem habent.

(a) Capitula cathedralia possunt, sede vacante, ad reprimendos quosdam instantes abusus, aliquas facere leges, quæ valebunt quandiù ab Episcopo non erunt revocatæ. *Collet. Bailly.*

118. Quoàd legem consuetudinariam, eam sibi quodam modo imponunt subditi.

Ut autem valeat seu legitima sit, requiritur:

1° Ut actus (a) consuetudinem introducentes sint voluntarii, non ex errore;

Notorii;

Frequentes (b);

Et facti ex intentione saltem interpretativâ legem introducendi.

Undè, si ex merâ devotione fiant, legem non condunt (c).

Hæc autem intentio cognoscitur ex communi doctorum sensu;

Tùm quandò contrà consuetudinem agentes, grave scandalum pariunt, maximè si à superioribus puniantur;

Et quandò materia gravis est, valdè utilis bono communi, et tamen à majori parte communitatis factitatur uniformiter.

2° Requiritur ut consuetudo sit universalis, in hoc sensu quòd sit formata actibus à majori et saniori communitatis parte elicitis.

3° Rationabilis, eâ ratione quæ sufficeret ad legem condendam.

4° Consensu legislatoris saltem legali firmata.

5° Continuata per tempus sufficiens, et non interruptum à populo vel legislatore [139, *d*].

(*a*) Sub quibus comprehenduntur omissiones. *P. Gab. Ant.*

(*b*) Frequentia actuum non potest æstimari sufficiens nisi ex judicio prudentum.

(*c*) Sic recitatur salutatio angelica ad sonitum campanæ ecclesiæ; sic adhùc fideles abluunt se aquâ benedictâ in introitu ecclesiæ. *Varii.* Attamen scandalum pareret qui hæc habitualiter omitteret, quia crederetur contemptus. Difficile est aliquandò judicare an quid consuetudine firmetur sufficienter ut cadat sub præcepto. In dubio, inquit P. Ant. à Goritiâ. præsumitur rem aliquam observari ex devotione.

(*d*) Quodnam autem sit illud tempus sufficiens? non conveniunt. Alii decem annos requirunt solùm, quia, inquiunt, sunt longum tempus. Alii hoc relinquunt judicio prudentum. Sed fatentur omnes tempus breve sufficere, quandò consuetudo viâ conniventiæ introducitur. Sufficit enim quòd cognoscatur legislatoris voluntas.

Apparet ex utroque jure valere apud nos consuetudines juris.

§ IV.

119. Promulgatio, si non de essentiâ, saltem de substantiâ legis est, necessariaque ut lex obliget (*a*).

Eâ autem factâ, obligantur omnes subditi quos lex respicit, etiam ii probabiliùs (sed solùm materialiter), qui legem invincibiliter ignorant, vel quia absentes fuerunt, dùm promulgata est (*b*); vel, etc.

Lex naturalis per dictamen rationis promulgatur.

Lex divina positiva, jàm primùm protoparentibus, posteà prophetis manifestata in monte Sinaï, et Jerosolymis die Pentecostes promulgata est.

Leges humanæ secundùm statuta et consuetudines promulgantur (c).

(a) Ergò non peccat qui, legem nondùm promulgatam cognoscens, eam non servat, v. g., vendendo pretio currenti per legem minuendo.

Nota : ad valorem revocationis legis onerosæ non requiritur hujus revocationis promulgatio, quia cessat talis lex, cessante voluntate legislatoris, modò hæc voluntas non sit tantùmmodò mente concepta. *P. Thomas. Billuart.*

Sed revocatio privilegii vel gratiæ facta per legem communem, debet probabiliùs promulgari, nisi legislator contrarium declaret. Revocatio verò privilegii aut indulgentiæ concessæ alicui personæ aut loco privatim facta, debet privato manifestari.

Idem dicendum de revocatione jurisdictionis delegatæ, alteriusve facultatis aut gratiæ; alioquin gravissima sequerentur incommoda. Imò quidam volunt non improbabiliter, non sufficere ut revocatio casualiter innotescat delegato, sed litteras aut nuncium esse ad eum mittenda. *Billuart.*

(b) Multi censent non obligare legem, nisi saltem tacitè acceptetur à majori parte subditorum. Ast excepto in guberniis democraticis, non improbabilis solùm, sed falsa opinio hæc, nisi eò reducatur quòd, renitentibus subditis, legislator non debeat ordinariè legis impletionem urgere, sed potiùs suspendere legem, ut potè plus damni quàm boni allaturam. Sed si legislator non præsumatur legis obligationem suspendere, peccant subditi qui sine causâ legem non recipiunt, nisi acquiescere differant solùm, dùm principi repræsentant incommoda legis, vel nisi princeps potens urgere, dissimulet; vel nisi lex à majori parte non observata, à minori nequeat servari sine gravi incommodo.

(c) Ex naturâ rei sufficit legem promulgari in tali loco, undè ad notitiam communitatis pervenire possit. Sed ex usu aut lege, variæ leges variis modis promulgantur, pro diversitate locorum.

Apud nos leges civiles executioni demandari nequeunt, nisi promulgatio dignosci possit. Cognita autem supponitur in provinciâ regalis residentiæ, unâ post factam promulgationem die, et in aliis provinciis (départemens) post idem tempus tot diebus auctum, quot vicibus numerantur 20 leucæ inter urbem, ubi à rege facta est promulgatio, et Capitalem cujusque provinciæ.

Juxtà Suarez et Benedictum XIV, de synodo diœcesanâ, lib. 13 cap. 4, n° 1, leges ab Episcopis latæ sufficienter promulgantur, si vel publicè legantur in cathedrali, aut voce præconis in plateâ ; et statuta synodalia, cùm quæ clerum solùm respiciunt in synodo leguntur.

Quoàd leges pontificias : disputant utrùm obligent antequàm in provinciis promulgentur. Affirmat post Suarez Benedictus XIV, de synodo diœcesanâ, lib. 13, cap. 4, n° 2, qui addit auctores communiter sic sentire. Ratio quam afferunt, sunt aliquorum pontificum, ut Sixti V, decreta. Ratio verò quam particulariter affert Suarez, est quòd ubi leges nullum promulgationis modum statuerunt, standum sit modo à naturâ designato. Rationes contrà suam sententiam non debiliter convellit.

Negant verò Navarrus, Soto et cum eis omnes fere Galli, Hispani et Germani, inquit P. Thomas ex Charmes, voluntque plures leges pontificias ad instar imperialium non obligare in singulis provinciis, nisi post duos menses ab earum ibi factâ promulgatione. Rationes eorum sunt incommoda quæ sequerentur, si sufficeret eas leges ad mentem Italorum Romæ promulgari. Aliundè, inquiunt, textus juris plures indicare videntur Ecclesiam in faciendis legibus suis conformare se civilibus.

Excipiunt P. Gabriel Ant. (qui hìc, sicut sæpè, nullam sententiam amplectitur), Billuart et Dens casum in quo Papa, ob instantiam temporis, declararet sufficere legem suam Romæ promulgari.

Licitum sanè manere hìc ancipitem. Annotarem solùm, si opus esset, non agi in præsenti discussione, nisi de legibus Pontificiis quæ ad disciplinam spectant, et illas leges non obligare, nisi fortè materialiter, eos qui ipsas ignorant.

Nota: ubi placitum regium et quædam promulgatio civilis requiritur (ut nunc et olim apud nos) ad valorem legum Pontificiarum quæ spectant ad disciplinam (nam de aliis non potest esse quæstio, cùm reges non sint judices fidei); hoc venit ex usibus quibus tacitè consentire censetur Ecclesia. Quòd si hoc supponi nequeat, placitum regium in multis saltem non esset necessarium, et ad minùs pluribus difficultatibus obnoxium foret.

Nota iterùm generaliter: Juxtà permultos, leges ex naturâ quidem rei obligant à die promulgationis; sed non obligant actualiter, nisi elapso tempore sufficienti, ut ad communitatis notitiam potuerint humano modo pervenire, ac proindè successivè. Ast si lex actum irritet, à die promulgationis legis irritus est.

CAPUT II.

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS.

§ I.

120. Objectum legis naturalis sunt omnes et soli actus qui, vel secundùm se, vel secundùm suas circumstantias, ità determinatè connexi sunt cum gloriâ Dei et bono communi hominum, ut eorum omissio aut positio ipsis, in iisdem circumstantiis, repugnaret.

Objectum legis divinæ positivæ sunt omnia quæ Deus præcipere potest aut prohibere.

Objectum legum humanarum sunt actus quorum positio vel omissio conducit ad bonum commune.

Non omnes tamen actus, nec à fortiori, exceptis quibusdam casibus, heroïci.

121. Lex ecclesiastica præcipere potest actus internos cum externis essentialiter conjunctos, v. g., devotionem in auditione missæ (*a*).

Et id potest indirectè lex civilis, v. g., ut in juramenti præstatione habeatur intentio jurandi.

Sed non potest directè, quia actus interni non sunt necessarii ad assequendum finem legis temporalis.

(*a*) Probabiliùs docent Ecclesiam præcipere aut prohibere posse actus internos cum externis per accidens solùm conjunctos, v. g., ut ob talem finem missa audiatur.

Alii idem non improbabiliter dicunt de actibus purè internis, sed solummodò prout lex est directiva et coercitiva, non prout est coactiva.

Imò sunt qui putant posse Ecclesiam actus purè internos ut hæresim nullatenùs manifestatam, punire pœnâ ipso facto incurrendâ et à Deo infligendâ. Quidquid sit, id non facit.

Nota : juxta P. Gabriel Ant., lex ponit rem præceptam in eâ virtute ex cujus motivo, etiam extrinseco, præcipitur. Undè est contrà virtutem religionis sumere cibum ante communionem. Si autem lex non dicat ex quo motivo præcipiat rem, non censetur eam præcipere, nisi ex suo motivo intrinseco, jejunium, v. g., ex motivo temperantiæ. Undè qui legem violat, non simplex inobedientiæ peccatum, sed peccatum committit speciale contrà virtutem à lege intentam. Hinc non sufficeret dicere in confessione : peccavi graviter contrà legem Ecclesiæ; sed lex illa est specificanda.

Idem dic de præceptis particularibus.

§ II.

122. Lege tenentur omnes et soli legislatori subditi, non exempti, pro quibus lex fertur.

Nisi, ut pueri aut perpetuò amentes, usu, saltem habituali, rationis careant (*a*). Hi enim nequidem lege naturali ligantur, saltem perfectè et in actu secundo.

Hinc 1° legibus Ecclesiæ obedire tenentur hæretici et apostatæ, quandò ad ipsos spectant, quia per baptisma facti sunt Ecclesiæ filii (*b*).

Hinc 2°, seclusis contemptu, scandalo et consuetudine contrariâ, non peccant qui pueros usum rationis non adeptos, aut perpetuò amentes, inducunt ad ea quæ sunt solùm contrà legem positivam, excepto tamen labore diebus festis vetito : tunc enim per ipsos laborare censerentur (*c*).

Sed eosdem non liceret inducere ad ea quæ sunt contrà

legem naturalem; sivè quia eâ imperfectè seu in actu primo ligantur; sive quia essent quasi instrumentum peccati. Qui ergò eos ad peccandum induceret, peccaret peccato ebrietatis, iræ, luxuriæ, etc., ad quod induceret eos.

Hinc 3° clerici tenentur legibus civilibus quæ non repugnant sacris canonibus et statui clericali.

Hinc 4° legislator, monarcha, sivè ecclesiasticus, sivè laicus, suis aut prædecessorum legibus, vi ipsarum non tenetur;

Benè verò directivè, vi legis naturalis, si materia ipsi æquè ac subditis conveniat.

(a) Leges enim humanæ sunt vinculum rationabile, quod ratione destitutis imponere non censetur legislator. Putat tamen Sanchez perpetuò amentes, utpotè rationis usûs capaces, materialiter ligari legibus. Id verum apparet de iis qui per intervalla solùm amentes sunt; quia dormientibus et ebriis comparari possunt, ridiculumque videretur eos in lucidis intervallis formaliter subjici legibus, et nequidem materialiter dùm insaniunt. Undè non liceret eis, v. g., carnes, diebus vetitis, apponere.

(b) Censent plures auctores belgæ, Daelman, Billuart, Dens, licere cauponibus, in Belgio catholico, carnes diebus vetitis apponere iis hæreticis qui, ob necessitatem aut magnam aliquam causam, ibi morantur; quia quibus datur esse in patriâ, dantur etiam consequentia adesse. Secùs hæreticis qui versantur in Belgio ambulationis, mercaturæ aut aliâ simili de causâ, quia non censetur tunc adesse necessitas aut sufficiens causa. Nec sufficientem video in priori casu, nisi agatur de militibus patriam occupantibus ob vim, timorem, etc., aut fortè de cauponibus catholicis in ditione hæreticorum existentibus, quia possent haberi ut perturbatores, si carnes recusarent.

(c) Ergo non licet eum, qui legem positivam invincibiliter ignorat, inducere ad ea quæ illi adversantur, quia ad materiale peccatum inducere illicitum est. Imò eum, qui ex tali ignorantiâ, ex oblivione aut inadvertentiâ, aliquam legem prævidetur violaturus, monere jubet justitia legalis, reverentia legibus et superioribus debita, et bonum commune, modò tamen ex monitione fructus speretur.

Sed contrà legem ipsam peccaret qui non moneret, si ad monendum ex officio teneretur.

---

123. Vagi, peregrini, à fortiori advenæ, et qui quasi domicilium habent in aliquo loco, subjecti fiunt, quoad leges locales et præcepta transitoria, superiori illius loci, et tenentur legibus illis et præceptis,

Negativis quidem omni tempore;

Affirmativis verò, quæ per tempus quo ibi morantur

(quod tamen non tenentur protrahere) implere possunt (*a*).

E contrà iidem non tenentur legibus localibus et particularibus (*b*) proprii territorii è quo absunt, nisi absint in fraudem, vel nisi fictione juris præsentes reputentur. Quia *fraus nemini patrocinari debet*, et quia *præsens alicubi delinquensque reputatur qui ibi non facit quod debet*, aut facit quod non debet (*c*).

Aliter est de legibus præceptisve personalibus, de lege, v. g., officii divini recitandi.

Aliter adhuc de præceptis Ecclesiæ generalibus, nisi alicubi ex usu particulari non vigeant.

Sed vicissim qui, habens domicilium in illis locis, extrà peregrinatur, privilegio sui loci uti nequit.

(*a*) Sic D. Augustinus. Sic recta ratio et usus. Multi tamen doctores de advenis simpliciter transeuntibus negant, quamvis sat commorentur in aliquo loco, ut legem illius particularem implere possint; nisi eam non implendo scandalum damnumve aut perturbationem pariant. Sed tutior certè et probabilior stat sententia contraria, ut eam pro principio statuerem.

(*b*) Nihilominùs qui egreditur è proprio territorio in quo festum est, tenetur antè discessum missam audire, si prævideat non auditurum alibi, quia lex actu obligans, actu impleri debet. Obligatio enim, ut aiunt, antecedit omnia impedimenta sive excusantia, sive, excepto dispensationis casu, omninò liberantia.

Si verò iste è suo loco egrediens non possit antè discessum missam audire, stando principiis, eam alibi audire non tenebitur. Sed contrà est fidelium praxis. Sic incola alicujus urbis ubi multæ sunt parochiæ, ab auditione missæ in aliena parochia non eximitur die festo parochiæ suæ proprio, si eam in illa audire nequivit. Aliundè magis tenetur incola qui è suo loco eadem die vadit in alium, quàm viator qui transit per aliquem locum ubi festum est. Iste enim non nisi transitoriè loci illius; sui verò lege perseveranter tenetur incola.

Si tamen ille incola missam audivisset in loco suo, ubi festum non est, non teneretur illam iterùm audire adveniens in locum ubi festum foret, quia satisfecit præcepto hujus diei.

Resolve : qui jentaculum sumpsit in loco suo ubi non est jejunium potest prandere in loco ubi jejunium est.

Sed è contrà probabiliùs non potest iturus è loco suo, ubi jejunatur, in locum in quo non jejunatur, antè discessum jentare, et à fortiori carnes edere; quia lex jejunii eum adhuc obligat, seu ea nondùm liberatur. Ita Collet, P. Gabriel Ant. P. Thomas contrà alios qui legem jejunii ut individuam habent quoàd unicam refectionem, et consequenter permittunt tunc jentaculum, quia quoàd unicam refectionem lex jejunii hàc die non obligabit [623, *a*]. Non permittunt tamen jentare cum carnibus, quia lex jejunii non est quoàd carnium prohibitionem individua, sed impleri debet quoàd partem, si implendi eam quoàd totum non sit obligatio.

Cæterùm auctores variant circà conclusiones ex supradictis principiis fluentes. Sic putat Collet (et hìc videtur sibi contrarius) eum, in cujus territorio hodiè jejunatur, non posse extrà illud carnes manducare in prandio, licèt non exierit in fraudem. Sic volunt theol. Pictaviensis et Bailly eum qui legibus communibus, legi, v. g., jejunii quadragesimalis satisfecit, non teneri, secluso scandalo, continuare jejunium, si adveniat in locum ubi, ob calendarii veteris usum, quadragesima retardatur. Alii verò plures, inter quos Collet, volunt continuandum esse jejunium, et id fluit ex principiis. Aliud tamen esset de lege (communionis pascalis v. g.) cujus impletio unico actu consummatur, et non est ità tempori affixa ut non possit aliquandò anticipari.

Et sequitur ex principiis quòd si dies jejunii aut festi non sit in omnibus locis eadem, ob translationem, v. g., possit quis è loco in locum transiens ad hæc præcepta implenda bis, aut nullatenùs obligari.

(c) Hinc peccat contrà legem jejunii (vel simplicis abstinentiæ) qui è loco ubi jejunatur, transit in locum ubi non jejunatur, eo fine ut non jejunet (vel carnes manducet).

Sed si transeat quia ab amico invitatus est, contrà Collet ratiocinandum mihi videtur aliter. Imò etsi non invitatus, modò, non ut manducet carnes amicum visitet.

Hinc iterùm, contrà leges sui loci residentiam exigentes, peccat absens sine causâ sufficienti, et pœnas incurrit, si quæ sint.

Idem dic de iis qui frumenta evehunt contrà vetitum, arma sumunt cum hostibus patriæ, etc.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE ET EXPLETIONE LEGIS.

§ I.

124. Lex sub gravi obligare cognoscitur, quandò materia ejus gravis in se, aut ratione quantitatis aut dignitatis (ut in re consecratâ), vel in fine legis proximo, absolutè præcipitur aut prohibetur.

Vel quandò positio actûs prohibiti, aut omissio actûs præcepti, quamvis in re quid leve, multùm conducit ad finem legis.

Quæ omnia præcipuè dignosci possunt ex verbis legislatoris (*a*), ex gravitate pœnæ (*b*), ex judicio prudentum et ex consuetudine.

Nota : legislator nunquàm sub gravi obligare potest in materiâ undequâque levi ; benè verò, probabiliùs, sub levi in materiâ gravi. Sed id clarè indicet.

Nota iterùm : materia in se gravis, potest esse levis in fine legis, ut saccus frumenti contrà legem evectus.

(a) Hæc aut similia : *Sub interminatione divini judicii, in virtute obedientiæ promissæ* (aut simpliciter : *sub merito sanctæ obedientiæ; P. Ant. à Goritiâ.*) *Firmiter, strictè, etc.*, gravem obligationem indicant.

Secùs : *monemus, hortamur*; *Collet.* Sed si dicat solùm legislator : *præcipimus, prohibemus* ex solis ejus verbis, præcepti gravitas dignosci non posset.

(b) Ut foret censura major, exilium perpetuum, etc. Ob pœnas severas quibus olim saltem puniebantur levia militum furta, hæc ut gravia reputabat theol. Pictaviensis.

125. Leges humanæ et divinæ positivæ, naturalesque affirmativæ (imò aliquandò negativæ cessant, mutatâ nempè materiâ) non obligant cum periculo detrimenti gravis legis materiæ proportionati, nisi :

1° Eas sic obligare exigat bonum commune magni momenti, seu nisi hìc et nunc utilius sit bono communi legem, quàm hominis privati commodum, servari (*a*).

2° Nisi violari nequeant absque contemptu Dei, religionis, potestatis legislativæ, aut absquè gravi scandalo (*b*).

(a) Sic præceptum est militi servare custodiam, etiam cum periculo vitæ; sacerdotibus et medicis urbem non deserere tempore pestis.

(b) Ut si cui præciperetur in odium religionis carnes edere die veneris.

126. Lex humana fundata in præsumptione generali, quæ dicitur *præsumptio periculi*, obligat etiam ubi non est periculum, quia fundatur in judicio certo periculi, quod judicium semper verum est.

Si autem lex fundata esset in præsumptione particulari, id est, quia præsumeret aliquid in quovis casu singulari, quæ præsumptio dicitur *præsumptio facti*, non obligaret, per se, in illo casu singulari in quo præsumptio certò cognosceretur falsa; seu si factum deesset (*a*).

(a) Utriusque illius legis exempla sint : lex prohibens clericis ludos publicos, fundatur in præsumptione periculi. Lex verò obligans hæredem ad solvenda debita suprà vires hæreditatis, cùm illam adit, non confecto inventario, fundatur in præsumptione facti, juxtà multos. Sed juxtà P. Th. ex Charmes, nullæ leges fundantur in præsumptione facti, benè verò præcepta et sententiæ judicum.

Restringendum ergò effatum : *idem est judicium in foro poli*, seu conscientiæ : *ac in foro fori*, seu in foro externo.

---

127. Lex obligat ad non ponendum, sine causâ sufficienti, obicem voluntarium suæ executioni, et ad illum removendum cùm non est necessarius aut utilior ipsâ lege.

Undè 1°, si impedimentum sit de præcepto, tolli debet, si obstet impletioni præcepti gravioris.

Undè 2°, si impedimentum obstet solùm impletioni partis legis, pars remanens possibilis impleri debet, modò retineat rationem præcepti, cujus materia sit divisibilis (*a*).

(*a*) Talis lex restitutionis, auditionis missæ, recitationis divini officii. Observat tamen Billuart quòd si pars remanens possibilis adeò parva sit ut pro nihilo reputetur, lex ad eam non obliget, v. g., ad recitandum psalmum unum officii diurni.

Observat idem quòd si terminus potentiæ et impotentiæ incertus sit et ambiguus, sicut, v. g., in infirmis, in quibus vix aut ne vix determinari potest, jure præsumatur de mente æqui legislatoris, quòd non velit obligare quoàd partem; quia, cùm ignoretur quænam sit pars illa possibilis, locus foret gravissimis scrupulis et continua perplexitas. Addit ità sentire graves auctores.

Non auderem huic sententiæ adhærere ex integro, eximere, v. g., beneficiarium convalescentem à probandis paulatim, sed sine scrupulo, viribus, ad implendum partìm pensum divini officii.

§ II.

128. Ad legem implendam requiritur in genere et sufficit ut actio vel omissio adæquet voluntatem legislatoris.

Hinc 1°, ad implendam legem prohibentem sufficit omissio actûs prohibiti, nullo retento ad eum affectu malo.

Hinc 2°, scienter et voluntariè agere debet legem affirmativam adimplens, quia impleri debet modo humano, utpotè actui intrinseco (*a*).

Hinc 3°, in lege adimplendâ servari debet alius quivis modus,

Sive intrinsecus, id est, sinè quo res nec præcipitur, nec præcepta impleri potest (*b*).

Sive extrinsecus, si sit à superiore specialiter expressus (*c*).

Hinc 4°, in adimplendâ lege naturali et Ecclesiasticâ (*d*)

servari debet modus virtutis; id est, lex debet impleri ex motivo quod includat, saltem implicitè, motivum à legislatore intentum. Ac proindè legibus saltem illis non satisfit per actus undequàque malos [183].

Hinc 5°, non necesse est ut res præcepta fiat quà præcepta, seu per actum formalem obedientiæ; quia hoc non exigit legislator (*e*).

(*a*) Qui ergò ebrius solvit, debet, suî compos, solutionem debiti ratam habere.

Et missam non audit qui audit coactus, nisi, ut sæpè infantes, mutet voluntatem.

(*b*) Ut attentio et devotio in auditione missæ; actus fidei, spei et charitatis ex motivo illarum virtutum.

(*c*) Ut jejunare ad avertendam calamitatem publicam.

(*d*) Secùs videtur de lege civili. *P. Gab. Ant. P. Thomas.*

(*e*) Imò non necesse videtur ut res fiat implicitè quà præcepta, modò non habeatur mala intentio legem neque per hunc actum, neque per alium implendi.

Hinc præcepto missam audiendi satisfacit, non solùm qui ex devotione eam audiendo, non cogitat de die ex præcepto festivâ, sed probabiliùs qui sibi proponit nondùm, per hanc auditionem, præcepto satisfacere. Ità communiùs.

Attamen vix ac ne vix inveniretur fidelis qui crederet se tunc satisfecisse, et aliam missam non audiret, si posset; quia ratio quâ fulcitur præsens opinio, nempè quòd factum sit quidquid præceptum erat, si mentem non cor timoratum convincit.

Nota : hìc de impletione pœnitentiæ sacramentalis non certò, sicut de impletione alterius præcepti, est ratiocinandum ergà eum qui eam implet illius immemor; quia est pars integrans sacramenti quæ operatur ex opere operato. Contrà tamen sentit theol. Pictaviensis, qui insuper de immemore voti et juramenti, ratiocinatur sicut de immemore præcepti. Sed certè saltem votum non implet, qui positivè vult illud non implere, quia cùm voluntariè sibi obligationem imposuerit, ab ipso pendet eam nondùm implere [796].

Imò nonne hìc ratiocinandum sicut de dante, sui debiti immemore [553]?

---

129. Pluribus legibus aut præceptis actu unico satisfit, quandò per unum unius præcepti actum, alterius non impeditur impletio, sed potiùs tota illius ratio tollitur (*a*).

Et quandò id concedere præsumitur legislator (*b*), aut talis est consuetudo.

Sed, in dubio, plures actus velle censendus est superior (*c*).

Qui autem multis præceptis, simul concurrentibus, non potest unico actu satisfacere, censendus est satisfacere graviori, vel omnibus, pro ratâ, si æquè gravia sint (*d*).

(a) Ut si quis ex præcepto confessarii eleemosynam det quam ex charitate jam dare debuisset.

Item, juxtà communiorem et probabiliorem, clericus qui audiendo missam horas recitat, vel, inquit Billuart, preces pro injunctâ pœnitentiâ. Secùs si pro pœnitentiâ injunctâ fuisset missa audienda. Generaliter loquendo confessarius præsumitur mentem habuisse obligationem à jam aliundè impositâ distinctam imponendi, si alioquin nulla aut ferè nulla pœnitentia explenda foret.

Secùs si pœnitentia injuncta sat gravis adhuc et conveniens remaneat. *Collet. Bailly.*

(b) Sic tempore jubilæi ad instar, satisfit jejuniis à S. P. præscriptis per jejunia quadragesimæ aut quatuor temporum occurrentia.

Sed in jubilæo ordinario anni 1825, declaravit S. P. Leo XII confessionem et communionem annuam non posse suppleri per confessionem et communionem jubilæi, et vice versâ [83].

(c) A fortiori si superior prohibeat explicitè vel implicitè, ne per unum actum plura impleantur præcepta, aut ità meritò præsumatur. Sic ordinariè per unum jejunium non satisfit præcepto Ecclesiæ et voto, vel pœnitentiæ sacramentali.

(d) Si verò præcepto uni præ altero satisfacere intenderit, huic soli satisfecisse judicandus est, nisi simul habuerit interpretativam voluntatem, eamque majorem, aliud implendi. Sic qui voverat auditionem missæ eique interest die quam festum nescit, præcepto Ecclesiæ satisfacit, nisi contrariam et expressam habeat voluntatem. *Collet.*

---

130. Lex implenda est tempore, si quod sit, explicitè vel implicitè præfixo,

Nec, eo elapso, obligatio cessat, nisi sit onus temporis, seu diei, ut aiunt.

Cognoscitur autem obligationem non esse onus diei, quandò tempus implendi legem aut præceptum, non ad limitandam et finiendam, sed ad sollicitandam et urgendam obligationem, determinatum est. Tunc enim circumstantia temporis non est nisi secundaria.

Undè, sicut post, ità et ante tempus, lex implenda est, si, tempore determinato, impleri non posse prævideatur (a).

Nullo autem determinato tempore, statim ac commodè fieri potest implenda est lex.

Imò aliquandò statim, ratione scilicet urgentis alterius præcepti.

(a) Sic jejunium, recitatio officii, auditio missæ die dominicâ sunt onus diei. Confessio verò annua et communio in Paschate præcipiuntur ad urgendam obligationem, quasi prohibeatur ne ultrà differantur. Vide tamen, pro communione [619, c].

CAPUT IV.

DE INTERPRETATIONE LEGIS.

INTERPRETATIO generaliter sumpta, est legis obscuræ explicatio, quâ declaratur in tali casu obligare vel non obligare.

Non cadit in legem divinam sivè naturalem, sivè positivam, quia lex divina nullam declarationem, sed puram explicationem suscipit.

Interpretatio alia est authentica, alia doctrinalis et alia emendatoria.

SECTIO I.

De interpretatione legis authenticâ.

131. INTERPRETATIO authentica, seu auctoritativa, quæ et necessaria dicitur, ea est quæ fit vel à legislatore ejusve superiore aut successore, vel ab ipsius ministris ab eo deputatis, cum hâc differentiâ quòd isti sensum legis personalem attingere teneantur quantùm possunt; et è contrà ipse legislator, etc., qui et posset legem mutare et abrogare.

Ad interpretationem authenticam refertur ea quæ per consuetudinem introducitur;

Et quæ judicialis appellatur, cui, utpotè pro casu particulari jus facienti, partes obsequi tenentur, ni ad superiorem appellaverint.

Ergò interpretatio authentica debet promulgari.

SECTIO II.

De interpretatione legis doctrinali.

132. DOCTRINALIS interpretatio ea est quæ fit à doctoribus, eòque ideò majoris est momenti quò plures sunt pro eâ et præsertìm graviores. Ponderandi enim magis quàm numerandi.

Si interpretatio sit ferè universorum, dat certitudinem moralem contrà quam ire illicitum (*a*).

Si scindantur doctores, pensanda ex utrâque parte rationum gravitas, et ea est tenenda opinio quæ magis, et saltem probabiliùs, ad verum accedere videatur [168, 169].

Sequentes autem regulæ præcipuæ, ex juris axiomatibus desumptæ, servandæ sunt in legum interpretatione.

(*a*) Quia contrà prudentiam. Aliundè communis doctorum interpretatio, superioribus non contradicentibus, indicium est quis sit saltem nunc sensus legis; præsertìm si populi consensus accesserit.

REGULA I.

133. Verba legis accipi debent secundum naturalem eorum usitatamque acceptionem, nisi indè sequatur absurdum, aut lex evadat inutilis (*a*).

Undè 1°, verba clara interpretationem non admittunt;

Et si sint æquivoca, interpretatio fieri debet juxtà legislatoris mentem, quæ, magis quàm verba, attendenda est (*b*).

Quòd si non cognoscatur illa mens, ex materiâ et fine legis, ex antecedentibus et consequentibus, ex aliis legibus verba similia habentibus cæterisque circumstantiis, et præsertìm ex ratione quâ motus est legislator, quamque legis indicat proœmium, sensus ejus intelligendus est.

Quod legislator verbis non expressit, non videtur mente cogitasse.

Undè 2°, verba generalia generaliter accipienda sunt; et indefinita locutio æquivalet universali. Proindè *ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Undè 3°, *taciti et expressi idem est judicium et par est virtus.*

Undè tandem, *quæ à jure communi exorbitant, nequaquàm sunt ad consequentiam trahenda.*

(*a*) Sic, ex usu, accessorium continetur in significatione propriâ et naturali principalis.

(*b*) Hinc verbum *debet* non semper importat necessitatem.

In dubio melius est verbis edicti servire, si nihil obsit: et in omnibus causis potior esse debet causa æquitatis quàm stricti juris. Ast si de mente legislatoris

constet, ei standum est, etsi verba legis aliud significent, quia, ut ait D. Thomas, *non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus.*

Attamen censent plures legislatorem *extrà legem loquentem* posse non audiri, si dicat se habuisse intentionem quæ non cohæreat proprietati verborum ejus. Authenticè tunc interpretetur legem suam, et lis finita erit.

REGULA II.

134. Lex ad casus in eâ non comprehensos, regulariter loquendo, non debet extendi ob paritatem, identitatem, aut etiam vim majorem rationum. Undè tritum : *In jure positivo non licet argumentari à pari.*

Nihilominùs cùm lex loquitur de singulari casu vel personâ per modum exempli, ad casum hunc vel personam non restringitur.

Item in Judiciali interpretatione, quandò lex est obscura, proceditur à simili in aliâ lege expresso, juxtà illud jurisperitorum : *Casus non expressus potest decidi per legem casûs expressi* (*a*).

Tandem à præsenti regulâ exceptio fit quandò, attentis materiâ et aliis circumstantiis, certo præsumi potest mentem legislatoris fuisse tales casus in lege comprehendere, et quidem.

1°. *In correlativis*, seu quæ mutuam dicunt relationem ad invicem, ut sponsus et sponsa, maritus et uxor. Tunc quod est dispositum de uno, dispositum censetur de alio.

2°. *In æquiparatis à jure*, sed solum in ordine ad ea in quibus æquiparantur, ut in exequente et mandante.

3°. *In connexis* taliter ut unum subordinetur alteri, vel in eo contineatur, ut pars in toto, minus in majore, imperfectum in perfecto (*b*).

4°. In omnibus generaliter casibus, in quibus, non ratiocinando à pari, iniquitas sequeretur aut absurditas.

Sed in his consulendi sæpè jurisperiti.

(*a*) Cùm lex exprimit rationem propter quam fertur, extenditur, juxtà multos, ad casus in quibus clarè occurrit eadem ratio legis; quia ubi ratio exprimitur, censetur eadem esse dispositio pro casibus ubi clarè reperitur. Tunc non est interpretatio extensiva, sed declaratio comprehensiva. *P. Gab. Ant.*

Particulæ, *aut, vel,* aliquandò accipiuntur copulativè, cùm, v. g., inter

illas ponuntur ea quæ non separantur. Particulæ *seu, sive*, plerùmque sumuntur copulativè, aliquandò disjunctivè.

(*b*) Hinc ova permittantur, quibus carnes. *Billuart*.

REGULA III.

135. Lex pœnalis et odiosa (*a*) strictè;
Latè verò sumenda favorabilis, nulli nociva (*b*).
Indè effata: *Odia restringi, favores convenit ampliari. In odiosis benigna interpretatio est facienda.*

Sed notandum favorabilia dici non posse quæ cupiditati favent, et sunt contrà leges aut bonum commune (*c*).

(*a*) Omnisque alia onerosa. *P. Gab. Ant.* Hinc odiosa censetur lex pœnalis; item lex correctiva juris.

(*b*) Lex favorabilis ad sensum civilem extendi potest, ni quid obstet, v. g., ad filios adoptivos, quandò loquitur de filiis naturalibus. *P. Thomas ex Charmes.*

(*c*) Nec dispensationes aut privilegia privata aliis nociva; quin potiùs in odiosis reponenda et strictè interpretanda. Id enim solùm pro favore haberi debet quod ità uni prodest, ut alteri non noceat. Per dispensationes autem et privilegia, infertur plaga legibus.

Excipe, si privilegia sint præter jus, nulli nociva, aut in favorem religionis, vel reipublicæ, etc. *Varii.*

SECTIO III.

De interpretatione legis emendatoriâ.

136. Interpretatio legis emendatoria, quæ et Epikeïa dicitur, ea est per quam, sensu legis jam intellecto, prudenter judicatur factum particulare, quod videtur, ex terminis generalibus, in lege contentum, in eâ tamen non comprehendi; quia legislator non potuit aut noluit illud in eâ comprehendere (*a*).

Differt ab interpretatione doctrinali in eo quòd ista sequatur mentem quam habuit legislator, Epikeïa verò mentem quam habuisset; illa det sensum legis, ab eo verò recedat Epikeïa.

(*a*) Seu est explicatio mentis, non quam habuit, sed quam, legem condendo habuisset legislator, si ad casum præsentem attendisset, et quam haberet hic et nunc, si interrogaretur; v. g., si res præcepta in casu particulari sit bono

communi contraria, nimis onerosa, moraliter impossibilis, aut manifestè contrà usum vel modum præcipiendi ordinarium.

In dubio petenda est dispensatio aut interrogandus superior si fieri possit. Secùs parendum.

Nota : Epikeïa locum probabiliùs non habet in legibus ipso facto irritantibus, quia irritatio debet esse fixa, stabilis, firma et certa, ob gravia incommoda publica quæ debent potiùs quàm privati incommodum præveniri. *Theol. Pict. Billuart*, etc.

CAPUT V.

DE CESSATIONE LEGIS.

Sive totaliter, sive solùm quoad suî partem ; sive ergà omnes, sive tantum ergà aliquos lex cesset, id fit ab intrinseco vel ab extrinseco.

SECTIO I.

De cessatione legis ab intrinseco.

137. Lex cessat ab intrinseco ;

1°. Per cessationem ipsius constitutivorum essentialium, ut, si fieret impossibilis, inhonesta aut injusta.

Sed si evadat respectu unius solùm injusta, quamvis eâ non teneatur, debet, ad ordinem servandum, dispensationem petere.

2°. Per cessationem sat longam et publicè notam, omnium ejus finium, respectu majoris saltem partis communitatis.

SECTIO II.

De cessatione legis ab extrinseco.

Ab extrinseco cessat lex per irritationem, abrogationem, derogationem, et, quamvis impropriè, per dispensationem et privilegium.

ARTICULUS I.

De cessatione legis per irritationem, abrogationem et derogationem.

138. Legis irritatio est ejus abolitio facta ab eo cujus est eam ratam habere.

Abrogatio est totius legis revocatio seu abolitio.

Derogatio verò est revocatio partis legis, remanente alterâ parte.

Legem abrogare, aut ipsi derogare possunt legislator, ejus successor aut superior, et quidem sine causâ. Peccarent tunc equidem, sed non peccarent subditi legem non servantes amplius (*a*).

(*a*) Notant hìc aliqui quòd, quamvis Lex aliqua nova deroget priori, in quantùm est illi contraria, tamen derogationis hujus fieri debeat aliquandò mentio in posteriori lege. Sic constitutio pontificia generalis non derogat legi particulari alicujus loci, nec privilegiis, nisi clausulâ derogatoriâ exprimatur. Sed talis constitutio derogat statutis concilii generalis absque mentione derogationis.

Episcopus non potest derogare statutis concilii provinciæ suæ.

---

139. Et legi derogare, eamve abrogare potest consuetudo legitima, quæ ut talis sit debet, præter superiùs dicta (*a*), non solùm juri divino et bono communi non adversari, sed [118],

1°. A jure humano non reprobari tanquàm abusus (*b*);

2°. Peccandi licentiam et occasionem non præbere;

3°. Ratione inniti sufficienti, qualis, v. g., quæ ad legem abrogandam sufficeret, minor proindè quàm quæ requiritur ad legem introducendam. Tunc enim necesse est ut consuetudo positivè conducat ad utilitatem publicam, dùm hic sufficit ut ipsi non adversetur (*c*).

4°. Requiritur ut, si viâ conniventiæ introducatur [117], ipsi non obstet legislator, v. g., transgressores non puniat, legis observationem non urgeat, quamvis facilè posset; vel si ipso vidente et non contradicente, palàm agatur contrà legem.

His positis conditionibus, consuetudo contrà legem est rationabilis (*d*).

Nota : ergò consuetudine cessare potest lex quoad pœnam, non quoad culpam (*e*);

Et de obligante sub gravi, evadere obligans solum sub levi.

Nota iterùm : hæc clausula : *Non obstante quâcumque consuetudine in contrarium*, ordinariè intelligitur de consuetudine existente tempore quo lex fertur; et, si pro futuro ponatur, solùmmodò difficiliorem reddit consuetudinem contrà legem.

Nota tandem : consuetudo vicissim per legem, aut per aliam consuetudinem abrogari potest. Sed consuetudo particularis, per legem, etiam universalem, non abrogatur, nisi legislator illam nosse, saltem confusè, et voluisse abrogare rectè præsumatur, ut, si dicat : *Non obstante quâcumque consuetudine contrariâ*. Imò, si consuetudo sit immemorialis, nisi addat : *Etiam immemoriali*.

(*a*) Quoàd tempus sufficiens ad præscribendum contra legem, variant auctores, sicut pro consuetudine legem introducente. Alii enim, inter quos Fagnan (et communis est ista sententia, inquit Benedictus XIV), annos 40 requirunt ad abrogandam legem ecclesiasticam, quia idem tempus requiritur ad præscribenda bona et jura Ecclesiæ.

Ast non improbabiliter autumant alii, et præsertim recentiores, inquit idem S. P. (de Synodo diœcesanâ, lib. 3, cap. 5), sufficere 10 annos, sicut ad præscribendum contrà jus civile; quia non est inducenda discrepantia inter jus civile et jus canonicum. Nec valet ratio priorum, quia ex illâ sequeretur 100 annos requiri ad præscribendum contrà legem pontificiam, cùm 100 solùm annis præscribantur jura Ecclesiæ Romanæ.

Suarez ut practicè certum habet sufficere annos 10, si agatur de abrogandâ lege ecclesiasticâ nunquàm usu receptâ. Ità etiam Collet, etc.

Sed nota : Non potest computari tempus interruptum per contrarium actum judicialem, punitionis, v. g. Si autem dormierit præscriptio, superveniente scilicet aliquo tempore meri non usûs legis, anni antèacti cum posterioribus computari possunt.

(*b*) Abusus, seu corruptela, est continuata frequentatio actuum contrà legem; et talis præsumitur hìc, quandò populus intendit solùm satisfacere suæ depravatæ voluntati.

In dubio an consuetudo utilitati communi perniciosa sit, judicent prudentes; et, si, omnibus perpensis, perseveret dubium, consuetudo rationabilis præsumenda est. *P. Ant. à Goritiâ*.

(*c*) Sufficit ut occurrant circumstantiæ, in quibus magis expediat legem non observari; ne, v. g., multitudo semper peccet per usus contrarios legem reddentes servatu difficilem. *Collet*.

Hinc fieri potest ut consuetudo tanquàm irrationabilis reprobata, mutatis circumstantiis, rationabilis evadat.

(d) Addunt multi, ut quid probabiliùs, quintam conditionem; nempè ut, toto tempore ad præscribendum requisito, adsit bona fides, seu ut actus fiant licitè.

Peccant ergò qui consuetudinem contrà legem introducunt; sed eorum successores possunt eam bonâ fide continuare, præsumendo de justâ ratione eam inchoandi.

(e) Addunt aliqui melioris notæ theologi consuetudinem posse vicissim tollere culpam relinquendo pœnam, quià consuetudo potest quidquid potest lex; lex autem potest esse purè pœnalis. Pro exemplo ponunt quidam venationem quam communitas frequentat, quàmvis dominus mulctam exigat à venantibus ut sibi debitam. Idem quidam applicant defraudationi tributorum pro illâ parte quâ excederent justam *quotam* illius qui ea defraudat. *Dens.*

Hæc locum habere nequeunt saltem in censuris ecclesiasticis, in pœna mortis, exilii et infamiæ, quæ necessariò culpam supponunt.

ARTICULUS II.

De dispensationibus et privilegiis.

§ I.

140. Dispensatio est obligationis legis relaxatio, facta ab habente potestatem, in favorem particularium, pro casibus particularibus remanentibus iisdem materiâ legis et subjecto capaci ejus obligationis.

Differt à permissione, quâ apponitur solùm conditio sub quâ lex non obligat.

Dispensatio alia est expressa, ad quam tamen necessarium non est, neque specificari ejus materiam (a), neque eam scripto dari, nisi id jure cautum sit.

Alia tacita cùm, v. g., aliquid præcipitur quod scit superior inferiorem exequi non posse sine dispensatione.

Alia præsumpta, sed rara. Minùs difficilè præsumeretur permissio seu licentia (b).

(a) V. g., dispensari potest super impedimento, si quod sit.

(b) Sic ex usu, superioris voluntatem præsumit religiosus emens librum quem fortuitò invenit.

Sed probabiliùs est contrà quosdam, silentium superioris videntis inferiorem agentem contrà legem, nec reclamantis, quamvis facilè reclamare posset, non esse dispensationem, quia ad dispensationem non sufficit voluntas permissiva, sed requiritur voluntas concessiva.

141. Potestate ordinariâ dispensare potest in suis legibus ipse legislator, et ejus successor.

Item superior cui legislator aut ejus successor subordinatus est.

Inferior autem non potest dispensare nisi vi potestatis à jure aut consuetudine, vel ab ipso superiore delegatæ;

Sed cum hâc differentiâ quòd potestas, à jure vel consuetudine delegata, ordinariæ æquiparetur cùm in perpetuum est concessa, vel annexa officio aut dignitati, dum è contrà quæ à superiore delegatur.

Hæc autem duplici modo delegari potest; vel per modum gratiæ in favorem delegati; vel per modum commissionis in favorem alicujus personæ vel causæ.

Si priori modo latè interpretatur, quia favor est nec expirat morte concedentis, si absolutè collata sit.

Si posteriori; strictè est interpretanda, et expirat morte concedentis, si res sit integra, necdùm executioni cœpta mandari.

Nota : delegatus ad dispensandum non potest subdelegare nisi sit delegatus ad universitatem causarum in aliquo genere vel loco.

Sed etiam tunc, pro re particulari solùm subdelegare potest (*a*); nec permittitur ut subdelegatus subdeleget.

(*a*) Delegatus à Papâ aut principe superiorem non agnoscente potest subdelegare in his quæ sibi prohibita non sunt.

Item Ordinarius potest expressè vel tacitè permittere ut suus delegatus subdeleget. *Bailly*.

---

142. Conclude :

1°. S. P. posse, virtute ordinariâ, dispensare cum omnibus Christi fidelibus, in omnibus Ecclesiæ legibus, etiam quas apostoli auctoritate humanâ condiderunt;

Et, ut delegatum à Christo, à votis et juramentis.

2°. Episcopos posse, itidem virtute ordinariâ dispensare in suis suæque synodi legibus, cum suis subditis ubivis degentibus (*a*);

Et, ex usu, in legibus concilii provincialis aut nationalis(*b*) si non sint reservatæ;

Et, ut ab Ecclesiâ delegatos, in legibus Ecclesiæ generalibus, pro casibus nonnullis.

Ecclesiæ autem delegatio hæc, quæ potestati æquiparatur ordinariæ, cognoscitur ex jure aut consuetudine legitimè introductâ, et ex S. P. voluntate prudenter præsumptâ (*c*).

3°. Itidem posse superiores religiosorum in iis quæ sunt sui juris.

4°. Parochos utpotè leges ferre ullas non valentes, in nullis dispensare posse nisi ex delegatione particulari, aut ubi, expressè vel tacitè, pro frequentioribus, consuetudo id ipsis concedit, in parochiis præsertim ruralibus (*d*).

Nota : legislator secum dispensare nequit; sed judicare potest, in tali casu in quo cum inferiore dispensaret, legem naturalem eum non obligare ad legem suam servandam.

Ast prælati qui potestatem habent dispensandi in votis et juramentis, possunt committere qui cum ipis dispenset (*e*).

(*a*) Et in communibus cum vagis et peregrinis; cum peregrinis et advenis negat P. Ant. à Goritiâ; alii sola excipiunt vota, juramenta et alia impedimenta singularia; alii nihil excipiunt.

(*b*) Ità Dens, Bailly, etc. Sed negat P. Gab. Ant., nisi concedat Papa aut concilium, quia concilium est suprà Episcopum.

Benedictus XIV, lib. 13 de synodo diœcesanâ, cap. 3., excipit casum solum in quo synodus à S. P. confirmata foret in formâ specificâ.

Nota : Archiepiscopus non habet potestatem ordinariam dispensandi in legibus Episcoporum suæ provinciæ, nequidem in casu visitationis aut appellationis juxtà alios contrà alios.

Nec potest Archiepiscopus dispensationes ab suo suffraganeo concessas revocare, nisi pertineant ad forum litigiosum, et res fuerit ad tribunal ejus delata.

(*c*) Sic cum dicitur in lege : *Et in ipsâ dispensari possit*, Episcopis conceditur hæc facultas, quia verba hæc non nisi Episcopos spectare possunt, nisi ex contextu, stylo curiæ aut consuetudine aliud appareat.

Sic etiam ex consuetudine Episcopi dispensant in legibus quæ non sunt magni momenti, et quæ sub gravi non obligant.

Item id frequenter occurrentibus, ut in festis, et (excepto, juxtà Sanchez, etc., in impedimento matrimonii) in iis in quibus dubium est an opus sit dispensatione.

Sic tandem, ex S. P. voluntate prudenter præsumptâ dispensant in casibus necessitatis, cùm ad Papam nullatenùs, aut non nisi difficillimè recurri potest, v. g., cùm ex recursu infamia, scandalum, aut aliud gravissimum timetur.

(*d*) Sic dispensant in interdicto ab operibus servilibus diebus festivis; in abstinentiâ à carnibus cum infirmis, si infirmitas non sit habitualis; imò etsi. etc., prout fert consuetudo uniuscujusque diœcesis.

In civitate verò ubi moratur Episcopus, solent pro usu ciborum vetitorum et operibus servilibus recurrere ad Episcopum. Potest tamen contraria esse consuetudo.

Ast nequeunt cum parochianis generatim dispensare à lege abstinentiæ, nec id potest Episcopus cum suis diœcesanis, nisi gravissimâ et urgente necessitate, et cum debitâ ad S. P. reverentiâ, inquit Benedictus XIV, constitutione *libentissimè*, Bullarii, tom. 1. Duas solùm causas enumerat.

(e) Etiam probabiliùs, nullo interposito; quia jurisdictio ordinaria voluntaria non exigit, sicut coactiva, personarum distinctionem. *P. Ant. à Goritiâ.*

Nota : Potestas delegata commutandi non est potestas dispensandi. Imò qui, ex delegatione dispensare potest, prudenter interdum solùm commutabit.

---

143. Ad validitatem dispensationis requiritur actus liber et sufficienter manifestatus superioris.

Sed nulla, strictè loquendo, ex parte ejus causa requiritur, si dispenset in suâ aut inferioris lege.

Benè verò, si in lege superioris (*a*).

Ex parte autem dispensationem postulantis, requiritur ad validitatem, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis (*b*).

Ad licitatem verò requiritur et pro concedente et pro postulante causa justa, moraliter, omnibus attentis, consideranda; non tamen tanta quæ per se legis obligationem tollat (*c*).

Et in hoc dispensatio differt ab Epikeiâ et præsumptione licentiæ.

(*a*) Hinc nulla est dispensatio sine causâ concessa in votis aut juramentis;

Et dispensatio ab Episcopo concessa, itidem sine causâ, à legibus pontificiis aut aliis Ecclesiæ generalibus.

Dispensatio tamen à superiore denegata potest validè concedi ab inferiore ob motiva quæ superiori non fuissent exposita; imò probabiliùs etsi nova non exponerentur, si inferior priùs exposita judicet sufficientia. Tutiùs tamen non petenda talis dispensatio, nec eâ utendum si obtenta fuerit.

Non conveniunt quale peccatum committat superior qui sine causâ justâ aut prudenter sic existimatâ, dispensat in suâ aut inferioris lege. Veniale solùm juxtà aliquos, secluso gravi scandalo, aut magno reipublicæ privatorumve detrimento. Meliùs cum aliis mortale diceretur in materiâ gravi.

(*b*) Obreptio est allegatio falsitatis; subreptio, reticentia veritatis.

Obreptio, etiam à solo sollicitatore, oratore inscio, facta, nullam reddit dispensationem, quandò allegatur causa finalis falsa. Finalis autem dicitur ea causa quæ principaliter movet dispensantem, ità ut sine illâ non dispensaret, aut certas apponeret dispensationi conditiones vel limitationes.

Hinc si plures allegentur causæ quæ simul requirantur ad unam finalem constituendam, obreptitia erit dispensatio, si vel una falsa sit.

Si verò causa falsò allegata sit solùm impulsiva, movens equidem superiorem, sed non ità, ut sine eà non dispensaret, valida est dispensatio si bonâ fide hæc causa allegata sit, modò, ut supponitur, causa finalis vera sit. Sed si allegata sit malâ fide, juxta multos, contra Sanchez et alios graves, ex jure invalida est dispensatio.

Nec conveniunt an valida sit dispensatio in casu in quo plures causæ finales allegatæ essent, quarum una falsa foret. Non valet probabiliùs, inquit Collet, quia hoc contrà stylum curiæ romanæ est.

In his ergò consulendus Episcopus, qui fortè in dubio, dispensationem executioni demandabit. Consulendus item, vel alii periti, quandò ignoratur an causa falsò allegata finalis sit, aut solum impulsiva.

Valida est dispensatio, si causa vera sit, quamvis à falsis testibus probata. *Collet. Bailly.*

Subreptio verò dispensationem reddit nullam, quando reticetur veritas, quæ ex jure, consuetudine aut stylo curiæ Romanæ exprimi debet.

Hinc nulla est dispensatio, cùm in supplici libello (*la supplique*) facta non fuit mentio præcedentis dispensationis, quandò hæc mentio necessaria est ut superior cognoscat quantitatem aut qualitatem gratiæ quæ postulatur; ut si quis jam dispensatus à residentiâ pro anno, iterùm postulet pro anno sequenti; aut si jam dispensatus ab impedimento criminis uxoricidii, in illud ergà uxorem secundam relapsus, iterum dispensari petat.

Secùs, si dispensationis præcedentis mentio non sit necessaria ad cognoscendam qualitatem et quantitatem gratiæ quæ conceditur; v. g. si dispensationes ad res diversas pertineant, inter se non uniantur, et unaquæque causam habeat propriam; vel si prior fuerit nulla, modò, inquit Bailly, non ex malâ fide petentis. Undè dispensatus in quadragesimali observatione, non tenetur eàdem perseverante, aut alterâ adveniente causâ, prioris dispensationis mentionem facere in petendo dispensationem pro alterâ quadragesimâ. Item jam dispensatus ut consanguineam ducat, id exprimere non tenetur, si, eâ mortuâ, aliam item consanguineam ducere velit.

Nota 1.° Rescriptum partem duplicem continens necessariò connexam, invalidùm est quoad utramque si causa finalis unius falsa sit; obreptio enim partem utramque vitiat.

Si autem utraque pars aliquam quidem, sed non necessariam connexionem habeat, ut dispensatio à voto castitatis et ab alio matrimonii impedimento, rescriptum valebit quoàd partem veram habentem causam finalem, modò causa falsa alterius partis bonâ fide, vel solùm à sollicitatore exposita sit.

Si pars utraque nullam habeat connexionem, rescriptum valebit pro unâ non pro alterâ parte.

Nota 2.° Si in rescripto adjunctæ sint à perversis agentibus causæ quas non continebat supplica (cujus proindè exemplar retinendum), causæ illæ deberent verificari coràm officiali vel confessario dispensante; aliàs dispensatio foret nulla.

Nihilominus error in proœmio rescripti illud non semper vitiat, nec unquàm error circa nomina, aut qualitatem (impedimentorum matrimonii, v. g.) nec circà alia minimè essentialia, modò constet dispensationem concessam fuisse ei qui eam postulabat.

Excipe nisi postulans erraverit ipse, ponendo, v. g., in supplicâ pro dis-

pensatione ab impedimento matrimonii, unum impedimentum pro altero, aut gradum consanguinitatis, etc., inferiorem pro superiori, vel impedimentum dubium pro certo.

Si autem ut certum exposuerit quod dubium sit, vel gradum superiorem pro inferiori, valet dispensatio, quia *non debet cui plus licet minùs licere.*

Excipit adhùc Bailly, si postulans nomen suum ipse mutaverit ad decipiendum superiorem.

Nota 3.° Dispensatio peti potest et obtineri pro inscio aut invito. Sed obreptitia esset, si non diceretur quòd pro invito, imò quòd pro inscio, si prævideatur eam non voliturus, quia supplex libellus supponeret falsum, nempè voluntatem saltem præsumptam habendi dispensationem; quis enim superior censetur dispensare cum nolente.

(c) Si causa justa desit, peccat postulans peccato genere suo mortali, etiamsi superior bonâ fide agat.

Attamen non nisi contra legem naturalem peccaret qui tali dispensatione uteretur; nec consequenter pœnas incurreret, si quæ forent, quia lex eas ferens pro ipso sublata est.

Addunt alii contrà alios itidem peccare acceptantem oblatam sibi sine causâ dispensationem. Pro affirmativâ ut probabiliori starem cum Theolog. Pict. Dens, etc.

Ast subditus qui rationes suas bonâ fide credens sufficientes, vel de eorum sufficientiâ dubitans, eas subjecit superiori, potest, donec contrarium appareat, tutâ conscientiâ uti dispensatione.

---

144. Causæ dispensationis debent ultimatè saltem in bonum commune redundare.

Valere ergò potest causa quæ commodum particulare dispensati primò attingit (maximè si dispensatio sit remuneratoria), quandò dispensatio in damnum aliorum non cedit; quia bonum commune postulat ut superior singulorum rationabile bonum procuret, quantùm fieri potest, absque boni communis jacturâ.

Monendi ergò fideles ut non petant dispensationes sine causâ, et inconsulto parocho.

Quandònam autem causa pro dispensatione debet esse vera? Saltem tempore quo datur dispensatio, vel quo fulminatur aut expeditur (*a*).

Si tamen causa falsa sit tempore quo supplica mittitur, non valet dispensatio, si ex dolo fiat ut vera sit tempore impetrationis aut fulminationis (*b*).

Causâ finali cessante antè impetrationem dispensationis, vel antè illius ab ordinario fulminationem aut per confessarium executionem, nulla fit dispensatio, quia verificari ne-

quit clausula : *Si preces veritate nitantur*, quæ in rescriptis pontificiis ordinariè invenitur (*c*).

Notanda : 1°. Dispensatio non cessat morte concedentis, etiamsi res sit adhuc integra (*d*).

2°. Dispensatio ab impedimento, jam executioni mandata, revocari nequit, benè verò anteà.

Sed dispensatio à præcepto semper revocari potest, cessatque cessante causâ.

3°. Dispensatus potest dispensationi renunciare. Sed eâ uti potest donec renunciatio nota fuerit superiori et ab eo acceptata, nisi onus, à quo dispensatus est, pendeat à suâ voluntate. Renuncians enim tunc dispensationi, à voto, v. g., onus sibi imponit denuò.

(*a*) Sufficit ut sit vera tempore fulminationis aut executionis litterarum, quia dispensationes nunc dantur in formâ commisoriâ. *Corradus* et *Ducasse* contra plurimos.

(*b*) V. g. Si partes quæ, pro causâ obtinendæ dispensationis ab impedimento consanguinitatis, falsò allegaverant commercium carnale inter se habitum, et infamiam indè timendam, consultò commercium illud habeant, ut clausula : *Si preces veritate nitantur*, possit tempore executionis rescripti verificari. *Collet.*

(*c*) Hinc si puella, cujus paupertas pro causâ dispensationis allegata est, fiat dives ante fulminationem aut executionem dispensationis, non potest hæc dispensatio fulminari aut executioni demandari.

Idem dicendum si puella hæc, ut fruatur dispensatione, hæreditati sibi advenienti cedat id favorem alterius. *Collet.*

Imò dubia foret dispensatio, si simpliciter hæreditatem non acceptaret; ac proindè consulendus tunc Episcopus. *Idem.*

Aliud esset si solùm speraretur hæreditas, aut si assecuta esset quidem, sed eâ conditione quòd puella nubat parenti.

Ast quid, si causa finalis cesset post fulminatam, aut executioni demandatam dispensationem? Juxtà quosdam cessat dispensatio si dispensatus nondùm sit in statu irrevocabili; juxtà alios verò non cessat; hocque videtur probabilius. Obligatio extincta est absolutè. Nulla, inquit Collet, unquàm visa est dispensatio in quâ expressum fuerit eam cessaturam cessante causâ. Secùs dispensatio à præcepto aliove quolibet actu qui habet tractum successivum. Ità adhùc theol. Pict. Bailly, etc.

Cessant etiam dispensationes à lege divinâ, cessante earum causâ. Undè à voto dispensatus ut nubat, nubere nequit, si causa ob quam fuit dispensatus, cessaverit. *Habert.*

(*d*) Hìc agitur solùm de dispensationibus concessis à Datariâ; Pœnitentiaria enim non extinguitur per mortem S. P.

Idem ac de dispensationibus dicendum de aliis rescriptis quibus gratia vel jus certum ad illam conceditur.

Idem adhùc de facultatibus illimitatè concessis extrà jurisdictionem conten-

tiosam, ut sunt litteræ dimissoriæ, facultas commutandi vota et aliæ concessiones gratiosæ. Restringendum ergò : *mandatum, re integrâ, finitur morte concedentis.*

§ II.

145. Privilegium est quasi lex favorabilis, per quam superior aliquem eximit à jure communi, ob privatam ejus excellentiam.

Validè ergò sed illicitè, sine causâ concederetur, quia est quasi dispensatio.

Privilegium aliud reale, quod rei vel muneri;

Aliud locale, quod loco;

Et aliud personale quod personæ conceditur.

Reale redundat in personam ad quam res vel officium pertinet.

Sed personale personæ, et locale loco præcisè conceditur.

Reale cognoscitur, quandò res vel officium tantùm nominatur; et transit ad successores, nisi limitetur.

Personale verò, quandò persona sola nominatur (*a*).

Personam ubique sequitur et cum eâ extinguitur.

Non liceret tamen personali uti privilegio extrà territorium superioris qui illud concessit, seu in territorio extraneo, si foret contrà particulares hujus territorii leges (*b*).

Nota : realia reputantur, ac proindè ad successores transeunt, privilegia concessa certo hominum generi, vel communitati, etc.

Iterùm : privilegium aliud dicitur *contra jus*, quod nempè communi vel alicujus tertii juri derogat.

Et aliud *præter jus*, quod neque contrà legem aliquam, neque cum illius damno, illis, quibus de jure non competit, conceditur (*c*).

Aliud favorabile quod nulli nocet, nec contradicit juri communi, ut privilegium audiendi missam tempore interdicti,

Et aliud odiosum quod è contrà.

Prius latè, posterius strictè interpretandum.

Tandem aliud ad tempus, aliud in perpetuum.

(a) Si ergò dicatur : *Concedimus Paulo Ambrosio*, privilegium est personale. Si verò : *concedimus Archiepiscopo Bisuntino* reale est, ut potè muneri annexum.

Si persona simul et officium nominentur, juxta plures, inquit Collet, personale est privilegium. Non dubitarem, si persona prior nominetur, quia tunc dignitatis non fit mentio nisi indirectè, v. g. : *Concedimus Paulo Ambrosio Archiepiscopo Bisuntino.*

In dubio privilegium habetur ut personale si sit odiosum; ut reale verò si sit favorabile; quia odia sunt restringenda et favores ampliandi. *P. Thomas.*

(b) V. g., qui à suo Episcopo privilegium obtinuisset legendi libros vetitos, eo non posset uti ad legendum in territorio extraneo libros ibi statuto speciali prohibitos.

Qui verò à suo Episcopo privilegium habet vescendi carnibus diebus quibus prohibentur, iis vesci potest in territorio alieno, nisi tamen privilegium hoc dictus Episcopus diœcesanis suis omnibus concesserit ob raritatem esculentorum diebus abstinentiæ permissorum, quia tunc privilegium esset locale.

(b) Sic Religiosorum exemptiones sunt privilegium *contrà jus*; et facultas à reservatis absolvendis privilegium *præter jus.*

---

146. Privilegia acquiruntur per specialem superioris concessionem, aut per legitimam consuetudinem;

Et per adeptionem rei, officii, statûs, conditionis, etc.; cui annexa sunt.

Si inserta sint juri communi, non habentur ut jus privatum, sed ut commune, et ejus regulas sequuntur.

Cùm dantur *ad instar*, id est, in eum modum quo jam concessa sunt alteri, non augentur, nec minuuntur, nec extinguuntur respectu secundi cui concessa sunt, quamvis hæc subeant respectu primi, *ad* cujus *instar* concessa sunt;

Nisi tamen secundo concessa sint indirectè *ad instar*, et quia concessa sunt primo.

Nota : privilegium nec specialibus privatorum juribus, nec specialibus locorum consuetudinibus derogat, nisi hujus derogationis fiat mentio specialis.

Nota iterùm : qui privilegio gaudet, eo uti tenetur quandò datum fuit ad opus aliundè præceptum, et quandò ex non usu privilegii grave sequeretur privilegiarii aut alterius detrimentum.

---

147. Privilegium amittitur

1°. Per voluntariam et liberam renunciationem à concedente acceptatam,

Modò tamen solius privilegiarii intuitu fuerit concessum.

Modòque totum suum effectum nondùm operatum sit; impossibilis enim esset tunc renunciatio.

2°. Per expressam vel tacitam, sive genericam, sive specialem revocationem validam.

Valida autem esse potest, licèt illicita, privilegii purè gratiosi, vel solùm in gratitudine fundati, facta, absque causâ, revocatio.

Sed si privilegium conventionale sit, seu onerosum, vel in remunerationem concessum, revocari nequit absque causâ gravi, ad bonum commune spectante; et, aliquandò saltem, sine compensatione.

Ubi notandum quòd, sicut in generali privilegii concessione, non comprehenduntur specialissima, seu ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus; ita, in revocatione, clausula generalis non derogat privilegiis in jure communi insertis, aut concessis sub conditione quòd eis non derogaretur, nisi hæc clausula comprehendat omnes casus tùm expressos, tùm non expressos, quos pro expressis superior velit haberi.

3°. Per cessationem temporis pro quo, vel totius causæ finalis (*a*), ob quam fuerat concessum.

4°. Per illius abusum, accedente saltem sententiâ judicis.

5°. Si privilegium alios gravet, amittitur per consuetudinem, seu non usum; aut per usum privilegio formaliter contrarium, modò elapsum sit tempus sufficiens ad præscriptionem.

6°. Per collationem alterius privilegii priori contrarii.

7°. Privilegium personale per mortem privilegiati extinguitur. Reale desinit per rei amissionem aut ejus interitum. Locale per destructionem loci cui annectitur.

8°. Exceptis casibus, in quibus cessaret dispensatio, privilegium non finitur morte concedentis, nisi hoc exprimatur [144]. *Decet* enim, *concessum à Principe beneficium esse mansurum.*

(*a*) Aliqua excipiuntur, ut privilegia ordinibus religiosis à S. Sede concessa, et privilegia quæ sunt meræ gratiæ nec communi nec particulari ullius juri derogantes. *Col. Andeg.*

CAPUT VI.

DE QUIBUSDAM LEGIS SPECIEBUS IN PARTICULARI.

SECTIO I.

De lege pœnali.

ALIA est quæ dicitur purè pœnalis, et alia mixta.

ARTICULUS I.

De lege quæ dicitur purè pœnalis.

148. LEX quæ dicitur purè pœnalis, non est lex propriè dicta, nisi in quantùm obligat judicem ad pœnam infligendam, et reum vel potiùs quasi reum, ad illam subeundam.

Sed ut lex pro purè pœnali habeatur, requiritur ut, nequidem implicitè, præceptum contineat (*a*).

Quòd autem præceptum non contineat, judicari nequit, deficiente legislatoris declaratione, nisi ex prudentum interpretatione; consuetudine timoratorum, formâ legis vel naturâ pœnæ; non verò ex abusibus (*b*).

In dubio lex censeri debet præceptiva, quia id tutius, et exceptio est quòd lex non obliget sub culpâ.

Ad legem purè pœnalem revocatur lex disjunctivè mixta, de quâ mox, in hoc nempè sensu quòd non peccet qui pœnam suscipit.

Sed absit quòd legem copulativè mixtam quis possit, pro libitu, reddere disjunctivè mixtam, dicendo : paratus sum pœnam subire.

(*a*) Hæc : v. g., *qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur,* implicitè præceptum continet ; secùs ista : *Qui invehent tales merces, etc., talem summam solvent.*

(*b*) Pœna spiritualis præceptum indicat. Item probabiliùs pœna temporalis gravissima, ut exilium, carcer perpetuus, damnatio ad triremes; etiamsi, inquit Collet, lex præceptum non contineat.

Autumant plures nullas esse apud nos leges, quæ reputari certò possint

purè pœnales. Et sic sæpè judicârunt curiæ supremæ, inquit P. Th. ex Charmes.

Certo ergò peccant peccato *ex genere suo* gravi, qui leges violant quas ipsis placet appellare purè pœnales; et eò magis quòd sese gravibus pœnis nonnunquàm exponant, multisque aliundè peccandi periculis.

Non tamen desunt apud nos theologiæ periti qui ut purè pœnales habeant certas leges. Iis assentirem si dici posset constantem timoratorum consuetudinem eas sic habuisse semper, ut fortè leges contrà venationem, piscationem, etc.

ARTICULUS II.

De lege mixtâ.

149. Lex mixta ea est quâ directio morum simul et pœna exprimitur.

Alia copulativè, alia disjunctivè mixta.

Prior supponit culpam, statuendo pœnam, ac proindè præceptum simul et pœnam continet.

Posterior verò à culpâ eximit, si pœna subeatur, et præceptum non continet nisi conditionatè (*a*); seu non obligat nisi ad alterutrum; ad actum nempè vel omissionem à lege præscripta, aut ad mulctam solvendam.

Pœnæ legis violationi adjunctæ, sunt:

Aliæ propriè dictæ, quæ ad vindictam;

Et aliæ impropriè dictæ, quæ ob aliam causam infliguntur, v. g., ut ad aliquid impellamur.

Aliæ latæ sententiæ, quæ ipso facto;

Et aliæ ferendæ sententiæ, quæ non nisi post judicis sententiam incurruntur (*b*).

Aliæ passivæ, quæ nullam;

Et aliæ activæ, quæ aliquam ab reo actionem requirunt, sive ab ipso faciendam, sive ab alio sustinendam. Tales solutio mulctæ, flagellatio, etc.

Aliæ privant jure aut bono jam acquisito et possesso;

Aliæ impediunt solùm ne acquiratur.

(*a*) Sic copulativè mixta foret lex sic concepta: *Nemo evehat è regno frumentum, et qui evexerit solvat centum;* disjunctivè verò mixta sic habens: *Nullus è regno evehat frumentum, vel si evexerit, solvat centum.*

(*b*) Pœna latæ sententiæ censetur, si lex dicat: *Ipso facto; ex tunc; illico; ipso jure; antè omnem sententiam; noverit se excommunicatum;* et juxtà plures: *anathema sit.*

Vel probabiliùs, si lex utatur verbis indicativi aut imperativi temporis, ut : *excommunicamus; sit suspensus.*

Ferendæ verò sententiæ censetur pœna expressa per verba temporis futuri sine addito : *excommunicabitur; incurret; sub pœnâ excommunicationis*, etc.

Aut si verba sint quidem temporis imperativi, sed mandatum indicent et actionem judicis, ut : *Excommunicetur; mandamus excommunicari.*

In dubio, pœna ferendæ solùm sententiæ communiter reputatur; v. gr : *Sciat se excommunicationem incursurum; erit excommunicatus; excommunicationem incurret.* Hæc tamen verba indicant, juxtà plures, excommunicationem latæ sententiæ.

---

150. Pœnæ ferendæ sententiæ non incurruntur ante sententiam judicis condemnatoriam, nec retrotrahuntur ad diem commissi criminis.

Secùs pœnæ latæ sententiæ.

Sed ad has subeundas requiritur sententia declaratoria in duplici casu.

1° Si sint activæ et graves, quia pœna consistit in pati, non in agere.

2° Si sint privativæ boni aut juris jam obtenti et plenè possessi, nisi lex aut consuetudo contrarium dicat expressè (*a*).

Non requiritur autem sententia declaratoria, si pœnæ sint passivæ (*b*), vel privativæ juris primò acquirendi, vel activæ leves (*c*), vel conditionales.

(*a*) Ut dicit de privatione juris ad debitum conjugale, orta ex incestu. Sed si censuras excipias, vix sunt aliæ pœnæ privativæ juris jam obtenti, etc., ad quas subeundas non requiratur sententia declaratoria. Ità plures et forsan probabiliùs. Vix enim, inquit Billuart, ulla lex assignari potest quæ eam non requirat, quia consuetudo non aliter eas leges recipit, vel quia jure sive communi, sive particulari, sic cautum est.

Quoàd legem, civilem nulla reperitùr, inquit Pictaviensis theol., quæ obliget ad subeundam pœnam activam aut privativam antè omnem declarationem.

Hinc in legibus civilibus verba : *Ipso jure, ipso facto* intelliguntur : *ipsâ legis dispositione, ipso facto per sententiam declarato.* Imò verba : *Non expectata judicis sententia,* non clarè exprimunt eam non requiri, inquit Collet.

Si tamen lex diceret : *Antè omnem sententiam, absque ullâ declaratione; teneri coràm Deo, in conscientiâ; non posse anteà absolvi;* obligaret antè sententiam declaratoriam.

(*b*) Ut excommunicatio, irregularitas (exceptâ ordinariè quæ venit ex infamiâ) dimissio beneficii simoniacè obtenti, inhabilitas ad aliquid, ut ad remanendum in matrimonio invalidè contracto.

(*c*) Ut recitatio quarumdam precum.

151. Ignorantia excusans à culpâ, excusat à pœnâ propriè dictâ, cui ergò potest innocens se substrahere, modò absque resistentiâ et scandalo.

Si ignorantia non excuset nisi à gravi culpâ, non excusat nisi à gravi pœnâ.

Sed si ne quidem à culpâ gravi excuset, non excusat à pœnâ gravi, nisi,

1°. Pœna lata sit ob malitiam specialem quæ non adfuit in actu, quia invincibiliter ignorata est,

2°. Nisi lex expressè requirat scientiam aut dolum ad pœnam incurrendam (*a*); tunc enim ignorantia vincibilis, modò non affectata, à pœnâ excusat.

Verùm ignorantia, etiam invincibilis, pœnæ, ab eâ non eximit, nisi,

1°. Lex contumaciam requirat,

2°. Nisi ignorantia inculpabilis pœnæ generet ignorantiam invincibilem gravitatis culpæ.

Minui tamen debet pœna extraordinaria à lege humanâ imposita, cùm quis legem hanc ex ignorantiâ violavit, quamvis sciverit legem divinam idem præcipientem aut prohibentem; quia minor est contemptus (*b*).

(*a*) Dicendo : *Qui scienter, qui temerè, qui præsumpserit*, aut aliud æquivalens.

(*b*) Juxtà multos talis ignorantia à pœnâ non excusat, nisi pœna sit medicinalis, quia non est de ratione pœnæ ut pœnæ præcisè, quòd sit cognita et volita [636]. Quæ ratio sat placet.

SECTIO II.

De lege irritante.

152. Lex irritans ea est quæ actui vim adimit producendi omnem, vel aliquem effectum quem aliundè produxisset.

Differt à lege quæ præcisè non dat actionem, et à lege quæ actum præcisè prohibet; *Multa enim prohibentur fieri, quæ facta tenent*.

Sed hìc notandum,

1° Legem quæ præcisè non dat actionem, actui non adimere vim suam naturalem.

2° Legem posse simpliciter actum irritum reddere sine prohibitione illum faciendi. Sed tunc non est lex propriè dicta, nisi in quantum indirectè prohibet, ne actu irrito utantur ad effectus ad quos non irritus valuisset.

Cognoscitur legem esse aut non esse purè irritantem ex ipsius verbis; ex circumstantiis, ut honestate aut inhonestate actûs; ex usu, etc.

Cæterùm lex irritare actum ipso facto potest, v. g., matrimonium clandestinum; et tunc in conscientiâ obligat ad ea omnia quæ per se ex irritatione sequuntur.

Vel solùm illum irritare per sententiam judicis; et tunc possunt usquè hùc fieri quæ per se ex actûs irritatione sequuntur [414] (*a*).

(*a*) Cùm lex actum aliquem prohibet, eo ipso illum irritat, si potestas illum faciendi veniat à lege. Secùs si veniat à naturâ. *Suarez.*

Nota : Nescio an, nunc saltem, admittatur à juristis, distinctio actualis aut futuræ irritationis. Utuntur tamen verbis : *Nullité, rescision*, quæ idem significare non videntur.

---

153. Multiplìciter lex actum irritat :

Vel directè, actum simpliciter annulando secundùm se;

Vel indirectè, personam reddendo ad illum faciendum inhabilem;

Aut præscribendo formalitates, quibus deficientibus, actus nullus erit.

Item irritatio alia est in pœnam peccati præcisè et non incurritur ab eo qui, v. g., ob ignorantiam non peccavit.

Alia lata immediatè ob bonum commune. Incurritur ab eam ignorante etiam invincibiliter, ut irritatio provisionis simoniacæ; nec ab eâ liberat quodcumque periculum ob quod actus fuisset positus, quamvis fieri possit ut, ob metum mali magni, non peccaverit qui actum irritum posuit. Legis obligatio cessare potuit, quin cessaret actûs irritatio.

SECTIO III.

De lege tributorum.

154. Per tributum intelligitur hic quidquid Principi vel reipublicæ solvi solet à privatis, ad onera publica et statum principis sustinenda, quoquo etiam gabellæ nomine donetur.

Ut justum sit tributum, imponi debet,

1° Ab habente potestatem;

2° Rationabili de causâ, fundatâ in bono publico (a).

3° Modo necessitati aut utilitati pro quâ imponitur, facultatibusque subditorum proportionato (b.)

(a) Attamen tributum esse potest aliquandò vindicta in subditos rebelles, vel hostes justè devictos, ratione punitionis aut reparationis damnorum. *Billuart, Dens.*

Item, tributum est gabella, etiam, juxtà multos, ab extraneis, licèt solùm civitati solvenda.

(b) Sed quid in dubio de justitiâ tributi? Est enim ratio de ejus justitiâ dubitandi, inquiunt graves auctores, quandò nova imponuntur aut vetera augentur sine necessitate, et quandò talis est persuasio in populo apud doctos et probos. Tot enim, inquiunt, ad justitiam tributi requiruntur conditiones, ut in tantâ tributorum multitudine quâ his temporibus gravantur populi, meritò præsumatur aliqua esse injusta, plura incerta et dubia. Quid ergò tunc?

Quidam, Sylvius, Cabassutius, etc., solvenda esse affirmant, quia præsumendum in favorem superioris. Alii, S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Navarrus, etc., negant; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Billuart neutrorum rationes probat. Juxtà eum, salvo meliori consilio, tributa tunc solvenda sunt pro ratione dubii, consultis tamen anteà viris probis et doctis.

In dubio standum arbitror pro Principe, quia habet occultas causas. Aliundè ex sententiâ oppositâ gravissima incommoda nascerentur:

Nulla apud nos videtur hæsitandi ratio, cùm non à Rege solo aut ejus ministris tributa imponantur, sed procerum nationis consensus ad ea requiratur.

Ast, in aliis regionibus, ad restitutionem, saltem ex integro, non adderem pro defraudatis tributisque; docti et prudentes habent ut injusta aut ita dubiè justa, ut rationes, pro justitiâ tributi militantes, longè inferiores sint oppositis. *Collet, P. Th. ex Charmes.*

155. Lex tributorum, quamvis onerosa pœnamque ordinariè adjunctam habeat, mixta ordinariè est, justitiæque

non solùm legalis, sed et commutativæ, ob quasi pactum inter principem et subditos.

Hinc 1° ex obedientiâ et justitiâ strictâ, tributa sub gravi ex genere suo, solvi debent, etiam antequàm petantur, nisi lex aut consuetudo contraria sit.

Sed injustus foret qui petitionem eorum per fraudem impediret, v. g., invia tenenda cum mercibus suis, eas occultando, etc.

Hinc 2° qui tributa justa defraudârunt (*a*), restituere tenentur vel Principi, vel particularibus qui ob fraudem plus æquo onerati sunt, vel fortè redemptoribus.

Et restituere tenentur qui per potentiam tributa à se removerunt, aut in fundorum æstimatione, sibi vel suis faverunt.

Et exactores qui fraudibus quoquo modo cooperati sunt, aut gabellas præ gravi negligentiâ suâ non perceperunt.

Nota : Cum legibus tributalibus non sunt confundendæ leges quæ certas merces invehi aut evehi simpliciter prohibent, sine impositione vectigalis.

Attamen graviter peccare censendi sæpè qui eas leges notabiliter violant, quandò ob bonum commune, ut ordinariè, constitutæ sunt primariò, tùm quia leges illæ sub mortali ex genere suo obligare rectè æstimantur, tùm quia pœnis non levibus violatores sese objiciunt; tùm quia armis sese contrà præpositos defendere nonnunquàm parati sunt; tùm quia tandem mercatura illa innumerabilium aliorum peccatorum fons est et origo (*b*).

(*a*) Notabiliter inquiunt aliqui cum D. Dens. Si enim unâ solùm aut alterâ vice defraudaverint, cùm non sit aliquid notabile, potest aliquandò præsumi de benignitate Principis, quandòquidem hi, *quotam* suam, vectigalia passim solvendo, moraliter contribuisse censeantur.

Hæc facilè crederem, si de facto res parva sit, quamvis sufficiens ad mortale in aliâ materiâ, et si defraudatio facta sit ab eo qui multa solvit, Princepsque solus patiatur.

Quandò tributa, ob fraudes prævisas, multò altiora imponuntur (ut videntur apud nos, v. g., tributa præscriptionis (*droits d'enregistrement*) Steyaertius suggerit temperamentum; hoc scilicet, quòd quis in tantùm defraudare possit de istis vectigalibus quantùm prudenter judicat se jàm plus gravari quàm aliàs gravaretur, si omnes solverent. Sed hoc non omnibus placet, inquit D. Dens, tùm in primis, quia privatus quisque se constitueret

judicem in determinandâ parte onerum quam ferre debet; tum quia Princeps, qui tàm alta vectigalia ob fraudes, ac proindè justè constituere cogitur, intento privaretur in detrimentum boni communis. Tutiùs ergo solvenda sunt, si non ad extremum apicem, saltem moraliter. Alioquin proratâ restituendum in pias causas, saltem in quantum prudenter judicari potest passos fuisse timoratos qui plus æquo ob fraudes prævisas onerati sunt et totum solverunt. Sed durum videretur eos ad totalem restitutionem obligare, quamvis fraus nondùm commissa ipsis non fuisset permissa.

Quandò vectigalia conducta sunt, non publicanis qui ea ob fraudes prævisas viliori pretio conduxerunt, sed Principi restitutio facienda videtur aliis contrà alios. Prior sententia probabilior apparet, quia conductores nullam fiduciam posuerunt in futuris restitutionibus, ac proindè ipse princeps damnum passus est.

Ast non omni probabilitate caret sententia suspicans restitutionem tunc faciendam esse communitati, et sic in omni aliâ tributorum defraudatione. Ipsa enim passa est altiora solvendo tributa ob fraudes prævisas.

In praxi, saltem si gravis non sit summa restituenda, quamvis non parum excedens quæ ergà particulares esset ad mortale sufficiens, satis esse videtur si detur communitati, id est, in pias causas. Imò aiunt, non sine fundamento gravi, regem declarasse per suum ministrum sic faciendas omnes restitutiones quæ fisco debentur ob fraudes, etc. Vide 589, *e*.

Aliqui vectigalia defraudantes à restitutione eximunt, quia mulctati pro defraudantibus solvunt et sic fiscus habet sufficienter : sed quot ex hâc sententiâ sequelæ malæ et pejùs deductæ!

Quoad ementes merces quarum jura non sunt soluta : si malâ fide emant, et eò quòd viliori pretio, alii, ut Bailly, ipsos ad restitutionem obligant, et quidem Collator parisiensis, antè venditores, quia Respublica jus habet prælationis et quasi hypothecæ in dictas merces. Secùs si bonâ fide, imò si dubiâ, inquiunt ex iis plures, quia non est emptoris inquirere an jura sint soluta, et varias causas propter quas viliori pretio emendæ proponuntur. *Non puto delinquere eum qui in dubiis quæstionibus contrà fiscum facilè responderit.*. Lege 10 de jure fisci.

Sed durior aliis, Grandin, Billuart, Dens, etc., meritò videtur omnium horum Theologorum sententia, præsertìm si de levibus agatur. Non constat enim de jure prælationis reipublicæ in dictas merces; sed è contrà vectigal videtur onus personale.

Dubium, si quod sit, augeretur cùm, pro vectigali, non pecunia, sed pars mercis, v. g. decima deberetur. Attamen ut probabiliùs habent iidem nec tunc emptorem teneri, quia licèt onus foret tunc reale, venditor jus retinet ad partem fisco debitam, quandiù non est separata; habet ejus dominium, adeòque potest illud in emptorem transferre. Ratiocinium certè non infirmum, quamvis primo intuitu consequentia extorta potiùs quam deducta videatur. Hic ergò iterùm forsan applicari potest quòd in lege suprà dictâ : *Non puto delinquere*, etc.

Sed ex alio principio videtur restituendum, ex eo nempè quòd viliori pretio res empta sit ob non solutam partem mercis fisco debitam; quæ restitutio venditori facienda videretur, quia ipse tenetur fisco restituere, stando principiis Billuart et Dens. Quæ ratio valet etiam in casu quo ob non solutam gabellam pecuniâ debitam, res viliori pretio foret empta. Sed suppono illud vilius pretium esse infrà infimum.

In praxi : in pias causas, vel, etc., aliquid restituendum præscriberem in

hoc casu. Et quid? Ad minùs æquivalens viliori pretio quo res empta esset, monendo si possibile venditorem ut hoc deducat ex summâ à se fisco, vel, etc. restituendâ.

Sed sedulò notandum cum posterioris sententiæ patronis, emptores mercium quarum jura non sunt soluta, posse ad restitutionem teneri ut cooperatores, si nempè emendo, venditores moveant efficaciter ad iterùm defraudandum. Saltem ab omni peccato difficilè excusarentur tales emptores. Cooperantur enim mercaturæ quam sine peccato venditores exercere nequeunt.

Notandum iterùm pauca videri esse apud nos tributa quæ solvenda non sint antequàm petantur.

Notandum tandem quòd, si fundus alicujus fuerit ab indicatoribus in recensione oblitus, videatur dominum ad ejus declarationem teneri, si indè communitas vel particulares graventur, quia etsi hæc declaratio non fuerit petita in particulari, petita censetur in genere ad distribuendum tributum, quod communitati primariò, non particulari imponitur. Non satisfieret ergò justitiæ distributivæ quæ in hoc casu transit in commutativam.

(b) Deneganda est absolutio his mercatoribus, inquit manuale genevense. Exciperem tamen eos qui, non nisi pro suis usibus merces prohibitas invehunt, quamvis non ab omni peccato eos eximerem, præsertìm si pœnis non levibus sese exponant.

Ast ii (les contrebandiers) tenenturne ad restitutionem præcisè ob introductas aut exportatas merces simpliciter prohibitas? Non tenentur ad restitutionem vectigalis, cùm non sit, neque ad restitutionem mulctæ antè sententiam judicis, quia pœna est.

Sed tenenturne de damno quod indè respublica patitur? Nec affirmare, nec negare audet Billuart; fatetur tamen viros etiam probos plerùmque has leges apprehendere ut purè pœnales, et vix ullum reperiri qui sibi faciat scrupulum merces eas de regno in regnum transferre, aut saltem eas emere et eis uti, cùm tamen, juxtà ipsum, non solùm invectio, sed et usus prohibeatur. Addit damna quæ respublica patitur, sufficienter per mulctas compensari. Sed in his omnibus securitatem dare non audet. Nec eam dare queo præsertìm ex ultimâ ejus ratione.

In praxi ad eleemosynas non leves, ecclesiisque summam tribuendam obligarem eos, qui ingens lucrum hâc mercaturâ fecerunt.

Et quoàd licitatem ad minùs cum eodem Billuart dicerem lethaliter reos, qui hanc mercaturam exercent, cùm prohibetur sub pœnâ mortis. Adderem: vel aliâ multum gravi, vel quandò armis intendunt se defendere.

Cæterùm magnâ hìc prudentiâ opus est. Timenda nimia rigiditas, et attendenda intentio Principis aliquandò in conscientiâ non obligandi, et aliæ rationes quæ excusare possunt. *Coll. And.*

APPENDIX

DE CONSCIENTIA.

NOTIONES PRÆVIÆ.

156. Judicium, sive firmum, sive *opinativum*, triplex :

Merè speculativum : quale ferretur circà sufficientiam vel insufficientiam aquæ lixiviæ pro Baptismo;

Speculativè practicum : quale ferretur circà licitatem vel illicitatem talis baptismi in communi et secundùm se spectati;

Et practicò-practicum : quale attentis omnibus circumstantiis ferretur circà licitatem vel illicitatem hujus baptismi hìc et nunc faciendi vel omittendi.

157. Dubium pari modo dividitur, et insuper :

In negativum (quod potius nescientia est), cùm nempè nullæ sunt aut admodùm leves rationes pro, aut contrà;

Et positivum, cùm propter rationes contrarias, utrinquè æquè aut ferè probabiles, inter utramque partem suspensus fluctuat animus neutri consentiens.

158. Certitudo, quæ dubio opponitur, triplex :

Metaphysica, quæ fundatur in essentiâ rerum;

Physica, quæ in legibus naturæ;

Et moralis (hìc non logicè sumpta), quâ assentitur alicui veritati sine formidine fundatâ et rationabili de opposito, licèt oppositum absolutè verum esse possit, ita ut errandi periculum remotum sit. Talis certitudo quæ habetur ex duobus testibus, ex registris publicis, etc.

159. Opinio seu sententia, alia improbabilis, quæ levi;

Alia probabilis, quæ gravi;

Alia probabilior, quæ graviori;

Alia probabilissima, quæ gravissimo, non tamen omnem omninò errandi formidinem excludente, motivo innititur, quæque est, ex omnium consensu, moraliter et practicè certa.

Et alia certa quæ omnem errandi formidinem excludit.

Formido enim errandi est duplex; logica quæ essentialis est omni assensui opinativo, et de quâ hic non agetur; et moralis, quæ est accidentalis assensui opinativo; et ab eo separabilis, consistitque in actu quo intellectus dicit rem fortè aliter se habere quàm judicat, nec hoc leviter suspicatur.

Opinio autem probabilis, alia probabilis est absolutè, seu seorsìm considerata;

Et alia comparativè probabilis, considerata nempè relatè ad oppositam, et tunc probabilior est.

Hinc dùm consideratur opinio probabilis in concursu oppositæ, quantò magis crescit unius probabilitas, tantò magis minuitur probabilitas alterius; ac proindè quantò una fit probabilior, tantò minùs probabilis evadit altera.

Quandò probabilitas opinionis venit, vel ex rationibus petitis ab ipsius rei naturâ, proprietatibus, causis, effectibus; vel etiam ab inconvenientibus intrinsecis sententiæ oppositæ, tunc dicitur ab intrinseco probabilis vel probabilior.

Si ex auctoritate doctorum, etc., ab extrinseco probabilis vel probabilior appellatur.

Sed nota auctoritatem ponderandam esse ex merito, non ex numero doctorum æstimandam (*a*).

Iterùm opinio alia communis quæ pro se multos habet doctores graves (*b*) qui rem ex professo et funditùs, non præcisè alios secuti, tractârint;

Alia communior, quam major pars;

Et alia communissima quam tenet unanimitas ferè doctorum.

Tandem cùm securitas opinionis consistat in remotione peccandi periculi, tutior appellatur sententia quæ ab eo magis removet, seu quæ stat pro lege;

Et minùs tuta, quæ ab eo minùs removet, statque pro libertate.

Undè minùs probabilis potest esse magis tuta.

(a) Probabilitas ab extrinseco resolvitur in probabilitatem ab intrinseco, ob graves rationes quas doctores habuisse præsumuntur, eòque plus fidei merentur quò doctiores, sapientiores studioque ac diligentiâ præstantiores. Auctoritas sine his dotibus non movet.

Sunt qui pro sententiâ in se probabili ab extrinseco sufficere dicunt unum sanctum patrem aut doctorem Ecclesiæ, vel tres aut quatuor viros eximiè pios et doctos, raró vel nunquàm in laxitate deprehensos, cum bonâ ratione, licèt non convincente. Numerus quicumque laxistarum non facit opinionem probabilem, quandò quæstio est de laxitate, aut opinione favente libertati contrà legem. *Collet.*

(b) Octo aut decem. *Collet et alii.*

---

160. Conscientia est judicium practico-practicum de bonitate vel malitiâ actionis propriæ hìc et nunc faciendæ vel omittendæ, vel in aliquo sensu, jam factæ.

Conscientia ergò est regula actuum humanorum proxima, sicut lex est eorumdem regula remota.

Conscientia multiplex :

Alia recta, seu prudenter formata ;

Et alia non recta, seu imprudenter formata.

Alia vera, cùm res ità est ut dictat ;

Et alia è contrà erronea.

Sed recta, erronea ; et non recta, vera esse potest.

Conscientia erronea alia laxa quæ licitum, etc., quod illicitum ;

Et alia scrupulosa quæ illicitum, etc., quod licitum est, ex levi motivo dijudicat [704].

Rursùm conscientia erronea alia est vincibiliter, et alia invincibiliter erronea.

Vincibiliter erronea dicitur, cùm quis ab errore potest, moraliter loquendo, et debet se expedire.

Invincibiliter verò erronea, quandò ab errore expedire se quis aut non potest, aut non debet.

Tandem alia certa, alia probabilis, alia dubia, prout motivis certis, vel, etc., innititur ;

Et alia tuta, alia tutior, prout, etc.

PRINCIPIUM I.

161. Sola conscientia recta regula est actionum in ordine morum.

Hinc tenetur quisque suam, priusquàm agat, prudenter formare conscientiam, sive directè, sive reflexè, ità ut non agat nisi ex motivis moraliter certis.

Ad formandam autem prudenter conscientiam requiritur,

1°. Recta intentio. Obcæcant enim cupiditates.

2°. Matura deliberatio, rei gravitati proportionata.

3°. Sæpè recursus ad peritiores et probos, bonâ fide consulendos.

4°. Præsertìm humilitas et recursus ad Deum, maximè in difficilioribus, regulariter saltem loquendo.

Rudiores, illitterati et scrupulosi suam prudenter efformant conscientiam ex consilio pastoris, confessarii, etc. quem probum et doctum noscunt, quia jure præsumitur Deum iis quos posuit aliorum rectores non denegasse lumen ad eos regendos necessarium, dùm proprium illis deficit (*a*).

Illam formant itidem prudenter ex timoratorum praxi.

Semi-docti consulant, in suis dubiis, doctiores neque nimii rigoris, neque nimiæ laxitatis suspectos, et libros evolvant.

Quòd si doctiores consulti sibi contradicant et æqualis sint ponderis, tutius eligant.

Si verò libros evolvendo reperiant opinionem unanimiter assertam ab auctoribus, et oppositam aut silentio præteriri, aut uno ore rejici, priorem tutò sequi possunt.

Si legant auctorem gravem, qui fateatur communem esse sententiam suæ minùs tutæ oppositam, auctoris sententiam abjiciant et tutiorem eligant, si auctor opposítas dicat æquè probabiles (*b*). Semidocti enim vix aliam quàm auctoritatis viam sequi possunt.

Tandem viri docti, maturè perpensis hinc et indè momentis, et attentâ auctorum, pro et contrà, gravitate, eam in dubiis eligant sententiam quam habent ut probabiliorem, et remanente dubio, tutiorem [169].

(a) Dubitans non tenetur semper, nec sæpè sequi posset opinionem pastoris aut confessarii. Non tenetur quidem, si parem aut superiorem noverit se habere scientiam (nisi sit scrupulosus, quia scientia est pro eo quasi non esset). Non posset verò, si debiles ipsi viderentur ejus rationes, à viris gravibus tales æstimatæ.

A fortiori si pastor aut confessarius justam præbeat occasionem suspicandi suam doctrinam. *Collet.*

(b) Addit Billuart istos semi-doctos posse sequi opinionem illius auctoris gravis, si dicat ex duabus sententiis minùs tutam esse probabiliorem.

Hoc cum grano salis admitterem. Si enim alii graves secus sentiant, judicium conscientiæ non esset prudenter formatum vià auctoritatis. Tutior ergò pars esset eligenda, nisi semidoctus satis tamen habeat ingenii, ut sui auctoris rationum notabilem præponderantiam sentire possit.

PRINCIPIUM II.

162. Non licet agere contra conscientiam præcipientem aut prohibentem, sive vera sit, sive erronea; sive prudenter sive imprudenter formata; quia *omne quod non est ex fide peccatum est.*

Peccatum autem quod tunc committitur ejus est speciei et gravitatis quam conscientia apprehendit.

Si nullam speciem, sed solum malum in genere apprehendat, peccatum erit contra amorem Dei et propriam charitatem.

Si ut veniale solùm quod mortale sit, peccatur mortaliter, nisi error sit invincibilis.

Tandem si conscientia rem apprehendat solùm ut illicitam in genere, nequidem confusè determinando an mortalis vel venialis sit, mortaliter peccatur, saltem si attentè; quia agens exponit se mortali peccato, ac proindè illud vult interpretativè (a).

Hinc quandò rudes confitentur licita vel venialia, inquirendum quodnam peccatum se facere putaverint (b).

Nota : Censendus non est egisse contrà conscientiam, qui post actum, quem, tempore quo agebat, judicabat licitum, anxiatur an licitus fuerit.

Nota iterùm speciale et pergrande esse peccatum, agere contrà conscientiam, ad eam paulatìm extinguendam.

(a) Ità post Vasquez et Collet, etc.; et ut videtur, communis. Sed non desunt qui ibi veniale solùm videant, si res sit reverà solùm venialis, aut nullatenùs peccaminosa; quia, inquiunt, in dicto casu, res non est cognita ut

gravis, nec consequenter ut talis volita, nisi agens paratus sit peccatum committere, sive mortale sit, sive veniale. Ità Navarrus, etc.

Alii cum Sylvio volunt indagandam esse virtualem aut saltem habitualem agentis dispositionem. Si enim agens sit ita animo dispositus ut, si veniret illi in mentem id quod agit esse mortale, nequaquàm illud facere vellet, excusatur à mortali; et verò ex illâ virtuali seu habituali dispositione præsumitur illum actionem suam non apprehendere mortalem. Aliundè sequeretur omnia ferè peccata rudium esse mortalia cùm nihil distinguant; interrogati enim quale peccatum se committere putaverint, nesciunt quid respondeant.

Hæc distinctio non displicet Billuart, nec mihi.

(b) Non statìm ipsis credendum, cùm dicant putasse se mortale committere aut solùm veniale. Meliùs, ubi opus est, quærendum an grande peccatum, tempore actûs, crediderint aut de illius pravitate dubitârint; vel an peccatum ex quo forent damnandi, ni pœnitentiâ delerent, etc. Sed nec omnibus his facienda taliter quæsita; plures enim videntes confessarium non habere peccatum ex se mortale, respondebunt se non credidisse peccare mortaliter. Cum pluribus ergò aliâ, quam prudentia suggeret, viâ procedendum, si possibile. Sæpè jam ex modo confitendi apparet confessario pœnitentem putasse se mortaliter, seu granditer peccare aut de hoc dubitasse, tunc dicet simpliciter: *putabas te granditer peccare, aut saltem dubitabas?* etc.

Et ex his concludendum quantùm confessarii, concionatores, catechistæ timere debeant ne conscientiam erroneam forment fidelibus.

COROLLARIUM.

163. Ergò non licet agere contrà conscientiam scrupulosam quia erronea est [704].

Secùs contrà scrupulum.

Scrupulus est levis et inanis ratiuncula occurrens de malitiâ actionis de præterito, præsenti vel futuro, cujus solutio non invenitur, et undè animus anxiatur.

Si ex illâ inani ratiunculâ animus opinetur, vel dubitet actionem esse malam, est verè conscientia ex scrupulis formata et erronea.

Si verò animus timeat tantùm ne mala sit actio quam bonam judicat, non est propriè conscientia, sed umbra et similitudo conscientiæ, diciturque conscientia scrupulis agitata, contrà quam agere licitum est et obligatorium, quia non est conscientia, quamvis sic appelletur communiter; sed animi ægritudo, anxietas et timor malè fundatus, seu imaginatio fortis quâ homo vexatur miserabiliter.

Nota : Non facilè credendum scrupuloso dicenti vel se egisse cum dubio, vel etiam contrà conscientiam, quia, sæpissimè saltem, sumit anxietatem et formidinem pro dubio, et imaginationem pro conscientiâ.

Aliquandò tamen practicè judicat, et agit contrà conscientiam.

PRINCIPIUM III.

164. Non licet agere secundùm conscientiam vincibiliter erroneam, quia non est regula morum.

Sed deponi debet directè vel indirectè per principia reflexa (*a*);

Non simpliciter ergò mente ad alia transeundo.

Licet verò agere secundùm conscientiam invincibiliter erroneam, et peccaret ei non obsequens, quia non ageret ex fide.

Invincibiliter autem erronea censetur conscientia, cùm eâ laborans, timorati est animi; solet, errore detecto, contristari nec ampliùs peccare vellet, cùm nullum dubium aut scrupulus præcessit; cùm error versatur circà res juris humani vel divini positivi, aut conclusiones juris naturalis remotas, circà quas præsertìm disputant doctores (*b*).

Non semper peccat tamen qui sequitur conscientiam vincibiliter erroneam, nam dictare potest aliquid quod reverà licitum sit (*c*). Est tamen ibi aliqua deordinatio.

(*a*) Qualis, v. g., obedientia superioribus debita. Non posset tamen subditus obedire, si conscientia dictaret illi id esse hìc et nunc illicitum; sed debet conscientiam deponere, in casu in quo non esset certus de illicitate rei præceptæ. Ad hoc autem inservient illi principia reflexa, 1° quòd ità doceant patres : 2° quòd superior jus certum habeat præcipiendi, quo per dubium inferioris non exuitur; 3° quòd alioqui enervaretur disciplina et auctoritas.

Excipitur tamen casus in quo ex obedientiâ sequeretur inconveniens gravius, quàm ex inobedientiâ; quia tunc nedùm superior jus certum habeat præcipiendi, videtur potiùs certum quòd non habeat.

Notat Billuart probabilius esse, in suppositione quòd non deponatur conscientia vincibiliter erronea, secundùm eam agere obligatorium esse; quia aliter non ageretur ex fide. Undè si conscientia vincibiliter erronea dictet, aliquid, quod sit malum, faciendum esse, mentiendum, v. g., ad servandam vitam patris, errans tenebitur quidem ad peccatum; sed non nisi ex suppositione sibi voluntariâ, in quo nihil est absurdi. (Circa principia reflexa vide : *Ethica amoris*, tom. 1. pag. 746; *Contenson*, tom. 2. pag. 435, B. Alph. de Ligorio, *Tractatus de conscient.*, n° 27.)

(b) Hinc à peccato, ob conscientiam invincibiliter erroneam, excusari posse videntur quidam recenter nupti, qui ob timoratam conscientiam, debitum, velut grave piaculum, comparti denegant; aut (sed rariùs excusandi) incompletè reddunt; aut (sed rarius adhùc et rarissimè excusandi) omnia à conjuge tolerant ex falsâ et malè ingenitâ opinione statum matrimonialem ea exigere, aut saltem permittere. Sed suppono eos non fuisse circà debitum edoctos, aut non intellexisse cùm edocebantur, et eos ignorasse obligationem circà hæc inquirendi documenta.

(c) V. g. Faciendam eleemosynam ob aliquam necessitatem erroneè existimatam.

PRINCIPIUM IV.

165. Non licet agere secundùm conscientiam dubiam, quandiù dubium non est prudenter depositum. Tunc enim non ageretur ex fide, et incurreretur peccati periculum.

Peccatum tunc ejus esset speciei et gravitatis, cujus peccatum, de quo dubitatur an fiat [162].

Dubium autem prudenter deponitur non per probabilistarum (a), sed per sanæ moralis principia (b).

(a) Qualia sunt hæc : *Lex dubia, lex nulla. Lex non sufficienter promulgata non obligat.* Et sæpè istud : *in dubio melior est conditio possidentis.*

(b) Veritate inutiliter investigatâ, remanenteque dubitandi ratione quæ ut nulla aut levis sperni non possit, duo sunt sanæ moralis principia, per quæ dubium sæpissimè deponi potest.

Primum : *in dubio melior est conditio possidentis;* sed solùm in materiâ justitiæ. *Billuart.* Ergò non applicabile ad mentem probabilistarum.

Alterum : *in dubio standum pro eo pro quo stat præsumptio.* Præsumptio autem habetur ab eo quod notabiliter verisimilius est, aut ordinariè fieri consuevit. Sed necesse est ut præsumptio clarè pro unâ parte stare videatur.

Hinc concludunt aliqui advocatum aut medicum censendos esse non dedisse damni causam theologicè graviter culpabilem, quamvis de hoc dubitent, si talem causam dare non consueverunt. Dubitantem an voverit, aut solùm habuerit propositum vovendi, præsumendum non vovisse, si anteà nullum habuerit dubium, obligationumque suarum non soleat oblivisci. Adderem : nisi vovere consueverit tranquillè, non autem ut sæpè scrupulosi.

E contrà qui dubitat solùm an voverit cum deliberatione, præsumitur, juxtà eosdem, cum deliberatione vovisse; quod non semper crederem.

---

166. Ergò remanente dubio mero, eligenda est pars tuta, seu in quâ certum est non esse peccatum.

Excepto tamen, ut et qualiter videbitur in materiis justitiæ.

In dubio verò perplexo, si adsit se determinandi neces-

sitas, pars eligenda tutior, seu quæ à peccandi periculo magìs removeat.

Sed priùs deponenda perplexitas, si sit vincibilis.

Magìs autem et minùs tutum æstimatur et ex magnitudine mali aut gravitate peccati quod imminet aut timetur;

Et ex istius mali aut peccati verisimilitudine et propinquitate (*a*).

Quòd si ex unâ parte malum timeatur gravius, et ab alterâ minus, sed propinquius, considerandum quodnam prævaleat (*b*).

In genere præceptum divinum, humano; naturale, positivo; negativum, affirmativo; justitiæ, charitatis; charitatis, religionis; superioris supremi, superioris subordinati, cæteris paribus, præferendum est.

Nota: Si perplexitas oriatur ex gravi negligentiâ ediscendi, contritio, quam in perplexitate agendi necessitas ingerere debet, non liberat ab obligatione reparandi damna, si quæ indè oriantur, quorum ut causa haberi debeat negligentia. Nam pœnitentia non tollit illum effectum.

(*a*) Sic in dubio de validitate matrimonii, ordinariè magìs tutum est respectu dubitantis, debitum petenti reddere; quia peccatum injustitiæ, quod esset in denegatione debiti, majus est peccato simplicis fornicationis, quod esset in ejus redditione; et si matrimonium magìs probabiliter validum sit quàm nullum, peccatum denegationis debiti esset adhùc verisimilius et propinquius. Undè magìs tuta ex duplici hoc capite æstimaretur redditio debiti.

(*b*) Sic ordinariè magìs tutum est exponere se periculo peccati venialis propinquioris, quàm periculo peccati mortalis remotioris. *Dens.*

---

167. Ergò iterùm, si, adhibitis mediis, oratione, contritione, etc., perplexitas ità remaneat, ut tutius non appareat, agere necessitatus, quasi sorte, directioni Dei se committere debet, et facere quod occurrit. Sola enim tunc regula tuta, providentia est divina, nec agit ille contrà conscientiam, sed potiùs agitur non liberè.

Et idem à fortiori dicendum de eo qui erroneè putat se peccare agendo, omittendo, patiendo necessariò motus, v. g., primò-primos concupiscentiæ; aut graviter se peccare in

secundò-primis, quamvis in his deliberatio sufficiens non sit ad peccatum mortale.

PRINCIPIUM V.

168. Non licet agere secundùm conscientiam æquè probabilem, aut paulò solùm probabiliorem; sed tunc adhùc pars tuta est eligenda, quia sola hæc probabilitas non dat certitudinem moralem de honestate actionis.

PRINCIPIUM VI.

169. Conscientia notabiliter probabilior, et à fortiori probabilissima, tuta est regula morum; quia dat certitudinem moralem, quæ formidinem errandi rationabilem excludit.

Hinc 1° licet sequi in praxi opinionem unicè et solidè probabilem, seorsìm consideratam, si nihil appareat contrarium. « In actibus humanis, inquit D. Thomas...., sufficit » probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, » etsi in paucioribus deficiat. »

Hinc 2° licet sequi opinionem multò probabiliorem oppositâ, quia remanet magna probabilitas (*a*).

Ast hæc intelliguntur solùm quandò agitur de licito, seu an res liceat necne. Si enim directè agatur de valido, seu de actibus quorum validitas non pendet ab opinione, imò nec ab ignorantiâ invincibili, et generaliter de his omnibus in quibus nec major probabilitas, nec etiam ignorantia invincibilis juvant ad obtinendum finem quem assequi tenemur, tutiorem partem eligendam dictat conscientia prudens (9), nisi casus ad licitum reflexè convertatur, v. g., nisi adsit necessitas [91, *a*].

Nota : Confessarius absolvere potest pœnitentem doctum, et à fortiori doctiorem se, qui sententiam sequitur visam sibi, rebus seriò perpensis, et aliis non paucis probabiliorem, quamvis confessario minùs probabilis et minùs tuta appareat; quia pœnitens iste, si erret, non errat culpabiliter, nec consequenter absolutione indignus est; quin

jus habet ad illam. Aliundè sententia aliqua potest viro docto esse probabilior, quamvis sit minùs communis.

(*a*) Nostrum istud sextum principium, quod vocatur probabilioristarum, medium tenet inter laxitatem et rigiditatem; communius est, imò, inquit Billuart, communissimum, generaliterque æstimantur auctores qui illud defendunt. Fateor tamen rationes probabilissimorum magis, saltem primo intuitu, movere, quàm rationes laxistarum. Tutioristæ enim, inter quos non solùm rigorista Vendrok (Nicole) sed plures saltem Lovanienses, quibus assentit D. Dens, volentes tutiorem partem esse semper eligendam extrà casum necessitatis, quandò sententia contraria non est probabilissima, hâc non parvâ ratione nituntur: quòd, nisi opinio sit probabilissima, maneat semper inter limites probabilitatis, nec sit moraliter certa. Argumenta verò laxistarum valdè infirma videntur.

Nota: in præsenti materiâ summi Pontifices non damnârunt nisi propositiones laxitate aut rigiditate extremas, has nempè inter cæteras.

Innocentius XI: *Generatim dùm probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Alexander VIII: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.*

(*b*) Hinc non licet, extrà casum necessitatis, uti, in confectione sacramentorum, materiâ probabiliùs validâ; nec in curatione ægroti, medicamento probabiliùs curativo, dùm melius haberi potest; nec in bello aut in judicio, mediis probabiliùs valituris, dùm certa haberi possunt; nec explodere catapultam contrà domum, ubi aliquid latet, eo quòd probabilius sit id feram, non hominem esse; quia ex justitiâ et charitate cavere tenemur de damno proximi.

Idem dic si ex præcepto aut conventione ad tutiora teneamur. Idem tandem si agatur de necessariis ad salutem, necessitate medii.

Ait Billuart confessarium aut quemvis doctum consultum, an, v. g., talis contractus licitus sit, respondere debere secundùm probabiliorem sententiam quam tenet. At si sententia opposita probabilis sit reipsa, et à doctis pluribus teneatur ut probabilior, evenireque possit damnum tertio, addere debet, se quidem ob tales et tales rationes probabilius sentire, sed non deesse viros doctos qui contrarium sentiant, quos potest audire, et dein eligere coram Deo quod erit sibi probabilius.

Benè: sed quid eligere potest vir rudis? Nùm vim rationum sentiet? Ipsi ergò remanebit dubium in quo partem tutiorem debebit eligere; et, si agatur de restitutione, pro ratione dubii dividere dicerem, si opinio mea non esset, omnibus pensatis, certò moraliter probabilior. Sic enim agerem ipse.

NOTIONES GENERALES

CIRCA PECCATA.

PRÆMITTENDA.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Actus humanus, qui solus meritorius aut demeritorius esse potest, est actus procedens ab homine prout est ratione et libertate præditus; seu est actus cujus homo dominus sit.

Ergò actum humanum intrinsecè constituunt voluntarietas, ut aiunt, et moralitas.

QUÆSTIO I.

De voluntarietate actuum humanorum.

170. Voluntarium (sub quo liberum includimus et consensum) est id omne quod à voluntate immediatè aut mediatè procedit cum cognitione prævià eorum in quibus est actio, id est, circumstantiarum quæ actionem bonam vel malam faciunt.

Immediatè à voluntate procedunt actus qui dicuntur eliciti, ut amor, odium;

Et mediatè qui imperati vocantur, seu quos voluntas operatur mediante alià potentià, ut eleemosyna, homicidium.

Sed actus potest esse simul elicitus et imperatus, si nempè immediatè à voluntate procedat post habitum illius actûs propositum, v. g., actus amoris internus.

Nota : Voluntarium differt à volito præcisè, quia quis velle potest, quin id quod vult, ex ipsius voluntate procedat, v. g., gaudere de morte inimici, cujus causa non est. Mors enim inimici non est tunc illi voluntaria; sed gaudium de hâc morte potest esse vel non esse illi voluntarium.

Hinc omne voluntarium directè est, vel indirectè volitum, sed non è contrà.

Voluntario opponitur involuntarium, seu quod non procedit à voluntate, vel ab eâ non procedit cum cognitione præviâ.

SECTIO I.

De voluntario.

Præcipuæ, quæ ad rem attinent, voluntarii et consensûs divisiones sunt in perfectum et imperfectum, expressum et tacitum, directum et indirectum; in actuale, virtuale, habituale et interpretativum; circà quæ sequentia habeto.

---

171. Voluntarium perfectum, seu plenum, est illud quod à voluntate procedit cum perfectâ cognitione præviâ, id est, à voluntate deliberatâ.

Cognitio autem perfecta ea est quæ reperitur in homine usum rationis habente expeditum, et qui advertit aut advertere potest ad rem ut bonam aut malam. Talis reperitur in vigilantibus ad alia non distractis.

Imperfecta verò è contrà, qualis in semi-sopitis aut ad alia inculpabiliter attentis, aut etiam aliquandò passione vehementi impetitis. Tunc imperfecta est et deliberatio, quia intellectus ex parte suî, non plenè sed imperfectè tantùm apprehendit et apprehendere potest actum ut bonum aut malum, seu cum circumstantiis quæ eum ut talem constituunt.

Perfecta ergò potest esse cognitio (et idem dic de advertentiâ) et perfectus consequenter consensus, quamvis non sit actualis, directa et explicita, sed solùm virtualis, indirecta et implicita, seu etsi res virtualiter solùm, confusè vel in causâ cognoscatur. Undè verè peccatum est illud quod vocant philosophicum, in hoc consistens quòd quis sciat aut scire possit se agere contrà rectam rationem, etsi actu non cogitet de Deo quem offendit.

À fortiori sufficienter perfecta est cognitio dubitativa.

Voluntarium verò imperfectum illud est quod procedit à voluntate cum imperfectâ cognitione et deliberatione.

Hinc sufficienter vides voluntarium explicitum esse quandò clarè : et implicitum quando obscurè voluntas cognoscit objectum volitum.

---

172. Voluntarium expressum illud est quod verbis aut signis aliis consensum significantibus exprimitur ;

Tacitum verò quod, ex facto aut facti omissione colligitur aut præsumitur. In hoc voluntario fundatur regula juris : *Qui tacet consentire videtur*, supposito tamen quòd agatur de re tacenti favorabili, non verò ipsi onerosâ, aut quòd teneatur et possit loqui vel contradicere.

---

173. Voluntarium directum, quod alii voluntarium in se seu formale appellant, illud est quo res in se expressè intenditur ;

Indirectum verò, seu voluntarium in causâ, quod aliqui interpretativum vocant, illud quo rei causa intenditur, etsi forsan res sit contrà voluntatis inclinationem.

Ad voluntarium directum revocari posse videtur illud quod quidam positivum appellant, quod nempè à voluntate per influxum realem procedit directè vel indirectè.

Et ad indirectum, illud quod negativum dicunt, à voluntate non procedens quidem per influxum realem, sed tamen ab eâ pendens, ut omissio missæ ab eo qui sonitum campanæ audiens ultimum prandio se accingit, quamvis non dicat : *Nolo missæ assistere.*

Ut autem, cùm agitur de peccatis, effectus malus ex causâ voluntariâ procedens ad peccatum imputetur, sufficit ut ille effectus sit essentialiter cum causâ conjunctus ; modò tamen connexio illa cognoscatur aliqualiter, vel cognosci possit et debeat (*a*).

Sed si effectus malus non sit essentialiter cum causâ conjunctus, tria requiruntur ut ad peccatum imputetur, sive per se, sive per accidens sequatur.

1° Ut effectus ille, aut ejus periculum prævideatur, vel humano modo prævideri possit (*b*).

2° Ut possit non poni aut auferri ejus causa.

3° Ut hæc causa debeat non poni aut auferri, nullaque adsit justa ratio illam ponendi aut non auferendi (*c*).

Ut justa reputetur ratio, non absolutè consideranda est, sed relativè ad modum quo causa influit, et ad effectum ejus.

Hinc quandò causa per se et proximè influit in effectum, major debet esse ratio illam ponendi, aut non auferendi, quam si solùm per accidens et remotè influeret.

Hinc iterùm, quantò magis vel minùs effectus bonus, ex causâ procedens, malum effectum exsuperat, eò minor vel major ratio requiritur ad causam ponendam.

Ac proindè 1° : Quandò effectus bonus malum exsuperat, aut saltem ei æquivalet, nulla est obligatio non ponendi aut tollendi causam, quamvis per se et proximè influat in actum malum. Sic, servatis servandis, occidi potest injustus vitæ aggressor.

Proindè 2° : Si ex præcepto charitatis vel justitiæ teneatur quis causam auferre aut non ponere, faciliùs illi imputantur effectus mali; et quidem ad mortale, si damnum grave sit (*d*).

Nota 1° : Effectus malus tandiù voluntarius est respectu voluntatis præsentis, quandiù impediri potest.

Et quamvis ampliùs nequeat impediri, sæpè fit ut semper sit volitus.

Nota 2° : Peccatum non consummatur exteriùs nisi effectu adveniente, tuncque solùm pœna, si, quæ sit, incurritur.

Sed si effectus non evenerit, peccatum æquè commissum est.

Nota 3° : Causa effectûs mali retractari debet. Sed si efficaciter retractari non possit, sequelæ, obligatio, v. g., restituendi, æquè imputabuntur (*e*).

Nota 4° : Sola intentio injusta injustum non facit actum externum, qui aliàs non esset injustus, casu excepto in quo actus ille ab injustitiâ non excusaretur, nisi ex eo quod illa intentio abesset.

(*a*) Ergò nunquàm id facere licet undè ex naturâ rei sequitur pollutio, quamvis non intenta, imò etsi displiceret. Non licet, v. g., sibi permittere tactus, positiones aut motus corporis, intuitu sibi procurandi aliquod levamen, si hoc levamen veniat ex pollutione.

(*b*) Hinc voluntariæ sunt sæpissimè, iræ, blasphemiæ, turpiloquia, pollutiones in ebrietate, quia prævideri possunt. Concludunt itidem meritò post Sylvium, Billuart et Dens, omissionem auditionis missæ voluntariam esse in eo qui scit futurum ut, ob morbum quem voluntariè contrahit, non possit eam audire.

(*c*) A libidinosis ergò aspectibus, quibus occasionem præbet, non excusatur mulier quæ, etiam sine malâ intentione, nudo sinu incedit.

E contrà non peccat mulier formosa, sed modesta è domo prodiens.

Pariter non peccat confessarius aut chirurgus qui in exercitio officii, motus carnales, aut etiam pollutionem patitur invitus.

Nec in eodem casu equitans necessariò aut valdè utiliter.

Nec qui dormire nequit nisi in tali situ corporis, si ex eo eadem per accidens ipsi eveniant.

Nec si causentur per certos cibos apponi solitos, inquiunt Collet et alii. Sed seclude semper consensûs periculum, quod in genere dignoscitur ex iis quæ quis jàm expertus est, et ex defectu timoris peccati, ex fragilitate, propensione ad malum, similibusque circumstantiis.

(*d*) Addunt plures attendi debere utrùm effectus ex aliâ causâ æquè eveniret. Si enim æquè eveniret, minor, inquiunt, sufficit ratio ad ponendam ejus causam.

(*e*) Varias varii ex his principiis, quæ sola prudentia applicare potest, conclusiones pro praxi deducunt, præsertìm in materiâ impudicitiæ.

1° Mortale est liberè et sine ratione gravi, ponere causam per se moraliter influentem in illicitam delectationem veneream. Ea autem est hujus delectationis causa quæ effectum non habet alium, et ad eam causandam ex se ordinatur : quales sunt cogitationes, lectiones, locutiones, auditiones rerum multùm præsertìm obscænarum, aspectus, tactus valdè turpes, quamvis propositum habeatur motus venereos comprimendi. Aliundè evidens est his consentiendi periculum. *Sylvius, Habert, Theol. Pictav. P. Gab. Ant.*, etc.

E contrà non est mortale, si causa quæ ponitur, talem delectationem non producat frequenter, sed remotè et per accidens, quamvis, addit P. Gab. Ant., pollutio prævideatur secutura.

Attamen extrà casum necessitatis vel utilitatis, est semper hic aliqua culpa, si prævideatur mala delectatio oritura, quia inordinatio in hâc agendi ratione reperitur et aliquod consensûs periculum.

Ratio autem cur in istis casibus non nisi venialem culpam agnoscant communiter, est quia causæ remotæ non censentur moraliter causæ. Effectus tunc censetur permissus, non volitus. Alioquin homo teneretur abstinere à multis actionibus licitis ac necessariis.

Idem dicit Collet, si motus sint leves, sive præsentes, sive certò futuri.

Ast culpa potest esse mortalis, si delectatio sit valdè gravis; quia talis delectatio est occasio proxima consentiendi. *Theol. Pict.*

Quæ ergò decisiones non tam ex rei visceribus, quàm ex communi prudentûm sensu tenendæ sunt.

Sed quænam harum delectationum causæ ut remotæ in genere habendæ sint? Quæ nec per se turpes nec speciem turpitudinis habent, nec per se

ad luxuriam ordinantur; sed per se honestæ sunt, ut suprà citatæ, quibus addunt lectionem curiosam; imò aliqui, tactum levem ac transitorium vel ex joco in partibus honestis, aspectum fixum et morosum in faciem mulieris pulchræ. Quod cum grano salis acciperem, quià *per speciem mulieris multi perierunt*, ac proindè majus est in his consentiendi malæ delectationi periculum.

Non ergò, aiunt communiter, mortaliter peccat qui facit opus leviter malum, ut aspectum paulò curiosiorem, cœnam paulò excedentem, etsi prævideat motus, saltem non vehementes, indè secuturos, modò illos non intendat, nec sit periculum iis consentiendi; tùm quia horum motuum causæ non nisi difficillimè vitari possunt; tùm quia non habent malitiam consummatam; tùm quia, ut supponitur, motus illi sunt adhùc remoti.

Addit Billuart hoc verum esse, quamvis ex positione causæ venialiter malæ nullus sequatur effectus bonus, aut bonus quidem, sed qui malum non exsuperet, nisi effectus malus sit in grave damnum proximi; quia obligatio auferendi causam effectûs mali æstimanda est juxtà quantitatem ejus influxûs. Cùm ergò effectus non sit voluntarius nisi in causâ, si leviter ac remotè in eâ contineatur, leviter est in eâ voluntarius, adeòque ad culpam solùm levem imputabilis. Sed certò est ibi culpa venialis. Undè sub veniali tenetur quis abstinere se à colloquio honesto, sed inutili, ex quo prævidet secuturos motus inordinatos. Aliundè hoc est jàm per se veniale.

Ast quid, si causa motuum remotè influens sit mortalis in se, sed non contrà castitatem, ut ebrietas? Peccatum erit mortale ratione suî; sed non videtur nisi veniale ratione causæ motuum, maximè si non sit plenè deliberata, quia, inquiunt plures, causa, licèt in se mortalis ratione proprii objecti, considerata tamen ut causa motuum, potest esse venialis, si nempè remotè influat et per accidens.

Et hìc notat D. Dens quòd, ut effectus sit voluntarius, quandò sequitur ex causâ seu actione peccaminosâ, requiratur ut agens causam teneatur omittere eo titulo ne malus effectus sequatur; ac proindè non esse voluntarium homicidium commissum à clerico venante et invincibiler putante se occidere feram [677]. Si ergò incurritur tunc irregularitas, ut graves volunt, dicendum, aut ut periculosam prohibitam esse venationem clericis, vel hoc evenire ex particulari dispositione juris.

Sed deductæ hucusquè conclusiones possuntne applicari, cùm effectus malus prævisus notabilis est et non remotus, ut vehemens motus aut pollutio statìm secutura? Non conveniunt, supposito semper quòd causa effectus hos producat solùm per accidens et quòd absit periculum consensûs. Alii volunt hos effectus esse solùm venialiter imputabiles, etiamsi, addunt aliqui, causa esset contrà castitatem, modò venialis solùm, ut aspectus curiosior; aut mortalis quidem, sed instantanea, ut cogitatio brevis. Alii contrà.

Ab his saltem avertendi multùm, increpandique pœnitentes, et in praxi securior est sententia affirmans ibi esse mortale. Imò certò mortale est si ex tactu impudico, licèt ex levitate, aut ex lectione obscœnâ propter curiositatem factâ, hæc prævideantur eventura. Tutiùs ad minus dicendum cum P. Gab. Ant. et Collet, gravem esse tunc obligationem deserendi causam, statìm ac exurgit pollutio aut delectatio vehemens ex commotione spirituum generationi inservientium, imò antequàm exurgat, si certò sit secutura.

174. Voluntarium actuale illud est quod comitatur actualis advertentia.

Virtuale, illud, quod primùm actuale, in decursu actionum perseverat.

Habituale, quod in suî non retractatione quasi continuat.

Interpretativum, quod nec fuit, nec est, sed foret, si objectum ejus voluntati proponeretur.

Voluntarium interpretativum nec ad laudem, nec ad vituperium sufficit.

Benè verò ut, qui illud prudenter præsumit de altero, agat licitè consequenter ad hanc præsumptionem, modò, ordinariè loquendo, causa sit urgens agendi, nec pateat recursus ad eum cujus voluntas præsumitur.

Sed si agatur de validitate alicujus actûs, absolutionis, v. g., non sufficit præsumpta superioris voluntas.

Nota : hùcusque de voluntario dicta, dici debent de consensu, qui est acceptatio et complacentia voluntatis in eo quod ab intellectu proponitur. Alius enim est plenus seu perfectus, alius non plenus, alius directus, etc.

SECTIO II.

De involuntario.

175. Quot voluntarii, tot sunt involuntaii species.

Sed insuper involuntarium dicunt aliud *simpliciter*, et aliud *secundum quid*.

Involuntarium *simpliciter* est illud quod voluntas, consideratis omnibus circumstantiis, non vult.

Involuntariun verò *secundùm quid* illud est quod voluntas secundùm se consideratum non vult; sed tamen vult vestitum certis circumstantiis, quibus absentibus non vellet. Undè idem, sed sub diversâ ratione, potest esse simul voluntarium *simpliciter*, et involuntarium *secundùm quid*.

Quatuor numerantur quæ involuntariun efficiunt, seu voluntarium plùs minùsve impediunt : Coactio, metus, ignorantia et concupiscentia. Hæcque sunt,

Vel perfecta, vel imperfecta.

Vel antecedentia, quæ nempè præveniri non potuerunt; vel concomitantia, cùm sine illis, actus æquè fieret, nec sunt ejus causa; vel subsequentia, si oriantur ex deliberato voluntatis actu, aut præveniri potuerint ac debuerint.

§ I.

176. Coactio est vis ab extrinseco illata passo reluctanti.

Voluntarium omninò tollit coactio perfecta et antecedens, seu coactio strictè dicta; secùs imperfecta et consequens, seu latè dicta.

Sed illud minuit.

Hinc qui cogitur ad aliquid intrinsecè malum, seu quod tale est in omnibus circumstantiis, ut ad thus adolendum falso Deo, tenetur non solùm internè, sed et externè, quantùm moraliter potest, resistere, etiamsi spes absit malum effectum impediendi (*a*).

(*a*) Undè damnata est à clero gallicano hæc propositio : *Susanna potuisset in tanto periculo, negativè se habere... quia majus est bonum vita et fama quàm pudicitia.*

Tenetur ergò mulier cui vis infertur, resistere clamoribus, pugnis, alapis, læsione oppressoris, modò non ad mortem, et aliis similibus. Sed quousquè peccet hoc non faciendo? Judicandum ex circumstantiis, non enim determinant auctores. Non vacat à culpâ, inquit Collet. Tenetur resistere, aiunt alii. Credit Collet eam consentire censeri, si simpliciter non clamet, etiamsi ob clamorem, mortis incurrat periculum, modò clamor credatur profuturus. Sed plerique negant eam teneri clamare, imò nec alapis, etc., se defendere quamvis clamando, etc., famæ solius periculum subeat, juxtà Billuart; modò tamen, quod rarum, absit periculum consensûs. Ratio eorum est quòd præceptum se defendendi sit affirmativum, et quòd præceptum affirmativum non obliget cum tanto dispendio. Non tenetur positivè resistere cum periculo mortis, inquit P. Ant. à Goritiâ ut quid probabilius, modò internè omnem detestetur libidinem.

Hæc quidem speculativè non displicerent: sed in praxi sententiæ cleri gallicani, saltem ut tutiori adhærerem, mortale vel veniale determinando ex circumstantiis; ex defectu majoris vel minoris resistentiæ, majoris vel minoris periculi consensûs interni; notando quòd sæpissimè peccati qualificatio impossibilis sit, nisi vim passæ tandem heù! faciliùs tentatori cesserint, quòd non raRò fatentur, addendo tamen sæpè quod (sive ob horrorem, sive ob timorem peccati), nullam voluptatem expertæ sint. Infamiæ et à fortiori mortis periculum subeunt rarissimè clamando, se defendendo, etc.

§ II.

177. Metus, qui et coactio *secundùm quid* appellatur, est mentis trepidatio, instantis aut futuri mali causâ.

Alius gravis, cùm nempè timetur malum grave et difficilè vitabile; et alius levis, cùm malum leve timetur, aut grave quidem, sed facilè vitabile.

Si metus personas constantes commovere soleat, ut metus mortis, amissionis bonorum aut notabilis eorum partis, absolutè gravis dicitur;

Respectivè verò gravis, si solùm meticulosarum personarum genus, ut senes, infantes, mulieres, soleat commovere. Quæ distinctio valet in contractibus.

Ad metum absolutè gravem reducuntur timor reverentialis superioris indignabundi, à quo quis in multis pendet, et preces importunæ quæ sine gravi incommodo contemni nequeunt.

Metus alius adhùc ab intrinseco, qui à causâ naturali necessariâ incutitur;

Et alius ab extrinseco, qui à causâ liberâ.

Si metus hic ab habente rationem legitimam incutiatur, justus dicitur; injustus verò, si sine rationabili causâ.

Tandem metus alius *per se*, cùm nempè à causâ venit cui natura vim indidit metûs inductivam in utilitatem nostram, ut timor inferni ex peccato;

Et alius *per accidens*, cùm è contrà. Talis metus naufragii ex quo sequitur necessitas renunciandi vitæ aut mercibus.

Porrò metus in causâ non voluntarius voluntarium tollit, quandò aufert rationis usum;

Secus si illum relinquat.

Voluntarium tamen minuit tunc, sed non ità ut de mortali faciat veniale, si plena remaneat advertentia.

Nota : metus impediendo actionem peccaminosam potest relinquere affectum ad peccatum.

§ III.

178. Ignorantia est carentia scientiæ in subjecto apto.

Per scientiam intellige qualemcumque notitiam seu cognitionem etiam dubitativam, virtualem, indirectam et implicitam.

Si ejus carentia sit habitualis, vocatur simpliciter ignorantia.

Si sit actualis, sed rei quæ habitualiter cognoscitur, vocatur inadvertentia;

Et si rei olim cognitæ, oblivio.

Inadvertentiæ et oblivioni applicanda erunt, generaliter loquendo, quæ dicemus de ignorantiâ.

Ignorantia est negativa, quæ merè est absentia cognitionis quam quis non tenetur habere, ut ignorantia juris canonici in rustico. Hæc potiùs est nescientia.

Alia privativa, quæ est privatio scientiæ quam quis tenetur habere, ut ignorantia mysteriorum fidei scitû necessariorum.

Et alia pravæ dispositionis, seu error, et est judicium quo assentimur falsis tanquam veris, aut è contrà.

De solâ ignorantiâ privativâ agitur hìc, et

Alia est juris, quâ ignoratur lex aut præceptum.

Alia facti, quâ ignoratur factum aut circumstantia à lege distincta.

Alia invincibilis quæ vel non debuit, vel si debuit, superari tamen non potuit adhibitâ diligentiâ morali, id est, nec levi, nec summâ, sed quam viri prudentes adhibent, proportionatâ proindè gravitati rerum.

Alia vincibilis, quæ, adhibitâ morali diligentiâ, tolli potuit et debuit(*a*), hæcque est,

Vel strictè vincibilis, quæ difficulter;

Vel crassa, quæ facilè;

Vel supina, quæ facillimè superari potuit.

Sæpè crassa et supina confunduntur.

Vel tandem affectata, quæ directè volita est et intenta.

Nota: Hi termini: *Ignorantia invincibilis, involuntaria,*

antecedens, inculpabilis, apud theologos æquivalent. Item hi : *Vincibilis, voluntaria, consequens, culpabilis.*

(a) Postquàm occurrit cogitatio vel dubitatio de obligatione ediscendi, inquit theol. Pictav. Sed sufficere videtur quòd aliquandò occurrerit, alioquin ob ignorantiam invincibilem excusarentur inconsulti et continuò distracti, qui rebus terrenis unicè attenti, nunquàm redeunt ad cor, media ad ediscendum necessaria negligunt, bibuntque quasi aquam iniquitatem. Vulgare est effatum, *Sapientis non est dicere : non putabam.*

---

179. Voluntarium tollit ignorantia invincibilis antecedens. Concomitans verò itidem invincibilis facit non voluntarium, ac proindè potest esse cum affectu etiam actuali ad peccatum.

Ignorantia autem vincibilis et consequens, seu in causâ culpabilis, voluntarium non tollit, sed minuit peccatum, non adeò tamen quòd faciat de mortali veniale; nisi in casu in quo levis fuisset in discendo negligentia (*a*).

Tandem ignorantia affectata peccatum auget, nedùm minuat.

Nota 1° : Non datur ignorantia invincibilis præceptorum juris naturæ primorum et universalissimorum, neque secundariorum, seu conclusionum primarum quæ facilè à principiis deducuntur, quales sunt quæ perjurium, homicidium, sodomiam, adulterium, vetita dicunt (*b*).

Sed existere potest circà conclusiones remotas (*c*) et circà præcepta juris positivi.

Nota 2° : Ignorantia primùm vincibilis potest ex oblivione fieri invincibilis.

(a) In genere qui scit quæ communiter noscunt ejusdem conditionis homines, suis officiis attenti, invincibiliter ignorare censetur; nec, secluso contractu de speciali attentione aut peritiâ, requiritur ut quis excellet inter peritissimos. *Varii.* Undè concludendum videtur advocatum, medicum, confessarium, etc., qui primùm neglexerunt ediscere, in scholis sæpè inattenti, etc., si tamen posteà discant, ità ut sciant quæ communiter nôrunt ejusdem officii periti, posse exercere suum officium : nec ipsis imputandas culpas quas vitassent si facti fuissent doctiores, uti potuissent, præsertìm si negligentiæ præteritæ eos pœniteat. Alioquin munus exercere non auderent, ob timorem peccati et obligationis restituendi.

Media vincendi ignorantiam sunt : 1° lumen rationis et proprium studium; 2° recursus ad peritiores præsertìm superiores et pastores; 3° recur-

sus ad Deum; 4° expurgare se à peccatis, passionibus, affectibus et præjudiciis, hæcque media, modò pauciora, modò plura adhibenda sunt, prout postulant rei gravitas, tempus, locus, personæ, aliæque circumstantiæ. Duo priora media sufficiunt pro factis et legibus humanis. Imò bonam fidem agentis ex ignorantiâ non crassâ in illis legibus admittunt communiter excusare à gravi eum, v. g., qui non jejunat aut missam non audit die festo, putans bonâ fide, omni fraude sepositâ, se habere causam sufficientem quamvis reipsâ non sufficiat. *Dens*, forsan generaliter loquendo hìc benignior. Starem principiis.

Quoàd inadvertentiam, oblivionem, etc., quæ confessarios anxios tenent in praxi ferè quotidianâ, plures, præter varias ignorantiæ species quas inadvertentiæ et oblivioni applicabiles suprà diximus, duplicem insuper distinguunt inadvertentiam.

Unam ad actum materialiter sumptum, v. g., ad manducationem carnium præcisè.

Alteram ad actum et ad ejus malitiam, ad manducationem carnium, v. g., et simul ad vetitum Ecclesiæ die veneris.

Iis rigidior videtur sententia eorum qui dicunt sufficere advertentiam ad actum materialem, saltem si agatur de actibus internis, quia, quamvis in omni deliberatione considerandum sit an res liceat necne; et quamvis sola objecti mali propositio cum cognitione habituali ejus malitiæ, sufficere possit ad excitandam cognitionem actualem malitiæ, potest tamen, etiam in timoratis, esse instantanea attentio ad actum, antequàm adsit ad malitiam plena saltem advertentia. Nam actus interni longè minùs quàm externi ingerunt sui malitiam, et, inter actus externos, ii qui sunt circà conclusiones remotas juris naturalis aut juris positivi, multò minùs adhùc quàm qui sunt contrà prima principia et conclusiones proximas. Isti enim debent statim ingerere attentionem ad suî malitiam.

Ergò dicendum videtur de inadvertentiâ, etc., sicut de ignorantiâ, quòd nempè advertentia interpretativa seu virtualis sufficiat ut inadvertentia sit vincibilis, ac proindè peccatum non impediat. Talis autem censetur 1°, in iis qui non attendunt ad malitiam actûs, quia laborant ignorantiâ hujus malitiæ vincibili; 2° in his qui scientes habitualiter, aliundè tamen voluntariè ponunt causam inadvertentiæ, per passiones quibus toti se dedunt, per supinam salutis incuriam, habitualem præcipitationem in agendo, ordinariam in attendendo negligentiam; 3° in eo qui reflectit aut advertere potest id quod facit plus mereri considerationis, nec tamen majorem adhibet. *Billuart,* etc.

Extrà hos casus inadvertentia censenda est invincibilis, præcipuè in timoratis et circumspectè agentibus, nisi, ut suprà, sit aliqua dubitatio, etc., vel saltem aliqua cogitatio aut cognitio sive periculi, sive obligationis inquirendi, sive alia, quæ si non negligeretur, ex se conduceret ad cognitionem malitiæ.

(*b*) Affirmant tamen plures cum Salmanticensibus posse ignorari invincibiliter conclusionem primariam juris naturæ, quandò vestitur circumstantiâ aliquâ apparenter excusante à peccato; ignorari posse, v. g., non licere mentiri ad servandam vitam innocentis, furari ad succurrendum graviter indigenti. Saltem hæc ignorantia practica diu durare non posset.

(*c*) Non pauci, præsertìm inter Lovanienses, quorum sententiæ sibi oblatæ nihil respondit Innocentius XI, contrà sentiunt; quia alioquin lex naturalis non esset sufficienter promulgata. Fatentur tamen ignorantiam conclusio-

num remotarum excusare posse à mortali. Fatentur etiam inter eos quidam admitti posse ignorantiam invincibilem respectu *practicè docentis* quæ sunt contrà conclusiones remotas juris naturæ. Sed alii negant damnantque de peccato veniali D. Thomam docentem posse judicem condemnare ad mortem reum juridicè convictum de crimine capitali, quamvis privatâ scientiâ noscat eum esse innocentem.

Licèt rigidior videatur Lovaniensium sententia, absit tamen ut à mortali excusentur communiter, ob ignorantiam, juvenes mollitiei dediti: imò nec qui simpliciter in se et à fortiori in alios ante pubertatem turpia exercent, vel eo solo quòd sæpè saltem in his gravem quamdam apprehendant turpitudinem [71, *b*].

Idem dicendum de conjugibus qui in usu matrimonii contrà ejus finem aut contrà naturam agunt, vel extrà usum sese solitariè aut invicem polluunt. Tamen, cùm in publico illa non possint clarè edoceri decenter, imò nec semper moneantur quòd curare debeant edoceri, sintque plurimi confessarii qui, vel incuriâ vel pudore indebito eos non instruunt, aut non sufficienter, sed solùm in globo; cùm passìm ab libidinosis, vel ignaris et inverecundis audiant omnia in matrimonio licita esse inter conjuges, non auderem asserere nunquàm à mortali excusari posse eos, præsertìm in rebus quæ remotè ad finem matrimonii obsistunt, ut in pollutionibus quas non ex intento, sed ex jocis, quamvis voluntariè in causâ, sibi procuraverunt [164, *c*]. A fortiori si sint aliundè timoratæ conscientiæ.

Nota : Si una actûs mali circumstantia invincibiliter ignoretur, quoàd eam non erit peccatum, aiunt meritò plures contrà alios.

§ IV.

180. Concupiscentia antecedens auget voluntarium absolutum, sed minuit perfectum et liberum, ac proindè peccatum. Quin et illud impedit, si rationis usum auferat, ut in iis qui ex amore insaniunt; potestque illud, ob actûs imperfectionem, reddere de mortali veniale.

Excipe, si voluntaria sit in causâ; nam concupiscentia concomitans aut consequens, cùm sit culpabilis, quamvis liberum minuat in se, peccatum tamen auget, quia voluntas ardore majori fertur in malum.

Idem dicendum de habitibus pravis liberè contractis, et liberè, sive directè, sive indirectè conservatis aut auctis.

Et de occasione liberâ. Hæc enim nonnisi voluntariè libertatem minuunt.

Sed habitus malus non censetur voluntarius pœnitenti eum ex toto corde retractanti (*a*).

Nota : Concupiscentia consequens potest esse antecedens respectu alterius voluntatis, et vicissim.

(a) Juxta non paucos, consuetudinarius tenetur retractare consuetudinem malam, tanquàm occasionem proximam et periculum morale peccandi, ità ut toties peccet quoties advertit ad suam consuetudinem, nec proponit eam corrigere. *Collet.*

Difficile est sæpè dignoscere an habitus malus sit adeò retractatus ut in causâ non sit imputabilis ampliùs. Graves proindè et fortiter coercentes pœnitentiæ imponendæ sunt blasphemis, obscœna proferentibus, etc., qui ob iræ subitaneum impetum aut inadvertentiam sese excusant: imò ut magìs advertant, absolutio non rarò est iis protrahenda.

---

181. Ergò motus concupiscentiæ qui excitantur, sive in mente, sive in corpore (et idem dic de motibus malis appetitûs irascibilis) aliquandò non sunt peccata, cùm nempè sunt primò-primi, seu omnem præcedunt mentis advertentiam in sensu supradicto intellectam [179, *a*].

Sæpè in materiâ etiam gravi sunt solum veniales, cùm nempè sunt secundò-primi, seu cum imperfectâ advertentiâ.

Sæpissimè mortales, cùm scilicet sunt plenè deliberati, et materia gravis est.

Ergò motus pravi, positâ sufficienti advertentiâ, reprimi debent,

Positivè quidem (quamvis non semper directè), saltem per actum formalem displicentiæ.

Imò et efficaciter, conando ut expellantur, præsertim causam eorum deserendo, nisi justa ratio obstet (*a*); imaginationem ad alia non violenter, sed pacificè convertendo.

Nota : Non licet ergò motus concupiscentiæ in se admittere aut retinere ad luctam, exercitium virtutum, meritum, etc., quia sunt contra rectam rationem, et damnatæ sunt circà hæc duæ Molinos propositiones.

Remedia præcipua contra motus concupiscentiæ sunt generatim quæ eorum causis opponuntur. Si ex phantasiâ seu imaginatione; hæc abjicienda, aut ad alia convertenda. Si ab objectis externis aut occasionibus; hæc fugienda, ni rationes contrà militent, aut ab omnibus objectis quis moveatur. Si ex complexione, abundantiâ humorum; abstinentiâ. Si ex timore; vincendus, et spernendi motus, etc.

(*a*) Sed quænam est illa justa ratio nonnisi per actum formalem displicentiæ resistendi motibus pravis, vel eorum causam non deserendi? Juxtà

plures non laxiores sufficit timor legitimus ne ex majori resistentiâ augeantur, vel ne imaginatio lædatur, et ab omnibus objectis moveatur. Sed semper supponitur abesse consensûs periculum.

Quodnam autem peccatum sit præcisè negativè se habere ad motus mortaliter pravos, si absit periculum consensûs ? (quod raró, præsertìm in materiâ luxuriæ, saltem si diù quis negativè solùm se habeat ad eos.) Disputatur. Alii, Collet, P. Gab., Ant., etc., illos motus volunt esse mortales, nisi, ut suprà, justa causa excuset. Ratio eorum est quòd mortale sit sentire voluntariè delectationem de re graviter malâ; et quòd pravis concupiscentiæ motibus annexum sit periculum intrinsecum rei malæ, moralisque impossibilitas non consentiendi; tandem quòd, juxtà effatum, effectus communicet causæ suam malitiam.

Alii verò negant, et quamvis eorum opinio primo intuitu, speculativè loquendo, non minùs quàm sententia priorum probabilis appareat, imò magis mihi arrideat, quia longè aliud videtur voluntariè sentire præcisè motus concupiscentiæ, et eis consentire, imò et censeri approbare eos; attamen in praxi priori adhærendum existimo, saltem ob periculum consensûs, præsertìm si agatur de motibus luxuriæ, quia est quasi naturalis hominis conditio ut, appetitu sensitivo delectante, voluntas etiam simul delectetur; nisi saltem per actum displicentiæ, seu, ut ità dicam, nolleitatis, positivè resistat. Ad summum posset excipi, si instanti solùm quasi physico, actus displicentiæ ab actu plenæ advertentiæ separetur.

Cæterùm, inquit Billuart, brevissimo tempore elici potest hic actus displicentiæ, et longo tempore durare, ità ut non opus sit illud continuò iterare.

Addit idem sibi videri solùm veniale non adhibere insuper resistentiam corporalem, sive internam, sive externam. Saltem id certum, inquit meritò, si aliqua, quamvis non omnis possibilis resistentia adhibeatur. Adderem resistentiam corporalem aliquando motus augere, nedùm compescat, ac proindè tunc non adhibendam. Nec, aiunt alii, absolutè necessarium est ut motus totaliter reprimantur et veluti extinguantur; repulsi enim sæpè redeunt, excitantur et perseverant, renitente voluntate : sufficit ergò tunc per intervalla contrà niti. Nec hìc ad normam matheseos agendum, sed moraliter. Quòd si, adhibito conatu morali, nihil proficiatur, motus sunt, secluso consentiendi periculo, contemnendi, elicito displicentiæ actu, identidem in pugnâ diuturnâ renovando.

QUÆSTIO II.

De moralitate actuum humanorum.

182. Moralitas actûs humani est illius habitudo ad finem ultimum, seu illius bonitas vel malitia.

Alia est essentialis actui, et alia accidentalis.

Essentialis desumitur,

1° Ab objecto, non in se, seu materialiter considerato, sed prout est objectum talis actûs, seu prout attingitur ab operante, modo rectæ rationi consentaneo vel dissentaneo.

Cùm objecto coincidit finis operis.

2° Ex circumstantiis essentialibus, quæ transferunt actum à statu indifferentiæ ad statum moralem, ut intentio, seu finis operantis; et hic finis potest itidem habere rationem objecti, ut si eleemosyna detur ex vanâ gloriâ. De hoc solùm fine hìc agitur.

Moralitas accidentalis venit ex circumstantiis accidentalibus, sive ex parte actûs sive ex parte objecti, sive generalibus quæ in omni, sive particularibus quæ non in omni actu occurrunt.

Tria sunt ergò moralitatis actuum humanorum principia : objectum, finis operantis et circumstantiæ.

---

183. Moralitas actûs humani consistit in illius conformitate vel deformitate cum lege divinâ spectatâ latè, seu prout extendit se ad objectum, finem et circumstantias actûs.

Si conformitas actûs cum lege divinâ sit ab agente cognita, et directè, saltem implicitè, intenta, actus dicitur formaliter bonus, sufficitque ut intentio virtualiter perseveret.

Si verò conformitas hæc vel non sit cognita, vel non intendatur, actus dicitur, bonus materialiter.

Sed ad bonitatem actûs, objectum et circumstantiæ debent esse actui proportionata.

A contrario, si deformitas actûs cum lege divinâ sit cognita, aut moraliter cognoscibilis, actus dicitur formaliter malus, etsi hæc deformitas non intendatur; sed intenta majus peccatum facit.

Si autem hæc deformitas nec cognita sit, nec moraliter cognoscibilis, actus dicitur materialiter malus.

Hinc effatum : *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu* (*a*).

Hinc etiam, actio intrinsecè mala nullo motivo cohonestari potest.

E contrà actus objectivè bonus, si ob finem malum fiat, nullam bonitatem habet. Imò potest esse peccatum mortale, ut celebratio sacri ex motivo lucri (*b*).

Ast circumstantia venialiter mala, actui bono adveniens totam ejus bonitatem non aufert (*c*).

(*a*) Juxta aliquos, si in actu circumstantia debita omittatur, actus inficitur. Quod verum esset, si, eâ circumstantiâ deficiente, cæteræ non forent actui proportionatæ, v. g., actus conjugalis exercitus solùm ad vitandam propriam incontinentiam (juxtà multos) malus est.

Ergò fieri potest ut objectum actûs secundùm se sit bonum, et circumstantiæ bonæ, et tamen simul hæc occurrentia constituant actum malum, v. g., militia est honesta, item dignitas sacerdotalis, et tamen malum est sacerdotem militare. *Dens.*

(*b*) Si actus de se bonus fiat partim ex fine venialiter malo, juxtà alios contrà alios, erit bonus simul et malus, est enim virtualiter duplex.

(*c*) Actus etiam tunc est à fortiori virtualiter duplex; sed idem difficilè diceretur, si finis esset moraliter malus; quia finis bonus à malo non sat disparatus ab eo absorberetur. *Dens.*

Actus malus relatus ad finem malum est dupliciter malus.

---

184. Hinc nulli sunt in individuo actus indifferentès; quia finis cujuslibet operantis bonus est vel malus. Sed potest esse non meritorius quin sit peccatum, ut si fiat ex fine honesto, sed non supernaturali (*a*).

Tenemur ergò actus omnes ad Deum referre, identidem explicitè, tendendo ad ipsum ex fine supernaturali, imò ex motivo charitatis perfectæ, quandò ejus urget præceptum.

Et semper, saltem mediatè, implicitè et virtualiter, agendo ex fine honesto, sæpè offerendo nosmetipsos Deo et potentias nostras nostrosque actus, et operando virtute hujus intentionis non retractatæ.

Hinc iterùm gravis obligatio nos ad Deum ut finem ultimum convertendi per fidem, spem et amorem Dei super omnia, cùm, moraliter loquendo, rationis usum adepti sumus (*b*).

Nota : Moralitas formalis actûs non est intrinseca actui imperato, sed solùm actui elicito voluntatis : proindè actus externus junctus cum interno non auget per se illius bonitatem vel malitiam (*c*).

Illam tamen ferè semper auget per accidens; ob majorem intensitatem quam dat actui interno; ob longiorem actuum internorum durationem et majorem multiplicationem; ob

habitus bonos vel malos quos formant et augent actus externi; et ob exemplum bonum aut malum, etc.

Sunt ergò actus externi mali in confessione declarandi, et eò amplius quòd totus actus malus, seu omne illud quod habet rationem peccati, aperiri debeat.

(a) Facere actum merè quia placet, vel omittere quia non præcipitur, malum est; quia otiosum et carens fine proximo honesto : à fortiori, si fiat ob solam delectationem, ob quam nequidem ut finem secundarium agere licet. *Dens.*

(b) Hæc conversio fit vel explicitè, seu ad Deum distinctè cognitum, vel implicitè et virtualiter sibi proponendo bene vivere, amando bonum in quo Deus ut auctor boni continetur. Tandem eo modo quo juvenis potest et Deum cognoscit, seu eo modo quo eâ ætate capax est discretionis et deliberandi de rebus gravissimis. *Billuart.* Saltem hi modi debent esse supernaturales.

Deus equidem ut auctor supernaturalis potest ignorari invincibiliter; sed qui sunt piè educati et christianè instituti tutò præsumuntur satisfecisse præcepto se convertendi ad Deum, nisi jam à pleno rationis usu fuerint vitiis dediti. Cæteri, sub conditione, saltem hanc omissionem in confessione declarare debent. Ità D. Dens alicubi tamen rigidior.

(c) Excipitur receptio sacramentorum, quia ex speciali privilegio Christi, susceptio eorum realis habet majores effectus ob opus operatum.

Excipitur adhùc actus satisfactorius; desiderium enim satisfaciendi Deo non tantùm prodest quantùm satisfactio externa; quia satisfactio in suo conceptu includit passionem et actus arduos

---

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE PECCATI.

183. Peccatum est libera legis divinæ (sub quâ humana) transgresio.

Distinguitur à vitio sicut actus ab habitu.

Peccatum dividitur in originale et personale.

Personale, de quo hìc solùm, est aliud commissionis, per quod præceptum negativum;

Et aliud omissionis, per quod præceptum affirmativum violatur.

Aliud mortale, quo aufertur gratia sanctificans;

Et aliud veniale quod eam non aufert.

Aliud ex infirmitate, quod ex vehementi passione;

Aliud ex ignorantiâ, quod, etc.;

Et aliud ex malitiâ, quod nec ex passione, nec ex ignorantiâ committitur.

Aliud capitale,

Et aliud quod ex capitali oritur.

Cætera, de quibus nihil fusè dicendum, sunt actuale, quod actu committitur;

Habituale, quod physicè præteritum, retractatum præcisè non fuit, differens proindè ab habitu peccati;

Peccatum contrà Deum, quod directè opponitur virtutibus per quas homo ad Deum ordinatur, fidei, etc.;

Peccatum contrà proximum, quod opponitur virtutibus per quas homo rectè ordinatur ergà alios, dilectioni, justitiæ, etc.;

Peccatum contrà seipsum, quod iis directè opponitur virtutibus per quas homo benè disponitur ergà seipsum, temperantiæ, castitati, etc.;

Peccatum carnale, quod in carne consummatur et habet pro objecto delectationem carnalem, ut gula;

Peccatum spirituale, quod in animâ consummatur, et habet pro objecto delectationem spiritualem, ut invidia;

Peccatum cordis, oris, operis, internum, externum, formale, materiale, proprium et alienum.

Circà quæ nota quòd, cæteris paribus, peccata contrà Deum graviora sint quàm quæ contrà seipsum, et ista quàm quæ contrà proximum.

Item quòd peccata spiritualia, cæteris itidem paribus, graviora sint peccatis carnalibus; sed ista periculosiora.

Tandem quòd fideles sæpè non confiteantur peccata interna, spiritualia, imò quòd plures ea non advertant.

CAPUT II.

DE MORALI DISTINCTIONE PECCATORUM.

HÆC moralis distinctio spectat ad speciem et numerum.

SECTIO I.

De morali distinctione peccatorum quoad speciem.

186. TOT sunt peccata specie diversa, etiam in eodem actu, quot per illum violantur leges formaliter diversæ hunc actum prohibentes, quia peccatum est legis transgressio.

Leges autem sunt formaliter diversæ, quandò aliquid, etiam idem, motivo diverso, proximo et intrinseco, præcipiunt aut prohibent (*a*).

Porrò hæc ejusdem actûs legibus diversis oppositio venit ex ejus circumstantiis, seu accidentibus sine quibus concipi et esse posset (*b*).

(*a*) Si leges plures aliquid ex eodem motivo præciperent aut prohiberent, forent solùm materialiter diversæ : hinc simonia, etsi lege divinâ et humanâ prohibita sit, unum et idem est specie peccatum; quia utrâque lege ex eodem motivo, religionis nempè, prohibetur. Econtrà in percussione clerici triplex est æquivalenter peccatum specie diversum, quia hæc percussio, jam prohibita motivo justitiæ et charitatis, prohibetur adhuc motivo religionis.

Undè concludunt meritò plures Collet, Billuart, P. Thomas, etc., unum facere peccatum, nec quidem juxtà plerosque gravius, eum qui missam non audit die Dominicâ in quam incidit festum de præcepto; vel qui non jejunat die Quatuor Temporum in quam incidit vigilia jejunium importans. Aliter tamen sentiunt alii, quia ob diversitatem præceptorum plures violantur obligationes. Saltem, inquiunt alii, peccatum gravius est.

(*b*) Quamvis hìc notandæ solùm forent circumstantiæ quæ speciem novam peccato addunt aut ab eo demunt, utpotè necessariò à confessariis cognoscendæ; aggravantes tamen, seu quæ malitiam augent intrà eamdem speciem, plures indicabimus, quia si notabiliter aggravent, sunt probabiliùs in confessione declarandæ; ac proindè interrogandi circà eas pœnitentes si illas non declarent [66, *b*].

Alterutræ vulgò sic exprimuntur

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quandò.

Quis denotat qualitatem accidentalem peccantis.

Circumstantia hæc speciem mutat in multiplici casu, sed ad hunc generalem reductibili, quòd nempè peccans, aliâ quàm communi lege rem facere, aut vitare teneatur. Sic, si voto castitatis ligatus peccaret contrà eam, adderet peccato luxuriæ peccatum contrà religionem.

Sæpè itidem circumstantia hæc malitiam auget notabiliter; longè, v. g., gravior est incestus cum sorore quàm cum consobrinâ. Sic etiam, juxtà plures, longè graviùs peccaret parochus cum suâ parochianâ quàm cum extraneâ. Imò non desunt qui ibi videant peccatum injustitiæ. Sic tandem, juxtà Collet, longè graviùs peccat, se inebriando, clericus, quàm laicus. In genere persona in gradu magno constituta, peccat notabiliter graviùs quàm alia, ob facilitatem resistendi, specialem repugnantiam, ingratitudinem; quod extendunt aliqui ad peccantem quemvis cum speciali repugnantiâ. *Varii.*

Quid denotat qualitatem et quantitatem objecti peccati; imò et effectûs accidentalis ex eo secuti culpabiliter, vel qui debuisset sequi et cui se exposuit peccans

Circumstantia hæc speciem mutat, si, v. g, objectum peccati sit Deo sacrum, si persona offensa sit specialiter conjuncta, ut pater, etc.

Attamen, inquit D. Dens, offensa quævis personæ specialiter conjunctæ, non videtur mortalem sumere malitiam specialem, extrà primum aut secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum. Sed non ità in peccatis luxuriæ. Circumstantia enim eò tunc extenditur quò gradus prohibiti. Gradus ergò in confessione declarandus est.

Et sæpè malitiam notabiliter auget circumstantia *quid*, ut in furto, detractione, etc. Item si persona quæ objectum est peccati, sit grandis dignitatis.

Ubi loci qualitatem significat.

Circumstantia loci sæpè novam peccato addit malitiæ speciem, ut injustitiæ, ratione honoris læsi, scandali, et sacrilegii, cùm nempè actio sacra malè fit in loco profano, aut actio profana, saltem pluribus in casibus, in loco sacro.

Sed raro notabiliter aggravat peccatum nisi fortè in materiâ justitiæ, ut si quis, in loco publico, contumeliam alteri inferat.

Quibus auxiliis: intelliguntur hìc instrumenta, personæ, aliave media quibus ad peccandum quis utitur. Hæc circumstantia mutare potest speciem, seu novam addere, v. g., si quis confessione uteretur ad inducendum confessarium ad turpia; philtro ad seducendam puellam; jussu ad inducendum aliquem ad peccatum. Esset enim tunc scandalum speciale.

Aliquandò etiam malitiam notabiliter auget, ac proindè declarari debent in confessione media extraordinaria adhibita ad peccandum, et eorum extraordinaria multitudo.

Sed non ordinaria, nisi actus non fuerit secutus. Tunc enim ipsa sola media peccatum efficiunt. Undè à nefariis declaranda sunt inutilia quæ, ad seducendum, conamenta adhibuerunt.

Cur indicat finem accidentalem quem peccans sibi proposuit. Circumstantia hæc in actum bonum inducit malitiam, et quidem mortalem, si finis mortaliter malus sit; novamque addit actui jàm malo.

Et augere potest malitiam, ut si quis primâ vice fornicetur ad puellam sibi devincendam.

Quomodò significat modum accidentalem quo peccatum commissum est.

Differt ab auxiliis, quæ non modum præcisè designant, sed instrumenta adhibita.

Hæc circumstantia sæpè novam addit malitiæ speciem; speciem contumeliæ, v. g., detractioni; si nempè detractio fiat præsente personâ de quâ detrahitur [368, a]; speciem stupri, fornicationi, si, per vim saltem, cum virgine patretur.

Item potest esse in modo malitia specialis contemptûs, inobedientiæ, odii formalis, invidiæ, superbiæ.

Sæpè etiam, et aliquandò notabiliter, hæc circumstantia malitiam auget ratione intentionis actûs, sicut et illam minuit actûs remissio. Sic malitiam notabiliter auget exquisita in odio crudelitas.

Quandò denotat qualitatem et quantitatem temporis ad peccatum adhibiti.

Circumstantia qualitatis temporis addit aliquandò speciem novam peccato, ut comessatio die jejunii; et in genere quandò tempus præscriptum vel vetitum est præcepto formaliter diverso ab eo quod actionem præcipit vel prohibet, quidquid in contrarium dicant aliqui.

Sæpissimè item notabiliter aggravat malitiam quantitas temporis, v. g., duratio plusquàm ordinaria odii, cogitationum malarum, etc.

Ordinariè ergò pœnitens debet confiteri durationem in peccatis internis; quia peccata hæc per se non indicant suam durationem. Item confitenda duratio habitûs aut occasionis peccati, negligentiæ restituendi alienum, etc.

In peccatis externis extraordinaria duratio non est adeò frequens, si peccata inter impudicos excipias, et comessationes.

SECTIO II.

De morali distinctione peccatorum quoàd numerum.

187. Tot sunt numero peccata quot sunt physicè distincta. Sic enim omnia numerantur.

Tot sunt itidem in eodem actu quot sunt eorum in eo species; in iis enim quæ specie distinguuntur, dici nequit unum esse aliud.

Sed si agatur de uno peccato pluribus æquivalente quoàd numerum solum, aut de pluribus actibus unum tantummodò peccatum constituentibus, sint

PRINCIPIUM I.

188. Tot sunt numero peccata quot sunt determinationes moraliter distinctæ voluntatis circà objectum malum, etiam idem.

Determinationes autem voluntatis moraliter distinctæ sunt, quandò voluntas moraliter cessat à prosecutione objecti mali, et eam iterat. Cessat verò sic :

1° Per voluntatem formaliter vel virtualiter contràriam, nolitionem nempè, displicentiam.

2° Voluntariè se ad alia, quamvis brevi tempore, convertendo (*a*).

Si verò, sine interruptione extraordinariâ voluntas perseveret in decursu actionum ad peccatum idem tendentium, unum solùm peccatum committitur, sed eò gravius quò magis duravit et sæpiùs renovata est mala voluntas.

De hoc ergo, sicut et de determinationum voluntatis numero antè actum, interrogandi sunt pœnitentes.

Hinc peccata merè interna faciliùs quàm externa multiplicantur.

Censentur item multiplicari peccata quandò voluntati, non cessanti, nova adveniunt motiva eam efficaciter pulsantia.

(*a*) Ut si quis delectans se in cogitatione rei malæ aut in visu mulieris voluntariè se distrahat ad alia et iterùm cogitet vel aspiciat culpabiliter. Imò non desunt qui probabiliter putent omnem etiam involuntariam et brevem cessationem multiplicare peccata interna. Ast sive tunc numerus, sive solùm gravitas augeatur, sufficit declarare durationem, si excedat ordinariam, et interruptionem notabilem, si quæ fuerit. *Theol. Pictav.* Declarandus numerus. *P. Gab. Ant.*

Nota : Plures addunt tertium casum, cùm nempè quis etiam naturaliter, ut per somnum aût oblivionem, cessat à prosecutione mali. Quod verum existimarem, si agatur de actibus merè internis, qui in voluntate consummantur, ut invidia; sed non de actibus internis qui efficaciter tendunt ad opus unum externum, nisi sit adeò longum inter actus illos intervallum, unius, v. g., aut alterius diei, ut nulla sit ampliùs inter eos connexio.

Hi casus difficilè deciduntur. Saltem peccatum, si unum sit, gravius est.

PRINCIPIUM II.

189. Peccata multiplicantur quandò actus peccaminosi sunt disparati, et si in unum coeant, utpotè ex eâdem voluntate manantes.

Actus autem sunt disparati, cùm non tendunt ad eumdem actum consummandum.

Secùs, si ad eumdem tendant (*a*.)

(*a*) Ergò duæ fornicationes successivæ, licèt ex eâdem voluntate procedentes, duo sunt peccata.

Item ab opere malo numericè distinguuntur actus prævii qui nōn fiunt ex intentione operis, etsi opus, v. g., fornicatio sequatur. Si autem fiant ex intentione operis, non sunt peccata distincta, et sufficienter in ipso opere declarantur in confessione, modò non fuerit interruptio notabilis. Ità communissimè. Secùs sentit P. Gab. Ant. Debent declarari generatìm, inquit, quia, ut ait D. Antoninus, *peccatum tantò gravius est quantò plura concurrunt*. Sed praxis est contraria. Aliud dicendum videtur de actibus qui actum principalem subsequuntur; quia cùm non tendant ad modò peractum opus, vel fiunt ob seipsos, vel tendunt ad novum opus.

Circà cogitationem morosam subsequentem statìm opus, v. g., fornicationem, magis dissident an novum peccatum sit. Affirmant plures. Negant alii, si sit mera complacentia, quia est effectus naturalis peccati. Si sit moralis interruptio, est novum peccatum. Si è contrà, videtur solùm circumstantia aggravans notabiliter, si consultò longiùs duret. (*Vide* 66 sub finem).

Item si adjunctæ sint circumstantiæ extraordinariæ per se malæ, vel mora intercesserit notabilis; declarandæ sunt.

PRINCIPIUM III (*a*).

190. Multiplicantur tandem peccata, quandò eorum objecta, moraliter distincta, multa sunt, etiamsi unica sit voluntatis determinatio, quæ tunc censetur multiplex.

Porrò objecta numero morali distincta censentur, quandò in esse moris sunt ità diversa ac disparata, ut non se habeant per modum unius, adeò ut unum, seorsim sumptum, completum et perfectum intelligatur.

Vel, si velis : quandò non coalescunt in unum.

Si velis adhuc : Cùm unum non est pars alterius, sive quia non sunt partes in unum aliquod intrantes, sive quia non ordinantur ad eumdem finem et idem opus consummandum (*b*).

Nota 1°. Populus rudior non est cum tantâ anxietate instruendus circa numericam peccatorum distinctionem, sed tamen non vagè nec segniter. Sufficit ut peccata declarentur qualiter facta sunt, et de cæteris confessarius, si judicet necessarium, ulteriùs inquiret.

Sed nec sit ipse scrupulosior, nec ad matheseos apices numerum investiget, quandò eorumdem peccatorum magnus est, præsertim si sint contrà castitatem.

2°. Communiter major est malitia in duobus peccatis quàm in uno per idem tempus continuato, quia ordinariè major est deliberatio.

3°. Sunt peccata cum aliis connexa, v. g., peccatum superbiæ cum invidiâ; fornicationis cum peccato quo impeditur conceptio; furti cum iteratis ejusdem desideriis; ebrietatis in popinâ cum provocatione aliorum ad ebrietatem; iræ cum blasphemiâ, improperiis et imprecationibus; avaritiæ cum transgressione præcepti eleemosynæ, etc. Undè qui unum solum declarant, sæpè sunt de annexo interrogandi.

(a) Sunt qui tertium hoc principium non admittunt, et habent multiplicationem objectorum peccati ut circumstantiam solùm notabiliter aggravantem. In praxi res ad idem reducitur, nisi fortè pœna aliqua peccato annexa sit.

(b) Hinc 1° qui de familiâ duodecim constante detrahit, item qui hanc odit, duodecim detractionis vel odii peccata committit. Juxtà aliquos tamen unum solum gravius peccatum committitur tunc, quia familia, monasterium, etc., in unum coalescit, sicut unicum furti peccatum facit qui unico actu alicui aufert pecuniam et vestes. Sed paritas ibi non est. Attendendum enim ad pluritatem jurium quæ violantur.

Hinc 2° uxoratus cum uxoratâ duo adulteria committit; duas in corde fornicationes, qui de duabus fornicationibus, etiam cum eâdem, morosè delectatur; tot sacrilegia sacerdos, quot in statu peccati mortalis sacramenta conficit aut ministrat; duo, qui unicâ determinatione statuit non servare duo jejunia; unicum verò, sed quadraginta æquivalens, si statueret non servare Quadragesimam, quia jejunium quadragesimale per modum unius tunc spectatur.

Hinc 3° pollutio patrata ex intentione copulæ, duplex peccatum est, etiam numero distinctum, quia pollutio ex se non ordinatur ad copulam.

Hinc 4° declarandus in confessione numerus personarum eodem actu scandalisatarum, mulierum eodem desiderio concupitarum. *Varii.*

Censent tamen multi eum qui uno continuato impetu venereo multotiès se tangit, aut impudicè agit cum puellâ, eam sæpè, etsi aliquâ cum interruptione tangendo, [186, b] etc; et eum qui ex unico iræ impetu pluries percutit, pluries blasphemat (modò non de pluribus sanctis) unum committere peccatum, quia hæc non sunt actiones totales non *unibiles*, sicut repetita pollutio, fornicatio. Sufficit proindè hæc confiteri sic : *semel*, etc., declarando numerum, si sit magnus, aut saltem durationem talium actuum.

Qui alium convitiis diversi generis afficit, vocando furem, etc., juxtà Collet plura facit peccata. Unicum juxtà multos, quia unus est ordinariè effectus, alium nempè contristari; quod ultimum verum Billuart existimat, si convicia habeantur ut falsa et irati animi effectus, ut sæpè inter mulierculas. Si autem ut vera habeantur tam ab aggrediente quàm ab offenso et circumstantibus, ità ut credantur verè imputari, totidem sunt peccata. Mihi videntur distincta tunc in intentione conviciantis; saltem gravior est in hâc intentione injuria.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM PECCATI SPECIEBUS.

SECTIO I.

De peccato omissionis et commissionis.

191. Peccata omissionis et commissionis non differunt inter se specificè ratione suî.

Sed differre possunt ob rationem specie diversam, ob quàm prohibentur etiam eodem præcepto. Sic defectus amoris Dei et ejus odium.

Aliundè major est in commissionis quàm in omissionis peccato malitia.

Ergò hæc peccata in confessione distinguenda.

Peccata omissionis committi censentur, quandò liberè et scienter causa omissionis ponitur (*a*)

Sed non censentur consummata exteriùs, pœnæque, si quæ sint, non incurruntur, nisi tempore quo actus omissus ponendus esset.

(*a*) Liberè et scienter causam omissionis ponere censetur quis, quandò humano modo potuit hoc prævidere, ut quandò præceptum proximè instat; quandò per se aut plerumquè omissiones ex tali causâ sequuntur; quandò videt talia sequi in aliis similis complexionis; et hoc declarandum in confessione, quamvis de facto omissio locum non habuerit.

Nota : Causâ omissionis non retractatâ, peccatum iterùm probabiliter effectivè committitur, quandò præceptum reipsâ violatur. *P. Thomas. P. Gab. Ant.*

Et hoc, juxtà eos, in confessione est declarandum : et reverà duplex fuit peccatum, imò multiplex si, etc.

---

192. Nota : Actus de se bonus aut indifferens, qui est finis, causa, aut occasio proxima peccati omissionis, non habet malitiam distinctam ab ipsius omissionis malitiâ, nec est consequenter in confessione declarandus.

Secus si actus ille propriam jam habeat malitiam; aut si quis constitueret in eo finem suum ultimum [199, 3°] (*a*).

(a) Notat hic D. Dens eum qui omittit corripere, cùm ad id tenetur ex justitiâ, tot facere peccata specie distincta quot facit non correptus; quia effectus communicat tunc causæ suam malitiam; unum verò, sed eò gravius quò plura facit non correptus, si solùm ex charitate fieri debuerit correctio.

SECTIO II.

De peccato mortali et veniali.

193. Peccatum mortale est plenè deliberata transgressio legis graviter obligantis, in iis in quibus graviter obligat. Veniale verò est quæcumque alia formalis transgressio, etiam non plenè deliberata, legis quovis modo obligantis.

ARTICULUS I.

De peccato mortali.

194. Apud quosdam peccatum mortale dicitur *ex toto genere suo*, cùm materia legis quæ violatur semper gravis est, ità ut veniale esse nequeat, nisi ex defectu sufficientis deliberationis, seu ut aiunt, ex imperfectione actûs. Sed plerique tale peccatum non denotant, nisi dicendo quòd non admittat levitatem materiæ (a).

Aliquandò dicitur simpliciter mortale ex *genere suo*, scilicet cùm mortale est in materiâ gravi et veniale in materiâ levi, seu quandò, remanente eadem specie, et sine ulla circumstantia illam mutante, potest pervenire ad malitiam mortalem.

Aliquandò tandem mortale dicitur *ex circumstantiis*, cùm manens in propria specie non potest esse mortale, sed mortale est propter adjunctam alterius speciei circumstantiam. Coincidit cum veniali ex genere suo.

(a) In genere non datur levitas materiæ à mortali excusans in peccatis in quibus, non obstante levitate materiæ apparente, reperitur integra irreverentia divinæ majestatis, et gravis læsio charitatis Dei, sui aut proximi, ut ferè in omnibus quæ prohibentur primo et secundo Decalogi præcepto, et generatim loquendo, quæ sunt contrà sextum et nonum.

Sed et sunt præcepta Ecclesiæ, quorum violatio materiæ levitatem non admittit, ut notatur suo loco.

195. Ad peccatum mortale requiritur, præter gravitatem materiæ, plena mentis deliberatio quæ supponit perfectam cognitionem et plenum voluntatis consensum, in sensu anteà exposito [171].

Sed consensus potest esse plenus [179], etsi indirectus solùm aut inefficax [173].

Item sufficiunt ad peccatum mortale consensus aut desiderium conditionata, cùm scilicet conditio non aufert gravem ab actu malitiam : v. g., inebriarer, si infernus non esset, si Deus non prohiberet, supposito tamen quod similes volitiones significent actualem affectum. Si enim sint solùm enunciativæ propensionis ad actum malum, non indicant desiderium nec consensum.

Conditio autem non aufert malitiam, quandò non est auferibilis, et generaliter semperque, quandò objectum, non obstante conditione, manet inordinatum, ut in rebus jure naturali vetitis, quæ in nullâ circumstantiâ licent. Imò gravis est culpa optare quòd Deus ea non prohibuerit.

Secùs in rebus juris positivi : v. g., hodiè carnes comederem, si jejunium non esset; aut in rebus juris naturæ, sed licitis in aliquâ circumstantiâ, ut : talem ducerem, imò maritaliter cognoscerem, si non essem sacerdos. Sed hæc et similia semper vana et aliquando plena periculi delectandi morosè de re actualiter illicitâ, et forsan consentiendi absolutè (a).

(a) Volitiones istæ : *vellem inebriari*, etc., si liceret, non inducunt, inquit Billuart (et ità etiam Collet) peccatum lethalis ebrietatis, etc., si taliter volens, non vellit actu, sed vellet tantùm si liceret; quia hoc nihil aliud exprimit quàm cogitationem de voluntate non quæ sit, sed quæ esset, si ebrietas, etc. purificaretur à suâ malitiâ, à quâ cùm non possit purificari, eam de facto neque vult neque appetit. Ergò consensus in illam cogitationem non est malus. Sed si hæc vera sint metaphysicè, valdè timendum ne in praxi adsit desiderium vel affectus ad rem intrinsecè malam, et ne sic cogitando cupiatur rem esse licitam, quod malum esset gravius ipsâ re.

---

196. In dubio an consensus fuerit plenus, judicandum ex sequentibus regulis :

1° Præsumendum in favorem timoratorum qui occasio-

nem peccato non dederunt, quique tentationibus fatigati nullum tamen actum exteriorem malum admiserunt.

Contra verò eos qui facilè mortalia admittunt, identidem tentationibus locum dant, segnes sunt in iis repellendis, et in actus externos, non raro saltem, labuntur.

Horum ratio est quòd judicetur ex communiter contingentibus.

2° Qui dubitat an dormiens, an vigilans fuerit, judicandus est non satis advertisse nec plenè consensisse, præsertìm si horreat quæ fecit, nec vigilans ea operetur. Qui enim vigilat, sàt ordinariè sentit se vigilare.

3° In motibus internis sæpè excusat inadvertentia [179, *a*]. Imò sola eorum perseverantia, etiam post advertentiam, non indicat sufficienter plenum consensum, saltem si illa perseverantia brevis sit, vel si longa, displiceat voluntati conanti, etc., quia motibus internis despoticè non imperat voluntas [181]. Tunc potiùs signum est evidens non consensûs.

Aliud est de perseverantiâ motûs externi membrorum, quibus voluntas imperat despoticè. Attamen, si venerei, sæpè impediri nequeunt (*a*).

4° Qui loquitur, tangit, videt, non fortuitò et obiter, sed iterùm circà idem objectum et eodem tempore, tutiùs, sæpissimè saltem, præsumitur consensisse (*b*).

Sed cùm hæ regulæ deficere possint, in dubio res declaranda in confessione sicut noscitur.

(*a*) Imò motus alii membrorum possunt continuare instanti physico post advertentiam, et contrà voluntatem, quia impressio semel data nervis, non statìm physicè cessat. Sic ambulans aliquandò cadit in foveam quam videt, faciendo adhùc unum aut alterum passum.

(*b*) Addunt plures quintam regulam, facilitatem nempè quam dubitans an plenè consenserit, habuit exequendi exteriùs peccatum. A fortiori si statìm potuit facere et illud totis viribus respuerit: quia affectus non ità facilè mutatur, aut saltem mutatio facilè advertitur.

Sed hæc regula, saltem quoàd primum membrum, non videtur omninò tuta. Aliquandò enim qui plenè consenserunt, statìm fortiter resipiscunt, et ideò non exequuntur. Illa amaritudo, in non scrupulosis aut saltem non valdè timoratis, sæpè potius est signum consensûs. Videndum insuper an non pudore, timore humano, aut aliâ simili causâ à peccato abstinuerint.

ARTICULUS II.

De peccato veniali.

197. Peccatum in sensu triplici dicitur et est veniale.

1° *Per se*, seu ex *specie et objecto*, vel *ex toto genere suo*, quando scilicet manens in suâ specie, nunquàm potest esse mortale, ut mendacium jocosum (*a*).

2° Per accidens, quando actus peccaminosus est mortalis ex objecto, sed fit venialis ex defectu plenæ deliberationis.

3° Ex parvitate materiæ, ut furtum assis (*b*).

(*a*) Ordinariè per se levia sunt quæ opponuntur liberalitati, ut prodigalitas et tenacitas : modestiæ, ut nimia cura aut nimius neglectus in vestitu : eutrapeliæ, ut excessus in lusu : studiositati, ut otium, aut nimia aviditas sciendi : gratitudini, etc. *P. Ant. à Goritiâ*.

Mortaliter peccaret qui sibi proponeret omnia venialia occurrentia committere, aut ad hoc esset paratus; quia adesset tunc periculum mortaliter peccandi. *Bailly*.

Idem varii dicunt de religioso statuente vitare solùm mortalia : quia tenetur sub gravi tendere ad perfectionem. Adde venialia disponere ad mortale.

(*b*) Auctores passìm veniale *ex genere suo toto* vocant peccatum veniale quod manens in suâ specie seù nullâ adjectâ circumstantiâ graviter malâ, semper veniale est. Veniale ergò ex parvitate materiæ vocare deberent, simpliciter *veniale ex genere suo*. Sed communi divisione utemur, quoties agetur de peccato veniali.

---

198. Peccatum veniale, sive *per se*, sive *ratione levitatis materiæ*, mortale fieri potest multipliciter per accidens, seu adveniente circumstantiâ graviter malâ.

1° Ratione finis mortaliter mali, ut mendacium jocosum intuitu adulterii.

2° Ratione conscientiæ erroneæ.

3° Ratione dispositionis actualis peccantis, qui nempè peccatum æquè vellet facere si foret mortale, sicque in illo constituere dicitur finem suum ultimum.

4° Ratione contemptûs formalis legislatoris aut rei præceptæ, ut talium, etsi ageretur de simplici consilio evangelico.

Formalis est aútem contemptus cùm quis positivè, directè et expressè minoris æstimat rem aut personam quam scit æstimandam, et quam exigunt ejus meritum et dignitas.

Secùs si præcisè postponat alteri, non comparando, et præferre non intendendo. Iste enim contemptus in omni peccato reperitur.

Secùs adhùc si legislator contemnatur præcisè quia habet vitia et defectus.

Secùs tandem si res præcepta contemnatur præcisè quia parva.

Sed notandum cum D. Thomâ frequentiam peccati inducere ad contemptum (*a*).

5° Ratione periculi proximi peccandi mortaliter, desiderio, aspectu, etc., ut non raro pluribus evenit in vanis, præcipuè cum amasio aut amasiâ, conversationibus.

6° Ratione gravis scandali aut damni.

7° Ratione materiarum coalitarum (*b*).

(*a*) Alii, Cajetanus, Sylvius, Billuart duplicem contemptum formalem distinguunt, unum perfectum, quandò quis renuit in toto subjici superiori. Mortalis hic contemptus, inquiunt, quia tota contemnitur superioritas: alterum imperfectum, quandò quis renuit subjici superiori in aliquâ re tantùm. Si res sit gravis, contemptus mortalis est: si levis, levis, nisi contemptus sit de Deò aut ejus præcepto, quia tunc contemptus esset blasphemia. Horum theologorum distinctio non est contrà nostrum principium.

(*b*) Ex morali hominum æstimatione potiùs quàm ex regulis, determinari debet undè plures materiæ coalescant. Pro regulâ tamen allegatur id fieri, dùm plures illæ materiæ ad idem numero præceptum unamque præcepti transgressionem pertinent. V. g., plures parvæ materiæ furti coalescunt in ordine ad constituendum peccatum grave, 1° quandò auferuntur ex intentione perveniendi ad materiam gravem, ut faciunt mercatores ponderibus non æquis utentes. 2° Quandò parvæ materiæ, non ex hâc intentione ablatæ, tandem complentur in genere materiæ gravis, modò, ut mox dicetur, moraliter uniantur. In priori casu affectivè, in posteriori effectivè peccatur mortaliter.

Idem dicendum de eo qui eodem die jejunii pluries quid leve comedit, eodem die festo plura levia opera servilia facit.

E contrà materiæ parvæ non coalescunt quandò non pertinent ad idem numero præceptum.

Vel ad unum quidem numero, sed virtualiter multiplicatum, ità ut faciat onus diei, ut quandò singulis diebus Quadragesimæ leve quid extrà prandium et cœnulam comeditur.

Vel tandem quandò non pertinent ad unam moraliter ejusdem præcepti transgressionem, cùm nempè ob distantiam, aut inculpabilem ad priora inadvertentiam, moraliter non uniuntur.

Si tamen superior (idem dic de vovente) intendisset ut materiæ unirentur, huic regulæ fieret exceptio. Sic plura parva à confessario in eâdem confessione pro pœnitentiâ sacramentali imposita, in unam coalescunt. Sic etiam diversæ parvæ materiæ voto promissæ, ex fine gravem satisfactionem implendi.

COROLLARIUM.

199. Cum ergo pœnitens confitetur actionem vel omissionem peccaminosam, attendat confessarius,

1° Ad naturam actûs, an admittat, vel non, levitatem materiæ;

2° Ad hujus materiæ gravitatem vel levitatem tàm ex parte objecti quàm ex parte finis et circumstantiarum;

3° An factus cum perfectâ deliberatione, an ex malitiâ, infirmitate aut ignorantiâ.

Cæterùm non ex sensu nostro et ratiocinationibus judicandum peccatum esse mortale vel solùm veniale, sed ex naturâ et tenore legis [124];

Ex scripturis, ut si dicant talia patrantes esse abominabiles, dignos morte, regnum Dei non consecuturos;

Ex definitionibus Ecclesiæ;

Ex sententiâ moraliter unanimi Patrum, Episcoporum, Theologorum; quia jure præsumitur Deum Ecclesiam in re tanti momenti non deserere, neque permittere ut in animarum perniciem errore communi decipiatur;

Ex praxi sæpè et suasione fidelium;

Ex rectâ ratione judicante aliquod peccatum multùm vel parùm opponi virtutibus necessariis ad rectè ordinandos homines ad Deum, seipsos et proximum.

Sed hæc sæpè deficiunt; undè sæpè non nisi probabiliùs, aliquandò nullatenùs, præsertìm in casu particulari, de gravitate vel levitate peccati judicari potest.

In dubio, agendum sicut si peccatum esset mortale.

APPENDIX

DE DELECTATIONE MOROSA.

200. Delectatio morosa, sic dicta, non à morâ temporis, sed à morâ voluntatis, est actus mentis, sibi in malo com-

placentis, vel displicentis in bono, cogitatis et repræsentatis ut præsentibus, sine ullo desiderio ullâque intentione ulteriori.

Triplici modo potest quis, cogitando, de re malâ delectari.

1° Delectando, non de ipsâ re, sed de ejus cognitione.

2° Delectando solùm de modo quo res peracta sit, aut peragi posset.

3° Delectando de ipsâ re malâ, delectatione quæ affectum ad eam moveat, alliciat aut supponat,

Vel tristando de actu virtutis, non ut difficili, sed ut actu virtutis.

Duo primi modi non sunt per se peccaminosi; sed tales esse possunt ratione periculi rei malæ consentiendi vel per simplicem affectum, qui non rarò comitatur; aut ratione curiositatis (*a*).

Ast tertius modus est peccatum ex genere suo mortale (*b*) quod speciem sumit ab objecto, in confessione consequenter declarando (*c*).

Et sicut suppositio quòd res licita sit [195], non auferret à re malitiam, si sit intrinseca, ità delectationem licitam non redderet suppositio quòd, v. g., per vim aut ignorantiam fieret res de quâ habetur delectatio (*d*).

Licet tamen, per se loquendo, gaudere de effectu bono ex malo resultante, modò non de ipso malo, nec adsit periculum de illo gaudendi

Item liceret gaudere de circumstantiâ bonâ quæ malum comitata esset (*e*).

(*a*) Ergò 1°, non peccat confessarius, medicus, etc., delectando se de acquisitâ præcisè ob suum finem cognitione rerum turpium, nisi ipsa cogitatio rei cujus notitia delectat, mala sit, v. g., proximo injuriosa, ut judicium temerarium.

Si autem ob curiositatem solam quis delectet de acquisitione cognitionis rei malæ, erit peccatum veniale; sed hæc curiositas in obscœnis potest esse mortalis ratione periculi, et quot, eheu! in illâ fontem repererunt tentationum quibus succubuerunt. Aliundè difficilè tunc mera curiositas ab affectu separatur.

Ergò 2°, non peccat qui delectatur præcisè de modo raro, insolito, novo, mirabili, ridiculo, comico, quo res mala peracta est, quamvis ipsa displi-

ceat. Sic placent aspectus et lectiones bellorum, narrationes fraudum et industriæ quorumdam latronum. Sed adhùc facilis hìc, saltem in obscœnis, transitus à delectatione de modo ad delectationem de ipså re. Undè magno periculo sese exponunt qui inhonestis comœdiis assistunt ob artificium. Aliundè, inquit Billuart, censentur cum cæteris interpretativè consentire repræsentationi obscœnæ.

Idem dic (præter scandalum) de delectatione habitå in narratione vel auditione modi quo stuprator aut adulter decepit, etc.

Idem de delectatione in visu contemplativo artificii statuæ aut picturæ nudæ; in lectione carminis aut cantilenæ turpis; in auditione artis jocosæ turpiloquii; in amplexu, etc. Sæpè hæc mortalia sunt, sæpiùsque talia præsumi possunt, si motivum delectationis sit res vana. Nec excipienda sæpè inania de usu et debito matrimonii, de occultis corporis partibus, colloquia.

Sed cùm de his difficilè non rarò judicetur, signa sequentia passìm tradunt delectationis de re ipså malå, non præcisè de ejus cognitione aut cogitatione.

1° Si delectans non reflectat suprà cogitationem, seu non cogitet se cogitare.

2° Si non ex bono, sed pravo vel vano fine de re malå cogitet, v. g., si turpis affectus vel lectio vana causa sint quòd aliquis in re malå delectetur, aut moveatur ad permanendum in illå cogitatione. Faciliùs tamen à delectatione de re malå excusarem eum qui ex vano quàm qui ex pravo fine agit, si alteruter foret excusabilis.

V. g., iterùm, si casus ad luxuriam pertinentes curiosiùs præ cæteris perquirantur in confessione, minutissima, non ex scrupulo, perscrutando; vel si mulierum lubentiùs voluntariè quàm virorum confessiones excipiantur.

3° Si delectatio talis sit, qualis percipitur ex ipså re turpi dùm præsens est, putà cum simili commotione appetitùs.

4° Si delectatio major sit in re turpi quàm in honestå. Sed notandum credo illam majorem delectationem posse non esse in voluntate, sed solùm in parte sensitivå cordis, et involuntariam proindè.

6° Si frequentiùs delectatio ingerat se et admittatur; quia hujusmodi frequentia cogitationis, absque necessitate vel utilitate, videtur oriri ex pravå dispositione affectùs ad res ipsas. Supponitur hæc non esse meras tentationes; in quo casu et in dubio an quis consenserit hærendo instantaneè et obiter cogitationi, vide [196].

Quoàd delectationem de modo et artificio, allucinantur sæpissimè qui de eo solùm, non de ipså re malå delectatos se existimant; cùm nimirùm modus aut artificium in aliis rebus eos minùs afficiat et delectet.

(*b*) Hinc mortaliter peccat conjugatus delectando etiam spiritualiter solùm de copulå cum tali quæ non est sua; inimicus delectando de morte inimici aut quovis ejus malo gravi cogitato ut tali, aut tristando saltem multùm, ex odio vel invidiå, de illius notabili bono [211, *b*].

Imò, inquit Collet, multò probabilior est sententia eorum qui ut mortalem habent in viduo aut sponso delectationem morosam de præteritå aut futurå copulå, quia delectatio non est de re præteritå aut futurå ut tali aut possibili, sed de re ut præsente, quæ, ut præsens, est illicita tanquàm carnaliter delectabilis, et per se apta ad excitandam corporis commotionem, et initium quoddam peccati carnalis.

Secùs si carnaliter non delectetur, sed secundùm rationem, gaudens nimirùm quòd exercuerit vel exerciturus sit actum conjugalem, quia tunc de re

licitâ. Imò bona fides posset tunc etiam à veniali excusare, sed cavendum periculum.

(c) Hoc fatentur omnes. Sed sub quo respectu delectatio morosa speciem sumat ab objecto non conveniunt. Alii communiùs, post Sylvium, volunt delectationem morosam speciem sumere ab objecto quale est cum suis qualitatibus, ita ut qui delectatur cogitando de copulâ cum uxoratâ, religiosâ, consanguineâ, quamvis in mente abstrahat ab his circumstantiis, adulterii, sacrilegii, incestùs fiat in affectu reus, sicut reus foret horum criminum si talem copulam desideraret, eâdem abstractione factâ. Ac proindè juxtà hos theologos, hæ circumstantiæ et similes, nisi ignoratæ invincibiliter sint, declarandæ sunt in confessione vel inquirendæ à confessariis, sicut circumstantiæ desideriorum, aspectuum, actuum.

Aliis verò, post Vasquez, probabile videtur delectationem morosam speciem non sumere ab objecto externo, seu ab objecto quale est; sed solùm ab objecto quale ab intellectu repræsentatur; ità ut non contrahat totam malitiam objecti, sed illam tantùm quam intellectus repræsentat ut delectationis motivum; quia, inquiunt, magna est differentia inter desiderium et delectationem morosam; desiderium enim est ex se efficax, tendens ad actûs externi executionem et respiciens proindè objectum quale est exteriùs: è contrà delectatio morosa est solùm actus inefficax, non tendens in objectum ut executioni mandandum, sed solùm sicut per cogitationem fit veluti præsens. Porrò intellectus potest separare unam malitiam ab alterâ, ità ut sub unâ solùm res cogitata motivum sit delectationis.

Gravia sunt hæc momenta, et videntur mihi ferè peremptoria; sed cùm auctores qui ea afferunt, inter quos Theol. Pict., sententiam suam non tradant nisi ut probabilem aut probabiliorem, priorque sententia sit communior nec levibus innitatur motivis, ut tutior est in praxi sequenda. Aliundè complacentia mihi videtur esse inchoatum desiderium.

Nota : Delectatio sæpè versatur solùm circà personam indeterminatam, mulierem, v. g., in genere, cùm habetur in materiâ luxuriæ, ac proindè non contrahit malitiam circumstantiæ personæ.

(d) V. g., quòd stuprum per vim patiatur; quòd conjugatus aliam pro suâ cognoscat inculpatè.

(e) Ut de allevatione naturæ et tentationum imminutione ex pollutione nocturnâ; de hæreditate ex morte patris.

Imò multi cum D. Antonino et Salmanticensibus tenent appeti posse affectu simplici et inefficaci pollutionem, aut gaudere de ipsâ ob bonum effectum. Ipse Collet non statim de mortali argueret eum qui pollutionem desideraret in somno, ut allevationem naturæ, quia in re adeò controversâ, potest esse ignorantia invincibilis.

Sed aliud est de homicidio, etc., involuntariè commisso. Non enim merè naturale est, ut pollutio; sed de se, sicut alii similes actus, postulat fieri liberè.

Periculosa in praxi videtur D. Antonini sententia; præterquàm quòd enim à non paucis rejiciatur, facilè potest se immiscere huic delectationi pravæ voluptatis affectus. Aliud videtur desiderare pollutionem ob bonum effectum, et aliud de bono effectu ex eâ eveniente gaudere.

Ex hucusque dictis rectè videtur ab aliis contrà alios concludi illicitum esse gaudere de transgressione inculpabili legis positivæ, jejunii, v. g., quia de re materialiter, etsi jure positivo, malâ, gaudere non licet, nisi à prohibitione abstrahatur [195].

SECTIO III.

De peccatis ignorantiæ, infirmitatis et malitiæ.

201. IGNORANTIA, præter alias divisiones, est vel speculativa, ut ignorantia mysteriorum fidei, vel practica, ut ignorantia præceptorum Ecclesiæ hìc et nunc implendorum [178].

Ignorantia est peccatum speciale, quandò ignorantur ea quorum scientia præcipitur ratione suî.

Si non ratione suî, sed solùm in ordine ad praxim, seu ad directionem operationum nostrarum hìc et nunc, ignorantia non est peccatum distinctum à peccato quod ex eâ committitur, et à peccatis quibus exponit.

Ignorantia vincibilis peccatum est eò gravius quò gravius est præceptum ignoratum, et major negligentia ediscendi.

Peccatum istud continuatur et multiplicatur sicut peccata omissionis quæ non sunt affixa certis temporibus, sed continuant, ità ut quoties ex ignorantiâ vincibili actio vel omissio mala deliberatè ponitur, toties fiat novum numero peccatum.

---

202. Peccatum ex infirmitate illud est quod fit ex vehementi passionis impetu, libertatis tamen usum relinquente.

Gravius est peccato ignorantiæ, quia passio auget voluntarium, etsi minuat liberum.

---

203. Peccatum ex malitiâ illud est quod nec ex ignorantiâ aut passione, sed ex merâ voluntatis electione procedit.

Cæteris paribus, aliis peccatis gravius est.

Nota: Per quamdam accommodationem peccata ex infirmitate dicuntur esse contrà Deum Patrem, cui potentia;

Peccata ex ignorantiâ, contrà Filium, cui sapientia;

Et peccata ex malitiâ, contrà Spiritum sanctum, cui bonitas appropriatur: et ista

Sex enumerantur, per quæ repelluntur aut impugnantur specialia gratiæ dona quæ sunt divini amoris effectus.

Et quatuor quæ in scripturis dicuntur in cœlum clamantia, ob eorum enormitatem.

Sex priora sunt : præsumptio de divinâ misericordiâ et impunitate peccati. Desperatio. Impugnatio agnitæ veritatis. Gratiæ fraternæ invidentia. Obstinatio in peccatis, Impœnitentia finalis [223, *a*].

Quatuor posteriora sunt : homicidium voluntarium. Sodomia. Oppressio viduarum, pupillorum et pauperum. Fraudatio mercedis operariorum.

SECTIO IV.

De peccatis capitalibus.

204. Sic dicuntur ea ex quibus, velut ex fontibus, alia fluunt, vel sub quibus, tanquàm sub generibus suis continentur.

Dicuntur et mortalia, non præcisè secundùm se, sed causaliter, et quia talia sunt ex genere suo, quamvis sæpissimè levia sint, si luxuriam excipias.

Sed præter malitiam sibi propriam, aliam sæpè sumunt, non rarò mortalem, ex circumstantiis, et præcipuè quando iis vitiis deditus in ipsis collocat finem suum ultimum. Undè in sequentibus articulis [198]

Annotare sufficiet intrinsecam cujuslibet peccati capitalis malitiam, et remedia contraria indicare.

ARTICULUS I.

De superbiâ.

205. Superbia, peccatorum primum, maximum et periculosissimum, est amor inordinatus propriæ excellentiæ seu vitium inclinans sine meritis propriis, ad amorem perfectionis quam quis habet, vel se habere existimat, quodcumque sit hujus æstimationis objectum, divitiæ, etc.

Ex genere suo mortalis est superbia, et quidem ex toto cùm perfecta est [194]. Et talis est

1° Cùm quis putat se habere à seipso bona sive naturalia, sive supernaturalia, aut se extollendo ità se gerit quasi hoc æstimaret.

2° Cum quis æstimat se, ob sua merita habere, quod à Deo tamen venire recognoscit

Mortalis est autem ex genere suo simpliciter, cùm quis Deo, superioribus eorumque legibus subjici detractat.

Nec etiam tunc admittit levitatem materiæ si subjici detrectet, volens arbitratu suo vivere, quasi independens à Deo aut à superioribus, quasi id foret contrarium dignitati suæ.

Per se autem venialis est cùm imperfecta est, ut cùm quis plus justo se effert solùm, vel arrogat sibi quod non habet, vel aliis despectis, æstimari satagit, virtute aut scientiâ præcellere, etc.

---

206. Propinquissimæ superbiæ filiæ sunt et quidem mortales quando mater,

1° Ambitio, quæ ad honoris, dignitatis, potentiæ, etc., desiderium inclinat;

2° Præsumptio, quæ ad desiderium officiorum aut alterius cujusvis quod sit suprà vires;

3° Vana gloria, quæ ad desiderium gloriæ, seu manifestationis excellentiæ propriæ, veræ aut imaginariæ.

---

207. Filiæ vanæ gloriæ sunt septem :

Inobedientia;

Jactantia, quæ quamvis sæpè venialis, præter cæteros casus, in hoc mortalis est, si, etiam implicitè, approbationem peccati lethalis involvat, ut, si quis se jactet de vindictâ gravi, de fornicatione, etc.

Hypocrisis, quâ quis simulat se habere virtutem, aut majorem quàm habet; de quâ sicut de mendacio est ratiocinandum, cùm sit mendacium facti.

Per se ergò venialis, mortalis tamen, si includat contemptum sanctitatis, vel finem habeat graviter malum, etc.

Pertinacia, quâ quis judicio proprio confidens sententiam suam contrà veritatem cognitam vel apertam defendit.

Etsi ordinariè solùm venialis, mortalis est tamen, si veritas oppugnata ad fidem, bonos mores, pietatem spectet vel ad bonum notabile proximi.

Discordia et contentio.

Novitatum inventio.

Præsumptio, seu inordinatus appetitus exhibendi se suprà proprium talentum, vires, capacitatem.

Ordinariè venialis est; mortalis tamen, vel ex hoc solo quod fidei, vel bonis moribus adversaretur.

Curiositas, seu appetitus sciendi vana et quæ sunt suprà statum, ex se venialis est.

Ingratitudo.

Remedia superbiæ sunt suî ipsius cognitio, meditatio vanitatis eorum omnium de quibus homines gloriantur; exemplum Christi et frequentes humilitatis actus.

ARTICULUS II.

De avaritiâ.

208. Avaritia est amor inordinatus habendi.

Inordinatus esse potest ratione objecti, cùm aliena concupiscimus.

Ratione finis, si etiam justè possidenda ex malo motivo desideramus.

Et ratione modi, si nullum in acquirendo modum statuamus.

Mortalis est avaritia, cùm talia sunt, generaliter loquendo, alia vitia capitalia; sed magis nominatim cùm opponitur amori appreciativo ergà Deum, vel graviter justitiæ, aut charitati ergà seipsum vel proximum (*a*).

Sæpiùs tamen venialis ex se, cùm scilicet in hoc sistit ut amor divitiarum amori divino non præferatur, ut si propter divitias non velit avarus facere gravia contrà Deum aut proximum.

(*a*) Mortalis est in iis qui ità opes congerant, ut nullum modum statuant. *Collet*, etc.

209. Filiæ avaritiæ sunt:

Proditio, sæpè mortalis.

Fraus, item.

Fallacia; quæ potest esse mortalis, ratione finis et mediorum.

Perjurium:

Inquietudo, seu vehemens et inordinata applicatio ad acquirendas et retinendas divitias. Ex se venialis est.

Violentia;

Contrà misericordiam obduratio;

Furtum, homicidium, simonia, usura;

Neglectus divinorum.

Remedia avaritiæ sunt consideratio vanitatis divitiarum et earum periculi, erogatio eleemosynæ et liberalitas.

Nota: Prodigalitas, quæ alterum est liberalitatis extremum, ex se est venialis.

Sed mortalis sæpè ratione finis, vel damni creditoribus aut familiæ emergentis, vel ratione obligationis specialis in causas pias erogandi quod prodigaliter vanè impenditur.

In prodigalitate tamen longè aliter ratiocinandum pro quantitate ad mortale sufficiente quàm in injustitiâ, quia in prodigalitate non attenditur quantitas dati, sed in quantùm excedat quod fieri oportet.

ARTICULUS III.

De Luxuriâ.

210. Luxuria, vel luxus, designat in genere omnem superfluitatem venereorum, cibi, potûs, vestimentorum, etc.

Sed prout hìc sumitur, est appetitus vel usus inordinatus voluptatis venereæ.

Ipsius filiæ sunt ex parte intellectûs; mentis cæcitas, præcipitatio, inconsideratio et inconstantia.

Et ex parte voluntatis; amor suî inordinatus et vitæ præsentis, odium Dei et horror nimius futuri sæculi.

Remedia carnis: mortificatio, custodia sensuum, fuga otii, et occasionum luxuriæ, meditatio futuri sæculi, prompta tentationum repulsa, voluptatis sensûs acuto aliquo dolore extinctio, humilitas, et sæpissimè matrimonium citò ordinariè contractum.

Nota : In nullâ aliâ materiâ faciliùs contrahitur habitus, difficiliùsque sæpè destruitur. Ad nihil ergò magis attendere debent confessarii quàm ut sagaciter simul et prudenter nascentem venerem in adolescentibus detegant, comprimantque omni conatu et ardore zeli. Quot, eheu ! ex nimio confessariorum timore, veneri, mente et corpore, solitariè se dedunt ex ignorantiâ crassâ, aut saltem vincibili !

Vide sextum Decalogi præceptum.

ARTICULUS IV.

De Invidiâ.

211. Invidia est odium felicitatis alienæ, quatenùs habetur ut quid nobis malum;

Vel gaudium de malo alieno quatenùs habetur ut quid nobis bonum.

Invidia oritur ordinariè ex superbiâ, quia habemus bonum proximi tanquàm imminutivum excellentiæ nostræ, aut illam adæquans.

Per invidiam ergò dolemus ità de bono proximi, sive digni, sive indigni, ut illum bono illo spoliari, illudque in nos transferri desideremus saltem implicitè;

Vel de malo illius gaudemus ut bonum nostrum ampliùs non obscuretur, aut malum proprium minùs appareat.

Si invideatur proximo quia inimicus, odium est;

Si quia aut prodigus aut avarus, indignatio;

Si quia peccator aut indignus, zelus inordinatus (*a*);

Si quia potens malum facere, timor; qui potest malè fundari et esse peccatum, cùm nempè certum est malum non esse inferendum, vel non injustè; et cùm non liceret proximum bono privare ob quod nobis nocere potest, etiamsi legitima haberetur ad hoc potestas.

Si quia bonum proximi nobis deest, æmulatio est. Non est peccatum si bonum non sit nobis improportionatum, nec desideremus proximum illo spoliari aut carere, sed tantum simile nos habere absque illius detrimento, nec ex tristitiâ excitemur ad imitandas injustitias per quas alii prosperant.

Invidia mortalis est ex genere suo; sed sæpè venialis ex levitate materiæ (*b*) et imperfectione actûs.

Ejus filiæ sunt odium proximi, delectatio de illius malo, tristitiave de illius bono, susurratio, detractio.

Remedia : cogitare nos omnes fratres, invidiam esse diaboli peccatum, solique invidenti nocere.

(*a*) Dolere de bono spirituali alterius, quia eo indignus est, peccatum est mortale. *P. Gab. Ant.* Item si providentia divina arguatur. *Idem, Bailly.*

(*b*) Ut si sit de bono exiguo, ut sæpè in pueris. *Billuart. P. Thomas.* Aut si sit parvus motus. *Dens post Steyaert, Bailly, Jos. Ant.* Nam, ait D. Dens, ut cognoscatur gravitas vel levitas materiæ invidiæ, non est attendenda quantitas boni quod invidetur, quia bonum magnum potest invideri parùm, et ita peccatum esse solùm veniale.

E contrà bonum parvum potest invideri acerrimè, tunc peccatum esset mortale. Discrimen colligitur potissimùm ex effectibus, ut detractionibus aliisque injuriis.

Ast cùm invidens tristetur de bono gaudeatque de malo proximi, à gravitate objecti repetenda videtur gravitas invidiæ; graviter enim repugnat charitati quòd quis tristetur de bono gravi de quo deberet gaudere. Implicitè enim desiderat proximum illo privari. Ità meritò alii. Sed sæpè imperfectus est motus invidiæ, ut ait D. Thomas.

ARTICULUS V.

De Gulâ.

212. Gula est appetitus vel usus inordinatus alimentòrum.

Si cibi, comessatio aut crapula,

Si potûs, ebrietas appellatur.

Ebrietas mortalis est ex genere suo (*a*) et talis reapsè, cùm saltem impedit totaliter usum rationis aut ejus potestatis proxime (*b*).

Gulâ peccatur, edendo aut bibendo, ut aiunt :

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Nota : Cùm ebrietas imaginem Dei in homine deleat vel deturpet, non licet ad vitam conservandam se aut alium inebriare, nec ad id inducere, imò nec amicum ad potandum usquè ad ebrietatem. Undè mortali se exponunt provocantes ad haustus æquales (*c*).

Nota iterùm : Ebrietas gravior est in sacerdotibus, in munus exercentibus publicum, in puellis, in mulieribus.

Filiæ gulæ sunt : inepta lætitia, multi turpi-loquiumque, scurrilitas, immunditia, mentis hebetudo, vomitus et generalis officiorum rerumque domesticarum neglectus.

Remedia : praxis temperantiæ, etc.

(a) Idem dicunt multi de comessatione, mortalemque agnoscunt excessum, utpotè graviter deordinatum, cùm quis propter voluptatem ita sese cibis ingurgitat ut evomat. A fortiori si de industriâ evomat ob rursùs edendi voluptatem.

Mortalis itidem potest esse per accidens, si nimirùm graviter violetur jejunii lex, si gravis afferatur valetudini læsio, si ex eâ sequatur quòd quis non sit aptus ad functiones proprii muneris, ad quas sub gravi tenetur. Qui sine necessitate carnem edunt humanam, nisi ratione medicamenti (quia tunc ita alterata est, ut non sit ampliùs caro humana), ex communi sententiâ, peccant mortaliter. *P. Gab. Ant. Collet.*

(b) Et quidquid in contrarium dicant, vel potiùs taceant non pauci, mortalis est ebrietas cùm notabiliter perturbat usum rationis, ità ut ebrius, non possit, aut non nisi difficillimè, discernere inter licitum et illicitum, solita exequi officia ; postridiè non meminerit quid dixerit vel egerit, cùm ea facit quæ nunquàm integrâ mente faceret, aut saltem quæ facere non solet; ut si blasphemet quamvis religiosus, turpia dicat aut faciat quamvis castus, familiam perturbet quamvis lenis, jurgia proferat quamvis prudens. *Billuart. P. Gab. Ant.*

Item quandò quis strenuus potator est et monstruosè bibit; væ enim incurrit ab Isaiâ prolatum, et temperantiam enormiter lædit, etsi ob longam bibendi consuetudinem rationis usum conservet, excepto forsan breviculo momento; aut non notabiliter habeat eam perturbatam.

Attamen difficile est definire, in hoc casu præcipuè, quis præcisè excessus sit mortalis; quia quod uni enorme est, potest non esse alteri.

In praxi non sunt absolvendi tabernis frequentandis assidui, vel ob hoc quòd innumera peccata et alia mala indè resultent.

In genere mortaliter adhùc peccare censendi sunt hi epicurei practici, qui propter ventrem omnia faciunt, cibi et potûs delicias quærentes et non cogitantes ferè, nisi de edendi et bibendi voluptate. Horum enim Deus venter est. *Collet, Bailly.*

Cæterùm ad cognoscendum an homo ità ebrius fuerit ut peccaverit mortaliter, videndum est 1°, an plenè voluntariè se inebriaverit, an verò nesciens potum fore immoderatum vel inebriare potentem ; 2°, an non ebrietas provenerit ex nimio calore, nimiâ loquacitate, aliâve indispositione non prævisâ modo moraliter possibili.

(c) Disputant an liceat se inebriare sanitatis recuperandæ causâ? Probabilius est non licere, ob rationem suprà dictam.

Sed volunt plures licitum esse cooperari ad hoc ut quis se inebriet involuntariè, v. g., dando illi vinum cujus vim ignorat, vel immiscendo in vino aliquid inebrians, modò id fiat ex bono fine, v. g., ut non committat peccatum ad quod paratus est. Ast et id illicitum videtur, quia ebrietas est intrinscè mala.

esse, aut se pœnitet bonum fecisse (*a*), vel beneficium acceptum contemnit.

Quâ etiam voluntariè impugnat et deridet vel contemnit bona spiritualia, aut homines qui eum doctrinâ vel exemplis ad pietatem accendere conantur.

Mortalis est acediæ filia hæc et grande impiorum crimen.

Pusillanimitas, seu vitiosa de propriis viribus diffidentia.

Ordinariè venialis est, sed potest esse mortalis, si v. g., pusillanimis gravia à superiore injuncta respueret.

Desperatio [228].

Rancor, seu fastidium et indignatio ergà eos qui ad virtutum opera fervoremque inducunt; quod grave est ex genere suo.

Torpor, seu languor animi, quo bonum omittitur, vel fit negligenter.

Mortalis est si bonum sub gravi præceptum omittatur aut fiat modo quo præceptum notabiliter violetur.

Evagatio mentis in oratione et aliis exercitiis spiritualibus.

Potest esse mortalis; et de facto talis non rarò in orationibus de præcepto.

Remedia pigritiæ sunt: assidua tristium ipsius sequelarum meditatio, etc.

(*a*) Cupiendo, v. g., non esse christianum, in vitâ religiosâ, ad quam vocabatur, non esse professum; et hæc ob difficultatem, etc.

PRÆCEPTA DECALOGI

ET PECCATA IIS ADVERSANTIA.

217. Præcepta Decalogi à Deo data per Moïsen populo Israelitico et à Christo, excepto quod in illis cæremoniale est, renovata et perfecta, omnia legis naturalis mandata continent, vel tanquàm præsupposita, vel tanquàm conclusiones, vel tanquàm cognata et affinia.

Decalogi Ecclesiæque præcepta scire omnes debent, saltem quoàd substantiam et sensum, eaque omnia quæ, ad implenda statûs proprii munia, necessaria sunt. Undè mortaliter rei sunt qui hæc culpâ suâ ignorant (*a*).

(*a*) Et scire omnes debent modum efformandi signum crucis. *P. Gab. Ant. Dens.*

Attamen venialiter solùm peccant qui secluso contemptu et periculo præcepta transgrediendi, eorum verba et ordinem non tenent memoriter. *Collet*

PRIMUM

DECALOGI PRÆCEPTUM.

Primum Decalogi præceptum his verbis continetur : *Ego sum Dominus Deus tuus..... Non habebis deos alienos coràm me.* Cultum sibi reddi jubet Deus prohibendo ne reddatur diis alienis. Deus autem colitur præcipuè fide, spe et charitate, inquit Augustinus; sed insuper virtute religionis. Sit ergò,

CAPUT I.

DE FIDE.

218. Fides, ut actualis, est virtus theologica, quâ propter summam Dei veracitatem firmiter assentimus rebus à Deo revelatis, et ab Ecclesiâ ut talibus propositis.

Fides alia est explicita, quâ articulus aliquis in seipso;

Et alia implicita, quâ in alio tanquàm in universali, vel principali, vel in medio, figurâve creditur.

Sic qui credit quidquid Ecclesia credendum proponit, implicitè credit hierarchiam ecclesiasticam *tanquàm in universali*. Item qui credit duas in Christo naturas, credit, *tanquàm in principali* contentas, duas ejus voluntates.

Fides explicita alia est distincta perfectaque, qualis in theologis; et

Alia confusa seu minùs perfecta, qualis in rudibus qui mysteriorum modum et circumstantias ignorant, v. g., quid sit natura, persona.

SECTIO I.

De necessitate fidei.

ARTICULUS I.

De necessitate fidei internæ.

219. Omnes adulti, mentis compotes, necessitate medii et præcepti credere tenentur, fide internâ, non solùm generaliter quidquid Deus revelàvit et Ecclesia credendum proponit; sed explicitè :

1° Deum esse, et quidem auctorem gratiæ, seu elevationis hominis ad statum supernaturalem, ac proindè remuneratorem gloriæ (*a*). *Credere* enim *oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ad Heb. 11.

2° Probabiliùs saltem, sed solùm à promulgatione Evan-

gelii, mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis, seu mediationis Christi, saltem confusè pro rudioribus, et quoàd substantiam (*b*).

Undè hæc ignorans, etiam sine suâ culpâ, invalidè absolveretur.

Necessitate verò solùm præcepti, sed itidem graviter obligantis :

1° Sacramenta, ea saltem quæ tenentur omnes, et in particulari quæ quis vult recipere, ad eaque dispositiones.

2° Omnes articulos Symboli Apostolorum, saltem quoàd substantiam (*c*), seu ea quæ simpliciter et apertè significantur vocibus, ità ut eos verè teneant et intelligant, interrogatique respondere possint.

Undè qui hæc sufficienter proposita non credunt, aut voluntariè de his aliove quolibet fidei articulo dubitant, vel dubitandi periculo sese temerariè et notabiliter exponunt, audiendo, v. g., conciones hæreticas, legendo, etc., graviter delinquunt.

(*a*) Addunt omnes aut ferè omnes : et criminum vindicem; sed posse pœnitentiâ placari, hominemque justificari et immortalem esse.

Aliqui addunt : Deum esse omnium creatorem, sed fidei necessariæ in eum non obstat quòd credatur corporeus.

(*b*) Hæc communis est sententia. Sed rigidiores sunt qui inter articulos necessitate medii credendos annumerant resurrectionem, ascensionem et ultimum adventum Christi, imò quidam omnes articulos symboli.

Notat Collet quòd si quidam adulti adeò debiles ingenio sint, ut quantùmcumque nitantur, non possint fidei mysteria percipere, haberent se quantùm ad hoc ut amentes et pueri, qui sine ullo actu fidei salvantur.

(*c*) Et quidem, ut patet, idiomate noto. Sed leviter solùm peccant qui ignorant ordinem verborum et articulorum. Item si solùm veritatem minoris momenti, ut descensùs Christi ad inferos. *Theol. Pict. contrà Collet.* Vel circumstantiam Pontii Pilati in passione, tertiæve diei in resurrectione Christi. Ità passim.

Addit Theol. Pict. sciendas ab omnibus veritates quæ sunt fundamentum vitæ rectè instituendæ; animam esse liberam; omnes nasci peccato originali inquinatos, ac proindè indigere Baptismate et gratiâ Christi; Deum esse omnium, maximè bonorum animæ auctorem, eaque esse per orationem postulanda.

Imò addunt itidem aliqui teneri omnes explicitè scire et credere quæ pertinent ad cultum sanctorum, reliquiarum venerationem, indulgentiarum usum, purgatorii existentiam, modum juvandi animas in eo detentas, quibus superaddit Sylvius dogmata quæ contrà grassantes hæreses sæpiùs à pastoribus inculcantur; et Suarez, sacrificium missæ.

Qui ingenio non admodùm tenui donantur, nec salutis sunt multùm incuriosi ordinariè omnia hæc sciunt. Quoàd praxim : non puto quòd quis confessarius pœnitentes circà hæc interroget. Jàm sat difficile est prudenter investigare an sciant articulos symboli et sacramenta, cùm suspicandi locus eos hæc ignorare

---

220. Actus fidei internæ circà suprà dicta obligat ergò *per se* sub gravi

1° Infideles, hæreticos et catholicos usum rationis, moraliter loquendo, adeptos, quibus sufficienter propositæ sunt credendæ veritates fidei, et quàm primùm cogitant aut cogitare debent de obligatione eos tunc urgente, accedendi actualiter ad Deum ut finem ultimum, ita ut mora notabilis foret peccatum mortale (*a*).

Imò infideles et hæretici tenentur pro posse, inquirere an et quæ Deus revelaverit.

2° Eos qui fidem, vel per dubium voluntarium, amiserunt.

3° Omnes, identidem in vitâ (*b*) et in mortis vel probabili articulo.

Per accidens verò, cùm aliter superari non posset tentatio contrà fidem (*c*) aut aliam virtutem.

Cùm urget præceptum confitendæ fidei.

Cùm urget aliud præceptum quod sine fide impleri non potest, v. g., cùm suscipiendum est sacramentum ad quod actus fidei est dispositio necessaria (*d*).

Ast ad actum fidei non sufficit mera recitatio, sed requiritur motio voluntatis, seu complacentia quædam, ex auxilio gratiæ, ergà summam Dei veracitatem, vi cujus intellectus determinetur ad assentiendum, eâ firmitate quæ superet omnem firmitatem ex quovis actu scientifico et experimentali ortam.

(*a*) Quandiù infidelis judicat sectam suam esse verisimiliorem, et credibiliorem, aut æquè credibilem, non tenetur eam deserere, inquit P. Ant. à Goritiâ. Sed certè supponit illum infidelem assumere, quantùm debet media veritatem detegendi.

Quoàd pueros, non est scrupulosè cum iis agendum. Sæpè enim accidit mysteria fidei eis non sufficienter proponi aut eos non apprehendere obligationem gravem credendi. Undè rarò peccant contrà præceptum fidei, non statim eliciendo hujus virtutis actum. *Billuart. Dens.*

Saltem semper remanet necessitas medii circà prima mysteria, et obliga-

tio pueris ea inculcandi, ut attentè, devotè, morosè et cum reflexione actus fidei, symbolum, etc., recitent.

(b) Hic theologi multùm dissident. Alii volunt, ad vitandum in hoc puncto mortale, sufficere actum fidei elicere semel in anno. Alii eliciendum dicunt singulis mensibus. Alii in solemnitatibus præcipuis. Alii Dominicis omnibus, quia his diebus specialiter Deus colendus est. Hi tamen ut mortale non habent, unâ aut alterâ dominicâ omittere.

Forsan meliùs dicunt qui eliciendum volunt pluries in vitâ, imò in anno, nihil ampliùs determinantes.

Hic notat D. Dens non esse nimis durum actus fidei, spei et charitatis elicere; continentur enim, inquit, in oratione Dominicâ. Actus fidei in his: *Pater noster, qui es in cœlis*; et (sed magis explicitæ) in signo crucis et symbolo. Actus spei in his: *adveniat regnum tuum*. Charitatis in his: *sanctificetur nomen tuum*. Undè, pergit, qui assuescunt uti quotidiè signo crucis, recitare orationem Dominicam, symbolum, etc., affectu christiano, et non materialiter tantùm, præcepto satisfaciunt.

Attamen, curandum ut actus fidei in genere et symbolum, item actus spei et charitatis, recitentur cum magnâ devotione et attendendo ad motiva. Qui enim motivis non movetur saltem implicitè, actus illos verè non elicit.

(c) Excipe scrupulosos, qui faciliùs credunt se non posse aliter tentationes has superare, mirèque in actu fidei eliciendo cruciantur, dùm deberent simpliciter mentem ad alia convertere.

(d) Quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Sed sufficere videtur ad hunc actum fidei, ut sacramentum suscepturus intendat, ex notitiâ fidei quam de eo habet, illud suscipere. Tunc enim ipsa susceptio est actus fidei. *Billuart.*

ARTICULUS II.

De necessitate fidei externæ, seu de fidei professione.

221. Præceptum fidei externæ obligat,

1° Sub gravi *ex toto genere suo*, ad fidem nunquàm negandam,

Sive propriè, negando, v. g., factis, dictis vel rebus se esse catholicum;

Sive falsam religionem profitendo;

Sive hanc simulando, ut, si, ex præcepto tyranni, concionibus hæreticorum assistatur, vestes induantur quæ, non nationis solius, sed falsæ religionis signa sint.

Sed aliter esset, si quis, justâ de causâ, et absente scandalo, fidem occultaret præcisè; aut actiones faceret, quæ ad alium quàm falsæ religionis usum, tàm ex naturâ suâ quàm ex usu ordinarentur, manducando, v. g., carnes vetitas, ni tamen earum esus ad hæreseos protestationem foret institutus (a).

2° Sub gravi *ex genere suo*, fidem confiteri exteriùs, quoties ex confessionis omissione subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda; ut, si hinc Deus magnâ afficeretur injuriâ, magno privaretur honore, minueretur apud infideles existimatio de Deo; aut si crederetur eum, qui fidem non confitetur, fidem non habere; si vacillantes non corroborarentur vel jàm à fide alieni in errore confirmarentur (*b*).

Peccant ergò graviter qui, etiam privatim aut injustè, circà fidem, in odium religionis, à personâ publicâ, quamvis tyranno, vel judice illegitimo interrogati, tacent aut tergiversantur. Ad minus enim tunc Christum erubescunt (*c*).

Sed, seclusis indubiè hìc positis et similibus casibus, illicitè quis per confessionem publicam suppliciis se exponeret, quæ fortè non posset tolerare, et à fortiori si infideli daretur occasio peccandi, fidemve persequendi.

(*a*) Si vestes sectam à sectâ solùm secernant, juxtà multos contrà multos, non licet eas gestare, ut Romæ pileum flavum. Sed si sint primariò nationis distinctivæ, etsi per accidens, indirectè et secundariò sectam à sectâ secernant, licet gestare eas, nisi hinc detur occasio credendi negatam esse fidem, quod scandalum non excuset causa præponderans seu necessitas: v. g., non peccat contrà fidem qui ad vitandam persecutionem non defert vestem clerici aut religiosi; imò nec qui se negat clericum aut religiosum; sed mentitur.

Et licet non obedire tyranno vestes distinctas ferre jubenti ut puniat; comitari herum in templo ob obsequium civile; illud ingredi et concionem audire, curiositatis causâ, modo absit scandalum aut seductionis periculum, ut si plebeius frequenter id faceret, aut eâ die quâ sciret vel dubitaret concionem futuram esse contrà articulos in quibus hæretici à nobis dissident.

Licet et fugere tempore persecutionis exireque è carcere, nisi concaptivi confirmatore destituti, à fide recessuri prævideantur. Imò aliquandò fugere necesse est, si nimirùm periculum sit ne remanendo fides violetur, aut si ad aliorum salutem necessaria sit sui conservatio.

Nota : Non est secundùm se contrà fidem quòd ubi catholici cum hæreticis mixti, istorum comitentur funera, quia hoc merè civile est; benè verò quòd catholicus apud hæreticos pulset organa. *Dens.*

Nota iterùm : Tempore schismatis gallicani, S. P. Pius VI respondit genuflectendum coràm hostiis ab intrusis consecratis; sed ne per hoc videretur cum schismaticis immixtio, curare debebant catholici ut declinarent occursum schismaticorum cùm SS. Sacramentum deferèbant. Tomo 1, p. 335, collectionis Brevium.

Nota tandem : Jus canonicum, titulo de Judæis, vetat cum Judæis habitare,

comedere, choreas ducere et ludos, in balneo lavari, ab eis medicinam accipere, eisque officia publica committere, etc.

Ex statutis 33 et 34 tituli primi, annorum 1597 et 1702, vetitum est in diœcesi Bisuntinâ, uti famulatu hæreticorum aut eorum obsequio conductitio, filiosque in urbes aut domos hæreticorum mittere.

Imò, ex naturâ rei, hæc non licent nec similia, etiam secluso perversionis periculo, si apud acatholicos impleri nequeant religionis munera, ni causa gravis excuset.

(*b*) Addunt aliqui præceptum fidei confitendæ obligare *per se* aliquandò extrà dictos casus, tùm quia fidelis se ostendere debet catholicum, tùm quia æquum est ut corpus et lingua partem habeant in professione fidei. Ast quis christianè vivendo, vel per hoc fidem non profitetur?

(*c*) Si non à personâ publicâ interrogetur, non tenetur confiteri, nisi exigat magna utilitas aut necessitas populi, vel grave adveniat ex silentio scandalum. Respondere posset : *quid ad te?* Ità multi contra alios. Sed certè tunc fidem negaret, inquit P. Gab. Ant., qui alteri dicenti : *fidem negas*, nihil responderet.

Ast fidem non negaret, non respondendo se esse catholicum, qui non intuitu fidei, sed, v. g., ad tributum imponendum, interrogaretur. *P. Ant. à Goritiâ*, contrà Collet; ratio istius est quòd exactor in odium religionis agat.

Secùs, si silentium esset implicita negatio, ut cùm plures detenti simul interrogarentur, et aliis negantibus, aliis tacentibus, omnes dimitterentur. *Collet.*

---

222. Obligationi fidem exteriùs profitendi affinis est alia itidem gravis, non tacendi nimirùm cùm auditur aliquid contrà Deum, etc.

Item resistendi, si possibile, et quidem cum vitæ periculo, gentili vel hæretico palàm fidem irridenti, templa profananti, imagines aut reliquias conculcanti, etc., nisi prudenter judicetur, ut sæpè, eum audaciorem futurum. Tunc adest potiùs obligatio tacendi.

Tandem affinis est obligatio profitendi veritates morum coràm infidelibus aut mundanis hominibus, quandò honor Christi aut ædificatio proximi id exigit.

Undè qui ex contemptûs timore malum faciunt, erubescunt Christum, si non ut doctorem fidei, saltem ut morum præceptorem.

SECTIO II.

De vitiis fidei oppositis.

223. Vitia hæc, quæ *ex toto genere suo* mortalia sunt (*a*), sub infidelitate, seu carentiâ fidei, comprehenduntur.

Infidelitas alia negativa est, cùm scilicet nihil de fide auditum est, nec audiri potuit, vel non nisi insufficienter. Peccatum non est.

Alia privativa, illius nempè cui fides sufficienter annunciata est, et qui credere omittit præcisè, nec dissentiendo positivè, nec ullum errorem fidei contrarium admittendo (*b*).

Alia positiva quâ quis negat aliquid revelatum, vel errorem tenet fidei oppositum. Et tres sunt illius species; paganismus, ad quem reducunt atheismum, mahumetismum et deismum; judaismus, et hæresis, ad quam reducitur apostasia.

(*a*) Volunt quidam mortaliter non peccare eum qui exteriùs solùm contradicit rei revelatæ, quæ relativè ad mores vel fidei dogmata levis esset. Sed hoc non verisimiliùs, nam mendacium hìc est circà res divinas.

(*b*) Si tamen hæc suspensio veniat à voluntate territâ difficultatibus, et timenti deceptionem, multi non improbabiliter existimant ibi esse hæresim, quia ibi est quoddam virtuale judicium de incertitudine objecti fidei. Hic notat P. G. Ant. infideles non baptizatos, sive subjecti sint principibus christianis, sive non, compelli directè non posse ad fidem amplectendam, benè verò baptizatos etiam in infantiâ; quia hæretici facti sunt aut Apostatæ, imò baptizatos ex metu in ætate adultâ, quia sunt subditi Ecclesiæ.

---

224. Hæresis est error voluntarius et, vel uno instanti, pertinax circà veritatem aliquam à Deo revelatam et ab Ecclesiâ ut talem propositam, in homine christianismum profitente (*a*).

Ergò non est hæreticus propriè, nec pœnis contrà hæresim in foro interno subjacet qui, absque interno erroneoque judicio, vel dubio positivo voluntario, veritatem revelatam negat exteriùs (*b*).

Nec qui sententiam quamvis falsam, etiam ex ignorantiâ crassâ, imò affectatâ (quæ non ex animi alienatione à fide,

sed ex aliâ intentione, v. g., ad liberiùs peccandum proveniat), nullâ pertinaci animositate defendit, corrigi paratus cùm verum invenerit.

Error tamen ipsius vel credendi tarditas foret sæpè grave peccatum.

Nec qui negat articulum ab Ecclesiâ definitum, ignorans invincibiliter Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam (*c*).

(*a*) Sic communiter. Addit Billuart : error *manifestè* contrarius, etc. Illud autem est manifestè de fide quod est manifestè et certò à Deo revelatum, sive privatim, sive in scripturâ, sive in decisionibus Ecclesiæ, et quod tanquàm de fide tenent omnes catholici.

Quod spectat ad definitiones Ecclesiæ, ut hæreticos meritò habent multi eos qui subjici renuunt constitutionibus apostolicis in iis quæ damnant ut hæretica, cùm hæ constitutiones ab Ecclesiâ expressè vel tacitè acceptatæ sunt. Nec excusantur per conditiones scitu impossibiles quas iis definitionibus apponunt, ut quandiù volent, non credant. *Coll. Andeg.*, etc. Et reverà sic conciliorum generalium definitionibus possent apponi conditiones, ità ut controversiæ forent interminabiles.

Saltem hæc agendi ratio ingenii superbi indicium est, gravique errandi periculo eam exponere fateantur necesse est.

Hic notat P. Thomas hæreticum esse eum qui falsò existimans aliquid esse ab Ecclesiâ definitum, illud pertinaciter negat, quia Ecclesiam fallibilem credit.

(*b*) Sed hæreticus esset, si judicaret rem ab Ecclesiâ definitam esse dubiam.

Si autem suspensus maneat, quia vult nunc aliis attendere, vel non modò fatigare caput, vel inquirere motiva suaviùs assentiendi, non est formaliter hæreticus, neque peccare saltem mortaliter videtur, secluso periculo consentiéndi in dubium positivum, vel nisi urgeat tunc præceptum affirmativum fidei internæ vel externæ. *Billuart.*

(*c*) Hinc hæreticus non est apud sectarios enutritus, qui nihil unquàm de Ecclesiâ nisi irrisoriè audivit, nec dubitat ullatenùs. Hæresis enim est ab electione. Hic ergò, si cætera præstet, est in viâ salutis et ad Ecclesiam pertinet, *Dens*, etc.

---

225. Hæresis alia est totalis, quæ et apostasia dicitur, et alia partialis.

Apostasia iisdem pœnis ac hæresis partialis subjacet.

Et variis pœnis subjacet, quamvis non excommunicationi à jure contrà hæresim latæ, illa apostasiæ similitudo, quâ scilicet religiosus religionem deserit, etiam servato habitu ; vel clericus in sacris constitutus ad statum sæcularem retrocedit.

Hæresis partialis, seu propriè dicta, est,
Alia interna tantùm quæ mente solùm;
Alia externa tantùm quæ non in mente;
Et alia interna simul et externa, quæ et in mente est, et exteriùs ità apparet aliquo signo, ut si quis adesset, statìm intelligeret negari articulum fidei.

Hæresis externa dividitur in occultam, quæ nulli vel paucis, et manifestam quæ multis nota est.

---

226. Disputatio cum hæreticis vetita est omnibus si prudenter non judicetur profutura, saltem audientibus; quia præbet hæreticis occasionem peccati.

Sed laicis etiam capacibus, sub pœnâ excommunicationis ferendæ sententiæ prohibita est, Cap. 2. de hæreticis in 6. Quod tamen locum non habet in casu necessitatis, et in locis ubi impunè grassantur hæreses, in Germaniâ, etc.

Clericis verò licita, modò capaces sint, si hæreticis catholicisve, etc. salutaris prævideatur, modò non fiat ex condicto. Sine sedis enim apostolicæ licentiâ speciali hoc illicitum, ut declaravit sacra congregatio de propagandâ fide, anno 1614, nisi fidei status hoc exigat et sit periculum in morâ

CAPUT II.

DE SPE.

227. SPES est virtus theologica quâ in Deum, ut beatitudinem nostram tendentes desiderio efficaci, hanc beatitudinem mediaque ipsam assequendi firmiter (*a*) expectamus, propter bonitatem Dei ergà nos, omnipotentiam et fidelitatem in promissis.

Præceptum actûs spei obligat sicut et quandò præceptum actûs fidei.

(*a*) Firma dicitur spes, et certa est ex parte Dei, ac proindè simplicite. firma esse debet. Nam res ex iis quæ ipsis sunt propria denominantur, non ex iis quæ ipsis adveniunt per accidens. Porrò quòd homo non firmiter speret,

eò quòd natura instabilis sit, hoc fit per accidens. Spes firma remanet in motivo. *Collet.*

Rariùs forsan quàm putatur, mundani eliciunt actus spei, quia non desiderant possessionem Dei ut suam beatitudinem, quod tamen desiderium spes necessariò præsupponit. Cupiunt saltem sæpè, solùm non damnari. Non desiderant cœlum, nisi post mortem. Attamen cùm bonum absens desideratur verè, mens cupit jam possidere, inquit meritò P. Ant. à Goritiâ.

Pueri cautè et paulatim adducendi sunt ad hoc desiderium, prout ratio eorum, fides, pietasque excitatæ crescunt.

---

228. Spei opponuntur desperatio per defectum, et præsumptio per excessum. Utraque mortalis *ex genere suo*, et aliquando hæreticalis (*a*).

Sed timor magnus salutem non consequendi non est desperatio (*b*). Ad hanc enim requiritur ut homo voluntariè statuat ampliùs non prosequi beatitudinem et alia bona promissa, ut vitæ emendationem, ob persuasionem voluntariam impossibilitatis ea obtinendi.

Item si fiducia misericordiæ non sit ratio *motiva* peccandi, sed solùm concomitans, non est propriè præsumptio, quia ad hanc requiritur, quòd peccator inordinatè confidat beatitudinem et alia promissa assequi aliter quàm Deus statuit (*c*).

Hæc tamen, quæ ad desperationem et præsumptionem accedunt, sunt peccata majora minorave.

Desperationis causæ, ex D. Thomâ, luxuria sunt et acedia.

Præsumptionis verò, superbia et gloria inanis.

(*a*) Tunc duplex est peccatum.

Præsumptio gravior est quàm desperatio. Utraque major quam peccata contrà virtutes naturales, minor tamen quàm infidelitas et odium Dei.

Venialis desperatio est, si quis omittat aliquem actum virtutis, desperans eum, ut par est exequi posse. Item venialis præsumptio, si venialia ob spem condonationis committantur. *P. Jos. Ant.*

(*b*) Nec desperare emendationem vitæ vel salutem consequi, ex consideratione suæ infirmitatis, peccatorum gravitatis; modò non excludatur spes divinæ misericordiæ. *P. Ant. à Goritiâ et alii.* Saltem est ibi aliud peccatum.

Non semper credendum pusillanimibus qui confitentur peccata desperationis. Si orationem et alia salutis opera, ut sacramenta, non omiserint, judicandi sunt, ordinariè saltem, desperationi non consensisse.

Et hi, inquit D. Dens, qui judicant se à beatitudine excludi, modò non diffidant de illâ, nec de mediis ad eam assequendam.

Et à fortiori qui horribiles contrà Deum, B. Virginem, etc., cogitationes

inviti patiuntur, quasi desperabundi. Hic sanè : *consolamini pusillanimes.*

Nota : Qui verè desperasse cognoscuntur sunt ulteriùs interrogandi, nùm, v. g., mortem sibi dare statuerint, quod sæpè fuit, et nùm aggressi sint exequi hoc scelus.

(c) V. g., ex solâ Dei misericordiâ. Tales aliquandò qui emendationem procrastinant usquè ad ultimum, peccataque peccatis adjiciunt.

Præsumentes interrogandi sunt nùm ob Dei bonitatem ad peccatum accensi fuerint, præsertìm eo instanti quo illud committebant, nùm ex motivo se convertendi in fine vitæ?

---

229. Alia sunt quæ, saltem indirectè, spei opponuntur, utpotè desiderio Deum possidendi adversantia. Talia :

Magna salutis incuria ;

Inordinata terrenis affectio ;

Desiderium annihilationis ex nimio damnationis metu, diffidentiaque de Dei gratiâ et misericordiâ.

Item velle non existere, aut terrenis semper frui.

Quæ omnia sunt *ex genere suo* et sæpè *toto* mortalia.

Spes tamen non excludit timorem, quin ad eam pertinet timor servilis, modò non sit *serviliter* servilis, seu modò affectum ad peccatum excludat; quia sicut per spem desideratur Dei possessio, ità per eamdem detestantur peccata ac pœnæ gehennæ ob ea promeritæ, quatenùs summi boni exclusivæ.

CAPUT III.

DE CHARITATE.

230. Charitas virtus est theologica quâ Deum amamus super omnia propter se, seu, ut bonum in se et absolutè spectatum ; et proximum sicut nosmetipsos propter Deum. Proximus enim ad Deum pertinet, non ut creatura solùm, sed ut filius adoptivus per gratiam, hæresque nobiscum gloriæ.

Objectum ergò materiale charitatis adæquatum, Deus est et proximus.

Formale verò, seu motivum, ipse etiam Deus, id est summa ipsius bonitas increata ut est in se et propter se ama-

bilis, lumine fidei cognita; vel quæ est *participata* et *participabilis* in proximo per gratiam et gloriam.

Amor perfectus, qualis primo præcepto mandatur, dicitur benevolentiæ, si bonum Deo et proximo optamus, complacentiæ verò, si complaceamus in bono quod habent.

Amor, ut verus sit, non est simpliciter complacens, sed efficax, continens proindè, saltem *virtualiter*, propositum servandi omnia præcepta.

Debet esse insuper appreciativè summus, ità ut non sòlùm in mente, Deum super omnia æstimemus, sed in corde majora illi quàm aliis bona optemus, scilicet esse divinum et honores recipere divinos, eumque et ejus amorem omnibus creatis præferamus, parati omnia pati aut perdere potiùs quàm ab amore illius recedamus.

Proximo verò præcipuè desideremus efficaciter beatitudinem supernaturalem et ad eam conducentia.

Sed amor Dei intensivè summus non est de præcepto, nisi quandò affectus ergà creaturam actu obsistit amori appreciativè summo. Tunc enim opus est conatu voluntatis maximo ut Deus super omnia diligatur (*a*).

(*a*) Controvertitur an amor Dei debeat esse intensior quàm alius amor. Negant Sylvius, Billuart, etc., affirmant alii. Ast isti non intelligunt de intensitate sensibili, sed de reali, quæ consistit in conatu voluntatis, ità ut qui amat appreciativè super omnia, possit judicare se etiam diligere intensivè super omnia. *Dens.*

Revera, difficilè concipitur amor appreciativè summus qui non sit intensivè super omnem alium amorem, quamvis non tantus in intensitate quantus esse posset. Difficilè aliter intelligitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. *Idem.*

Indè concludunt aliqui debere esse in actu amoris Dei aliquis intensitatis gradus, quia aliter Deus non posset super omnia amari et totis viribus.

Modus diligendi, sine modo diligere.

---

231. Actus charitatis Dei et proximi obligat sicut et quandò actus fidei et spei, et insuper, cùm, deficiente confessario, gratia amissa recuperanda est per actum contritionis perfectæ, quia actus hic charitatem includit (*a*).

(*a*) Et quoties Deum blasphemiis aut alio gravi scelere offendi, proximumve injuriâ gravi affici videmus, quia tunc dolere debemus. *P. Jos. Ant. P. Thomas.*

Cæterùm non scrupulosè agendum, inquiunt plures, cum iis qui dicunt se ignorasse obligationem eliciendi actus fidei, spei et charitatis : præter enim superiùs dicta, qui benè vixerunt, preces matutinas et serotinas recitaverunt, festa Dominicæ Nativitatis, Passionis aliorumque mysteriorum celebrârunt, ad confessionem et communionem se præparaverunt, potiùsque mori quàm Deum offendere sæpè sibi proposuerunt, inimicos juvârunt, hos actus elicuisse censentur saltem in actu exercito [220, *b*]. *Dens*, etc.

232. Omnia peccata charitati opponuntur indirectè, ea maximè quæ, non obstantibus actualibus conscientiæ morsibus, committuntur ; eamque destruunt mortalia.

Directè verò odium Dei, quod *ex toto genere suo* mortale est et enorme ; et hujus odii rei sunt qui cupiunt Deum non esse, vel non esse justum aut omnipotentem, ut peccata punire non possit ; qui de ejus offensâ, tanquàm ejus offensâ gaudent, ejusve bono tanquàm ejus bono tristantur.

Huic odio affine odium rerum quæ Dei sunt, verbi ejus, sacramentorum ; virtutis ; oppositio bono, gloriatio de peccatis, desiderium quòd Deus illa non puniat.

EXPLICATIO FUSIOR

Præcepti amoris proximi.

Proximus est omnis creatura rationalis, etiam inimica, ejusdem nobiscum beatitudinis capax.

Undè soli dæmones et damnati excipiuntur.

SECTIO I.

De præcepto amoris proximi in se sumpto.

233. Secundum *autem* (mandatum) *simile est huic : Diliges proximum tuum sicut*, etc.

Amore ergò supernaturali, affectivo et effectivo, interno et externo.

Similitudo autem, non æqualitas, in proximi cum nostrî amore requiritur, intelligiturque in hoc sensu quòd bona quæ nobis rationabiliter volumus in talibus circumstantiis, eadem in iisdem velimus proximo, et mala quæ non nobis nec ipsi velimus.

234. Ergò inimici æquè sincerè, et eo tempore modoque quo alii, amore communi diligendi sunt secundùm ordinem charitatis, concives ut concives, cognati ut cognati, signa amoris communia et opera exhibendo ex interno affectu (*a*). Ob inimicitias enim non desinunt esse proximi.

Quin et debemus esse parati ad specialia amoris signa, si necessitas occurrat, aut exigant circumstantiæ, v. g., si odium internum non possit aliter facilè deponi; si consuetè anteà dabantur, ut alloqui, supposito quòd substractio horum signorum ad vindictam pertineat; si inimici his indigeant ad non concipiendum, non augendum, non conservandum odium; si ex omissione oriturum sit scandalum, ut sæpè forsan, si cognati propinquiores se familiariùs non alloquerentur, se non visitarent.

A fortiori si inimici signa hæc priores exhibeant, veniam petant, etc.

Excipe 1° casum damni gravis ex specialibus amoris signis oriundi.

2° Si benignitas magìs obfutura sit quàm profutura, aut si, signorum specialium omissione, inimicus sit potiùs ad meliora revocandus, in quo et similibus, signa amoris etiam communia denegari possent.

3° Si superior ab inferiore læsus sit. Tunc enim modò interiùs dimittat, potest et communia benevolentiæ signa, aliquo tempore subtrahere, correctionis et vindictæ justæ causâ.

A fortiori reconciliatio cum inimicis facienda. Sic porro :

Qui prior læsit (ni valdè superior sit, et tunc media alia adhibeat) prior veniam petat, aut reconciliationi viam aperiat, ni posteà graviùs fuerit offensus.

Si injuria simul mutua fuerit, veniam petat qui graviùs offendit, aut qui conditionis est longè inferioris.

Si æqua aut ferè æqua conditio, uterque (*b*).

(*a*) Opera et signa amoris communia;

Orare, quod faciunt qui orationem dominicam devotè recitant, quia communis est. *P. Jos. Ant.* Sed orandum in particulari et determinatè pro ini-

micis; et quidem singulatim, si periculum sit, ut sæpè, ne odio habeantur. *P. Gab. Ant.*

Salutare et resalutare :

Alloqui alloquentes :

Vendere postulanti :

Prosequi in negotiatione jam pridem incœptâ cum inimicis, aliaque similia. Uno verbo non dat signa et opera amoris qui titulo inimicitiæ aliquid recusat.

Ergò contrà præceptum dilectionis inimicorum sæpissimè, et sæpè graviter peccant

Qui non condonant injurias, non in hoc tamen sensu, ut sæpè existimant rudes, quòd debita ex justitiâ, sive honoris, sive fortunæ, remitti ordinariè debeant; quin aliquandò exigenda est reparatio, si v. g., id velit bonum commune, aut bonum totius alicujus familiæ in quam redundant injuriæ quarum labem non auferret condonatio; sed hìc multùm cavendum.

Qui de malo inimici gaudent quatenùs malum ejus est, aut de ipsius bono dolent.

Qui inimicum declinant, eo præsertim advertente et graviter sentiente, aut cum eo invitati ire recusant, nisi tamen metu rixarum, novi rancoris, aut aliâ justâ de causâ.

Qui veniam recusant, satisfactionem convenientem non acceptant, exigunt æquo majorem, ex odio et vindictâ eam in judicio prosequuntur.

Nota : Apud nobiles in usu non est petitio veniæ, inquiunt aliqui, et videtur apud plebeios sæpè sæpiùs sufficere signa amicitiæ, invitatio ad mensam.

Leve est inimicitiæ signum non salutare primo injuriæ instanti, aut ex levitate vel inadvertentiâ, maximè inter eos qui simul convivunt, nisi tamen sint religiosi. *Billuart.*

Item si ex justo injuriæ nimiæ dolore, ob, v. g., stuprum filiæ, modò causa hæc exteriùs appareat, nec sit odium aut vindicta. *Idem.*

Imò Collet non culpat patrem qui stupratorem filiæ suæ iisdem ac anteà oculis non aspicit.

Item si quis ob injuriam se aut familiam graviter diffamantem vultum austerum exhibeat, alloqui deneget et salutare, ne injuria parvipendi videatur. *Billuart. P. Thomas*, etc.

Sed levia saltem peccata hìc facillimè esse possunt, et cavendum ne ista amoris denegationis apparentia signa diutiùs continuentur.

Nota iterum : ut cognoscatur quandò et quantùm peccetur in præsenti quotidianâ materiâ, consideranda est tum intentio interna, nùm nempè ex odio gravi vel levi signa amoris subtrahantur; tùm scandalum inimici vel aliorum, quod grave etiam et veniale esse potest. Sic, inquit D. Dens, potest esse grave scandalum, si pluribus occurrens, inter quos inimicus, omnes præter eum salutes.

(*b*) A petitione veniæ, non à reconciliatione excusat injuria mutua;

Et absentia, ni injuriâ affectus per litteras adiri possit;

Et jàm facta reconciliatio;

Et præsumptio prudens offensum non, aut malè responsurum, aut veniæ petitionem magis obfuturam quàm profuturam fore. Hinc non statim post injuriam semper petenda venia, excepto à filiis, uxoribus et aliis subditis, qui tamen ex variis causis possunt aliquandò et forsan sæpè excusari.

Nota : Sensus verborum Christi : *Si offers munus tuum*, etc., hic est : Si

recordatus fueris quòd fratrem offendisti (habet enim tunc aliquid adversùm te) vade ad eum reconciliationis causâ, si non longiùs sit. Si longiùs, corde protestare Deo velle te illi satisfactionem congruam impendere, cùm poteris.

SECTIO II.

De ordine charitatis.

235. Ordo hìc pendet à diversitate necessitatum, personarumve quibus succurrendum.

Necessitas est indigentia boni. Spiritualis est proindè vel corporalis. Utraque triplex :

Extrema : cùm damnatio aut mors alicui imminet, aut ex actuali inopiâ in futurum evenient, nisi actu ei succurratur (*a*).

Gravis : cùm quis magnam patitur salutis difficultatem, ut, si æger petat confessarium ; aut cùm quis proximè subit periculum mali, moraliter loquendo, solâ morte inferioris, ut morbi gravis, carceris perpetui, amissionis totalis statûs.

Communis aut mediocris, qualis est ordinariè.

Personæ quibus opitulandum sunt publicæ vel privatæ, conjunctæ vel extraneæ.

(*a*) Sunt qui salutis necessitatem extremam dicunt, cùm tanta est ut moraliter loquendo, salus sit, sine alterius auxilio, impossibilis.

---

236. In ordine necessitatum et bonorum

Regula prima : in necessitate extremâ spirituali omnes proximo succurrere tenentur cum periculo vitæ.

In gravi, pastores ;

In communi, nemo, cum tali periculo ; quia ab eâ se quisque meliùs quàm alter non ità difficilè expedire potest.

Sed non est in necessitate extremâ qui se in periculum damnationis propriâ malitiâ injicit, ut qui bellum ingreditur injustum.

Regula altera : tenemur in gravi necessitate spirituali sub-

venire proximo cum aliquo etiam damno temporali, comparando necessitatis et damni gravitatem.

Regula hæc in hoc fundatur quòd, in optando et conferendo bona, supernaturalia naturalibus præferenda sint (*a*).

(*a*) Et interna exterioribus. Vita ergò menti, mens sanitati, sanitas famæ, fama fortunæ præferenda.

Ex his inferunt baptisandum, aut morti eripiendum cum vitæ periculo infantem patris saltem fidelis moriturum. Imò videtur idem dicendum si pater sit infidelis, quamvis hìc dubitent auctores, quin tamen privatus teneatur transire ad Indos.

Et inferunt salvandam cum eodem periculo vitam ebrii, amentis aut dormientis in peccato mortali existèntis, modò sit spes eum salvandi.

Non tamen liceret in his casibus mortem sibi directè inferre, in aquam, v. g., se præcipitem dando sine spe evadendi.

Inferunt tandem teneri matrem operationem cæsaream pati, si omnibus attentis, chirurgi præsertìm solertiâ, spes sit probabilis nec matri nec proli mortem, per operationem hanc, esse inferendam [352, *b*]. Sed hoc tanquam obligatorium, si fortè sit, non proponendum matri, si prævideatur non assensura

Nota : multi, quæ de casu necessitatis extremæ spiritualis dicimus hìc, extendunt meritò ad casum necessitatis gravis communitatis, utpotè extremam necessitatem quorumdam importantis [17]. Aliundè necessitas publica gravis prævalet vitæ privati. Ergò, si furente persecutione, peste, etc., fugiat pastor aut deficiat, alius succurrere debet. Imò in casu particulari, succurrendum cum periculo vitæ, inquit Collet, ei qui morbo laborans extremo, judicatur, utpotè non instructus, sine contritione perfectâ moriturus. Aiunt multi eidem esse succurrendum, etiamsi esset instructus, si sit nequam, quia ejus necessitas extrema censeri debet. Sed alii videntur meritò contrà sentire, quia ex perseverante culpâ suâ, in necessitate est.

Excipiunt, si qui potest ei succurrere, sit proprius ejus pastor; quia bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

---

237. In ordine personarum

Regula prima : in necessitate extremâ spirituali, nosmetipsos proximo præferre debemus.

Non licet ergò, in quâcumque necessitate spirituali, aliis succurrere exponendo se proximo peccandi periculo (*a*).

Nec directè pati jacturam spiritualem, etiam levem, ad procurandum aliis bonum etiam spirituale, vel maximi momenti. Amor enim nostrî est regula amoris proximi, et regula regulato prior est.

Regula 2ª : Ob eamdem rationem, in necessitate extremâ corporali, tenemur ordinariè (*b*) nos proximo præ-

ferre, nisi aliter exigat bonum commune, ut, *per se loquendo*, conservatio vitæ personæ publicæ.

Regula 3ª : Possumus semper nobis proximum præferre in bonis corporalibus non necessariis, juxtà exempla Christi et sanctorum.

Regula 4ª : in eodem necessitatum et bonorum genere, qui nobis sunt sanguine, amicitiâ, officio, religione aut convictu conjunctiores, extraneis, cæteris paribus, præferendi sunt in impotentiâ omnibus succurrendi.

Hinc in necessitate extremâ (vel solùm gravi, addunt aliqui) sive spirituali, sive corporali, patria præferenda est parentibus qui pars illius sunt, et vita pro eâ exponenda.

Parentes carnales præferendi sunt spiritualibus, et aliis ob instructionem aut aliud beneficium spirituale necessitudine spirituali vel morali conjunctis (*c*).

Hi amicis et sociis temporalibus.

Et inter omninò extraneos, qui profitentur veram religionem, sectariis; justique peccatoribus.

Quoad parentes : Pater, ut nobilius principium, matri; mater conjugi; conjux filiis; filii fratribus,

Et inter alios propinquos digniores minùs dignis.

Sed extrà necessitatem extremam, maritus patri; et filii (non emancipati, juxtà multos) genitoribus præferendi sunt.

Ast nota : extraneorum spirituali gravi potiùs providendum quàm gravi quidem, sed corporali parentum necessitati.

Item gravi corporali extranei potiùs quàm mediocri consanguineorum.

Tandem conjunctis valdè secundùm spiritum succurrendum, potiùs quàm multùm remotè conjunctis secundùm carnem, et ex æquè conjunctis, dignioribus potiùs quàm minùs dignis.

Imò, per accidens, dignioribus quàm propinquioribus aliquandò potiùs succurrendi esse potest obligatio, ut si digniores forent personæ publicæ.

Quæ omnia ex circumstantiis dijudicanda sunt (*d*).

Nota iterùm : quamvis ordo suprà dictus obliget sub mor-

tali *ex genere suo*, ejus tamen inversio non foret mortalis, imò aliquandò forsan nec peccaminosa, si non esset notabilis, si, v. g., solùm unius gradûs; saltem si gradus iste non foret proximus.

(*a*) Imò nec probabili, si lapsus probabilior sit, quia tunc periculum est ferè proximum. Quòd si periculum in confuso advertatur, res utrinque pensanda est. *Collet* post Sylvium.

(*b*) Juxtà multos, non licet unquam sibi in necessariis præferre inferiorem nec parem. Sed contrà probabiliùs alii multi post D. Th. Non quòd liceat se, in aliquo sensu, directè occidere, jaciendo se, v. g., in mare, sine spe evadendi, ad cedendam alteri tabulam; benè verò incurrere sat probabile mortis periculum, ad eripiendum alterum certissimæ morti. A fortiori non occidere vitæ invasorem. Imò actus est virtutis heroicus seipsum morti tradere, propter amicum aut benefactorem aliis magis utilem, modò id non fiat ob bonum proximi qui eripitur, inverteretur enim tunc ordo charitatis; sed ob opus virtutis.

Excipe si qui se exponit, necessarius sit reipublicæ, familiæ suæ, etc., vel sit in periculo damnationis.

(*c*) In necessitate extremâ, pastor, utpotè ex justitiâ ergà oves obligatus, videtur teneri iis potiùsquàm parentibus subvenire in spiritualibus. *P. J. Ant.*

(*d*) Sic mater bona, et quæ prolis curam gerit, plùs diligenda est quàm pater malus. *Collet.*; *Theol. Pictav.* Nec, addit iste, graviter saltem peccat maritus qui uxori clamosæ et inutili filium præfert sibi in temporalibus necessarium.

SECTIO III.

De operibus Charitatis.

SIC enumerantur tùm corporalia, tùm spiritualia :

Visito, poto, cibo, tego, colligo, condo;
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Sed hìc solùm de eleemosynâ et correptione fraternâ.

ARTICULUS I.

De eleemosynâ.

238. ELEEMOSYNÆ præceptum, centies in scripturis consignatum, sub gravi ex *genere suo* obligat.

Sufficit ut quis eo teneatur quòd modo generali noscat proximi necessitatem, quin pauperes tamen inquirere de-

beat, nisi ii, qui ad hoc ex officio tenentur, suo muneri desint.

Ergà omnes indigentes obligat hoc præceptum, etiamsi impii sint; nec hi, sæpè saltem, per denegationem eleemosynæ prudenter ad actus religionis adducerentur (a).

Mendicare erubescentibus dandum præcipuè;
Segnibus modicè et difficilè;
Sed cuicumque propter Deum.

Hinc magistratus, ni gravia, pestem, v. g., timeant, aut suis succurrere nequeant simul et extraneis, hos, qui alibi fame perirent, non possunt omninò repellere.

(a) Synodus diœcesana Mechliniensis privat pauperes subsidio mensæ dictæ *Spiritûs sancti*, nisi de annuâ suâ confessione testimonium ostenderint.

239. Ex superfluis eleemosyna facienda est, et duplicis generis sunt superflua.

Superflua naturæ, sine quibus potest quis suî et necessariorum, parentum nempè, uxoris et filiorum (a) vitam præcisè conservare.

Superflua statui, seu ea sine quibus homo statum suum conservare potest, secundùm eum decenter, moraliter loquendo, vivere, et filios juxtà familiæ conditionem educare et collocare, rem coràm Deo, non juxtà ambitionis appetitum, omnibus perspectis, considerando (b).

(a) Addunt aliqui: et famulorum, qui in necessitatem extremam inciderent, si dimitterentur.

(b) Plures ad statûs decentiam revocant sepositiones et acquestus ad servandum statum, non quidem in omni possibili, sed in quolibet probabili eventu calamitoso, qualis senectus, morbi, bellum; et augmentum decens patrimonii, ascensum ad altiorem statum probabilem, modò ex bono motivo, et talenta ad eum habeantur; imò ad moderatas divitias filiis relinquendas.

Sed saltem semper faciendæ eleemosynæ communes, secundùm statum, et supponitur indigentiam gravem non esse. *Theol. Pict.*, *Collet*, *Bailly*. Notat adhùc meritò Collet eos quorum fundus est labor aut famulatûs stipendium, plus in futurum servare posse, quàm qui annuos habent redditus sibi semper certò adfuturos.

Forsan nulla hic regula certior statui potest, quàm docti et timorati directoris decisio

PRINCIPIUM I.

240. De superfluis naturæ, etsi statui necessariis, sub mortali succurrendum est extremè indigenti.

Non tamen eò usquè ut è toto statu reipublicæ utili excidat quis, aut ingentem summam deperdat, quia hæc sunt media extraordinaria, ad quæ, pro vitâ servandâ, nec ipse indigens teneretur.

Eleemosynæ præcepto non satisfieret tunc per mutuum, si extremè indigens pauper foret et in re et in spe.

PRINCIPIUM II.

241. Proximo graviter indigenti succurrendum itidem sub mortali *ex genere suo*, de superfluis naturæ, ac proinde de statui aliquo modo necessariis, seu cum statûs imminutione proportionatâ gravitati necessitatis.

PRINCIPIUM III.

242. Pauperibus communiter indigentibus subveniendum ex superfluis statui, in quantùm necessarium est ad levandam eorum necessitatem. Charitas enim obligat ad subveniendum proximo indigenti, cùm sine incommodo possumus (*a*).

Graviùs hìc obligantur qui ex officio, quin et tenentur miserias inquirere.

Sufficit miseria prudenter præsumpta, et quisque dives, defectu aliorum, tenetur.

Dona Ecclesiis facienda eleemosynæ obligationem non tollunt, sed et devotioni, et charitati satisfaciendum.

Inhumanum esset cum onere reddendi dare pauperi etiam spem pro futuro habenti, si agatur de levibus et communibus eleemosynis.

Nota : uxor, etiam non habens parapherna, potest moderatas, et sicut solent timoratæ ejusdem conditionis, eleemosynas facere, etiam sine consensu viri, qui aliundè forsan, ore tenùs, et ad impediendum excessum prohibet. Hoc enim pertinet ad uxorum honestam sustentationem.

Item pupillus et minor (*b*).

Cæterùm eleemosynæ non semper in cibo, potu, vestituve consistunt, sed in officiis gratuitò præstitis, ab advocatis, medicis, etc.

Atque hæc omnia de aliis misericordiæ operibus dicta sunto.

(*a*) Difficile admodùm est determinare quandò in omissione eleemosynæ communiter indigentibus faciendæ peccetur, præsertìm mortaliter, seu quantùm dandum sit de superfluis statui, et in quo hæc superflua consistant.

Sat communiter opinantur omnia superflua non deberi saltem ordinariè, nisi ex bonis ecclesiasticis proveniant; quia tantæ eleemosynæ non sunt ad levandam miseriam communem necessariæ. A mortali ergò excusant eum qui, habens superflua non succurrit uni vel alteri, sed modò huic, modò illi, altera superflua in usus alios servans, etsi, inquit Billuart, servet ad alias divitias acquirendas. Sed ut mortale habent statuere, etiam implicitè, nulli dare, quales qui omnes pauperes repellunt. Item de mortali arguunt qui notabilia habens superflua, ità modicè tribuit, ut si cæteri non magis darent, communibus pauperibus sustentatio necessaria deesset notabiliter. Ità Cajetanus, Navarrus, P. Thomas, Theol. Pict. et alii communiter contrà alios.

Saltem meminerint divites damnatam ab Innocentio XI propositionem hanc : « vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superflua statui, et » ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quandò tenetur solùm ex super» fluis statui. »

Imò peccati gravis rei sunt qui accumulant pecunias nec statui præsenti, nec probabiliter futuro necessarias; qui superflua sinunt potiùs corrumpi quàm pauperibus distribuere; qui, ut luxum et delicias augeant, eleemosynas minuunt; qui tempore necessitatis publicæ, grana asservant spe majoris lucri. *Dens*, fortè pro primo casu rigidior, si, qui pecunias accumulant, faciant tamen eleemosynas sufficientes, nec in pecuniis ponant finem ultimum. Attamen ad quid hæc pecunia reservata?

(*b*) Multi dicunt tutores posse modicas eleemosynas facere de bonis pupillorum, quia hoc cedit in istorum bonum.

---

243. Vicissìm contrà charitatem et justitiam peccant mortaliter qui, ad eleemosynas obtinendas, simulant se verè pauperes ; et à fortiori, qui eas accumulant. In his casibus restitutio facienda est vel iis qui donârunt, si summa sit notabilis, vel aliis pauperibus.

Secùs qui solùm exaggerant paupertatem suam, quia ordinariè creduntur sic agere.

ARTICULUS II.

De correctione fraternâ.

244. Correctio fraterna est actus misericordiæ spiritualis quâ quis peccatorem reducere conatur ab errore viæ suæ. A Christo præcepta est his verbis : *Si peccaverit in te*, id est coram te., *frater tuus*, etc.

Omnes ergò, etiam inferiores, quandò possunt utiliter, eam sub gravi *ex genere suo ex charitate* (*a*); et ex justitiâ, frequentiùsque, qui aliis præsunt, adhibere tenentur. Imò hi de vitâ inferiorum, in dubio, tenentur inquirere, dùm è contrà id nequidem possunt ordinariè ergà quemlibet qui solùm ex charitate corripere tenentur (*b*).

(*a*) Venialiter solùm peccare potest, qui graves etiam culpas non coercet, ex inadvertentiâ minimè crassâ, ex verecundiâ, pusillanimitate, vel aliis circumstantiis peccatum minuentibus. *Collet.*

Et qui putant se nullo modo, aut parùm profuturos, aut proximum sine ope suâ emendandum.

Et scrupulosi à fortiori; quin monendi sunt ut in correptione prudentes sint, ne importuni valdè, mali majoris causa existant. *Theol. Pict. Bailly*, etc. Scrupulosi enim sæpè vident correctionis fraternæ obligationem ubi non est, quia obligatione hâc mens eorum, seu potiùs imaginatio perculsa, non attendit ad ea quæ obligationem tollunt.

(*b*) Si casum periculi mortis excipias, deficiente superiore qui id faciat; vel nisi quis familiaris sit, et sint probabiles conjecturæ cum aliquâ infamiâ proximum malè vivere.

---

245. Ut obliget correctio, requiritur

1° Ut vera sit proximi indigentia spiritualis, ità ut prudenter judicetur eum vel in proximo esse peccandi periculo, aut peccasse nec resipuisse, nec brevi spontè emendandum facilè non relapsurum (*a*).

Hinc rarò obligat pro venialibus, nisi inter familiares.

Sed obligaret per accidens, si ex peccato veniali exurgeret proximum mortalis périculum, grave scandalum, disciplinæ detrimentum.

2° Ut sit probabilis aut saltem dubia spes correctionem profuturam, si non statìm, saltem posteà, nec æquè probabile eam nocituram, aut de hoc dubitetur. Tunc enim omit-

tenda (b), excepto periculo proximo ne quis in peccato moriatur.

Superiores tamen sæpè tenentur, quamvis inutiliter faciant, publicè peccantes coràm omnibus arguere ut et cæteri timorem habeant.

3° Ut non sit alius magìs idoneus qui possit et velit correctionem facere (c).

(a) Multi contrà alios censent, inquit Theol. Pict., non necessariò de præcepto corripiendum esse de peccato præterito eum, qui certò in illud non relabetur, juxtà hæc Ecclesiastici 9 : *Corripe proximum ne fortè iteret.* Supponerem quòd in peccato non sit diù permansurus.

(b) In hoc dubio, quale habetur ordinarie ergà extraneos et ignotos, conferenda est utilitas cum damno, et majus minori præferendum. *Billuart.*

Sed Habert et Collet absolutè dicunt nullam esse obligationem corripiendi ob quodvis peccatum etiam mortale eos quorum ignotum est ingenium, ne fiant pejores. Et idem alii dicunt de peccantibus ex contemptu et consuetudinariis, quia nulla est ordinariè spes profectûs. Quod de consuetudinariis non admitterem semper, quamvis sæpissimè quod non prodest obsit, eò quòd correptus gràviùs peccet. Undè fit quòd à correctione frequenter excusentur qui sunt inferioris conditionis.

Sed notandum parvam tristitiam, iram parvam ejus qui corripietur, causam non esse correctionem omittendi.

(c) Multi conditionem quartam addunt, ut nimirum correctio fieri possit sine gravi incommodo, necessitati spirituali proximi proportionato [236]. Sed hoc à suprà dictis sufficienter fluit. Undè timor vulgi vel cupiditas à correptione non eximunt, quandò est probabilis præsumptio fratrem lucrandi, inquit D. Thomas, sed peccatum non erit nisi veniale, si timor vel cupiditas solùm tardiorem faciant ad corrigendum.

Hic notat Billuart quòd, cùm omnes conditiones ut præceptum correctionis obliget requisitæ raro simul reperiantur, rarò itidem ad eam, saltem sub gravi, teneantur privati. Sed exciperem eos qui cum aliquo sunt familiariter conjuncti. Facilè enim possunt saltem pro istis conditiones omnes unà concurrere.

---

246. Ut, tùm pro corripiente, tùm pro correpto, utiliter fiat correctio, habenda est ratio temporis, et sæpè non obligat statìm post lapsum.

Observandus item, sub mortali *ex genere suo*, ordo à Christo præscriptus, corripiendo 1° secretò, 2° coràm uno vel duobus, 3° publicè per denuntiationem.

1° *Secretò*, cùm nempè crimen est occultum.

Si tamen noceat aliis quàm peccanti aut corripienti, vel correctio, sic secretò facta, prudenter præsumatur non

profutura ; vel si corripiens sit parùm idoneus, prævideaturque quòd correctio meliùs fiet per alium, ipsi deferenda est, non ut judici, si superior sit, sed ut patri.

2° *Coràm uno vel duobus*, vel coràm superiore ut patre : si nimirùm infructuosè pluries adhibita sit secreta correctio.

3° *Publicè*, seu per denunciationem (*dic Ecclesiæ*), si coràm uno aut duobus, vel coràm prælato, ut patre considerato, incassùm fuerit adhibita.

Sed si crimen sit, aut mox futurum sit publicum, secreta correctio non est necessariò præmittenda.

Imò, si occultum manens, cessurum sit in gravem reipublicæ, corripientis aut aliorum perniciem, et periculum sit in morâ, inutilisque prævideatur correctio secretò; vel coràm duobus, aut coràm prælato, ut patre, facta; vel si corripiendus cesserit jure suo, ut in communitatibus quibusdam religiosis, res superiori statim est deferenda (*a*).

Ubi notandum quòd si denunciatio juridicè facta non fuerit, superior contrà reum, etiam per correctionem paternam non emendatum, nequeat publicè et judicialiter agere, dùm crimen, aliis non nocivum, occultum manet.

Cæterùm inferior increpandus est in spiritu lenitatis; superior ut pater, et per alium si correpturus sit moribus et conditione vilis ; æqualis ut frater, etc. (*b*).

(*a*) Rarò mora in deferendo non est perniciosa; nam ordinariè correctio secreta cautiores, sed non meliores efficere solet peccatores : et idem ferè dicendum de peccantibus ex habitu, contemptu, cum pertinaciâ.

(*b*) Correctio fieri potest non solùm verbis, sed ut plurimùm factis, v. g., vultu tristi, ad alia transeundo in conversatione, etc. Per hæc enim monetur peccator se malè facere.

SECTIO IV.

De peccatis proximi dilectioni oppositis.

Omnia quæ sunt contrà proximum ipsius dilectioni opponuntur. Sed hìc solùm de præcipuis.

ARTICULUS I.

De odio proximi.

247. Odium proximi aliud est inimicitiæ quo proximi persona odio habetur, optando quòd ei malè, vel dolendo quòd ei benè sit.

Aliud abominationis, quo personam proximi aversamur, ut nobis aut nostris malam. Hocque iterùm duplex, scilicet:

Odium ipsius personæ, quo proximum secundùm se, quantùm ad naturam aut gratiam, velut malum displicens, aversamur;

Et odium qualitatis, quo personam proximi sub aliquâ qualitate, vel potiùs qualitatem ipsam odio habemus.

Hinc odii reus non est qui malum proximo optat aut de eo gaudet, non prout malum ejus est, sed ut justè, ob commune, non ob privatum bonum puniatur; ut non noceat Ecclesiæ aut reipublicæ; ùt corrigatur, etc. (*a*).

(*a*) Nunquàm tamen damnationem æternam licet optare ex quocumque bono motivo. Neque ut quis peccet, quia hoc est simpliciter malum, nisi fortè desideretur ut Deus permittat eum labi ut humilior et cautior resurgat. *Sylvius*. Sed hoc non ità certum.

---

248. Odium inimicitiæ peccatum mortale est *ex genere suo*, augmentum sumens ex quantitate, duratione, frequentiâ actuum, speciemque mutans ex qualitate personæ invisæ et mali optati.

Generatìm loquendo mortale de facto est, quandò charitatem destruit, leve si non evellat.

Idem dicendum de odio abominationis in ipsam personam cadente (*a*).

Odium autem in solam qualitatem cadens, malum est si in bonam, bonum si in qualitatem malam cadat.

(*a*) Odium abominationis est rarò mortale; quia simplex displicentia personæ creatæ, multis defectibus subjectæ et propter illos invisæ, sine mali imprecatione, non videtur tanta inordinatio, nisi talis sit ut quis recuset veniam petenti, vel communia charitatis officia. *Billuart. Dens.*

Periculosum Tamen cùm diù durat, quia indè facilè eveniet ut complaceant mala quæ proximo adveniunt.

---

249. Ex odio, sæpiùs ex irâ, fluit maledictio, quæ locutio est quâ quis sibi vel alteri, aut etiam creaturæ irrationali, malum deprecatur.

Peccatum est *ex genere suo* mortale, taleque reipsà cùm quis sibi aut alteri malum grave ex animo voluntariè deprecatur.

Vel ex irâ mortali.

Vel cum gravi scandalo, ut sæpiùs, cùm parentes filiis aut coràm filiis maledicunt.

Vel cum gravi contumeliâ; aut si maledicatur personæ cui ratione dignitatis singularis debetur veneratio.

Vel, aliquandò, ob conscientiam erroneam.

Nec subsequens nolentia quòd malum eveniat, peccatum liberè factum destruit.

Levis verò maledictio est, si seclusis his gravibus circumstantiis, malum leve, vel grave quidem, sed ore tenus, licèt ex motu levi aut subreptione, alicui optetur; aut si belluis, sine intentione Deum aut proximum lædendi; aut si aliis creaturis irrationalibus; præcisè ratione mali quod in eis est; quia, ut ait D. Thomas, peccata linguæ maximè ex affectu pensantùr (*a*).

Sed periculosa valdè, et pro viribus extirpanda maledicendi consuetudo.

Nota: Possumus mortem nobis aut aliis optare ut peccato et vitæ hujus miseriis liberemur, æternâque beatitudine perfruamur, modò non ex irâ aut impatientiâ.

Item gaudere liberari per mortem à morbo doloroso.

(*a*) Mortale est seipsum ex irâ deliberatè devovere dæmoni, ob fœditatem et perversitatem rei. *P. Gab. Ant.*

ARTICULUS II.

De discordiâ et contentione.

250. Discordia est dissentio voluntatis à voluntate in bono, tendens ad pacis dissolutionem.

Contentio est altercatio verborum, si generatim sumatur; sed prout hìc sumitur, est impugnatio veritatis quam quis novit, aut potest et debet noscere.

Discordia et contentio peccata sunt mortalia *ex genere suo*, et talia de facto si ea comitetur error pertinax circà necessaria ad salutem, aut si bonum proximi notabile impugnetur, veritasve ad fidem, mores, etc., pertinens; vel si gravia habeant adjuncta scandalum aut contumeliam.

Levia tamen ex se, imò sæpè nullatenus peccaminosa, si quis, bonâ fide, dissentiat aut contradicat, putando malum vel minùs bonum, convenientius aut minùs conveniens ad Dei gloriam et proximi salutem, quod aliter alteri videtur.

ARTICULUS III.

De rixâ et seditione.

251. Rixa est pugna linguæ et manuum inter privatos quâ tales.

Mortalis est *ex genere suo* in aggressore.

Sed in se defendente non est peccaminosa, si solo fiat animo se defendendi et cum moderatione.

Sed venialis, tunc, si aliqualiter immoderatè habeatur, vel cum motu iræ aut vindictæ levi.

Mortalis demùm si obfirmatò se defendens in impugnantem insurgat ad eum occidendum aut, ut sæpè, notabiliter lædendum.

---

252. Seditio est bellum contrà auctoritatem legitimam, vel unius partis reipublicæ contrà alteram partem.

Non concipitur eam venialem esse posse, nisi *per accidens*, et certè rarissimè, solùmque in aliquibus; quia valdè gravis est, utpotè enormiter adversans paci et bono communi.

ARTICULUS IV.

De bello.

253. Bellum est publica armorum assumptio contrà extraneos, reipublicæ tuendæ vel vindicandæ causâ.

Ut sit justum, fieri debet auctoritate publicâ, justâ de causâ (*a*), et cum moderamine debito.

Et ut licitum sit cum intentione rectâ.

Causa autem belli justa, est gravissima principi vel subditis, vel confederatis, vel religioni illata injuria, quam tollere, vel pro quâ satisfacere recuset pars adversa.

Sed non sufficiens causa est timor ne vicinus potentior evadat et posteà noceat.

Pariter nonnisi auctoritate publicâ fieri possunt repræsaliæ, et quidem solùm pro injuriâ certâ denegatâque satisfactione, quam excedere non debent.

Cessantibus ergò causis sive per satisfactionem, sive, etc., et bellum cessare debet.

Nota : Bellum potest esse utrinque formaliter justum; nec tenentur milites proprii, aut alieni antè bellum conducti, examinare, in dubio, an justum sit.

Secùs extranei nondùm conducti; nec licet eis pugnare sub principe de cujus belli justitiâ dubitant (*b*).

Mortaliter peccat quilibet bellare paratus in bello injusto sicut et in justo.

(*a*) Non potest princeps de belli justitiâ dubitans illud inducere pro reparatione injuriæ, nec pro re quam alius possidet. Si neuter possideat, bellum moveri potest contrà eum qui non vult partiri. *Varii.*

(*b*) Idem videtur dicendum de subditis non jussis bellare, nisi tamen, inquiunt graves auctores, dubium sit solùm negativum, et subditi imò extranei possint sibi persuadere, propter principis et ejus consiliariorum probitatem, bellum non esse injustum, quia justitia belli sæpè obscura est, et causæ non manifestæ. *Varii.*

---

254. In bello, etiam justo, non licet directè occidere innocentes, ut infantes, impuberes, bello ineptos, fœminas, rusticos, plebeios, peregrinos, extraneos, mercatores, clericos, nihil ad bellum conferentes.

Secùs indirectè, si secerni nequeant, nec aliter bellum possint expediri (*a*).

Nec licet, ob immania quæ ex excidio sequuntur, urbem vi capere, cùm ejus deditio conditionibus æquis obtineri potest.

(*a*) Urbe captâ, spoliandæ non sunt ecclesiæ, cùm in eas jura non det bellum; nec evertendæ, nisi sint munitæ.

Nocentes, qui in bello se victori supplices offerunt, possunt quandòque, in pœnam criminis aut ad terrorem occidi, quia iniquè præliari censentur.

Rustici aut alii nequeunt propriâ auctoritate certare, tenenturque ad restitutionem, si faciant, nisi rustici ipsi vicini eos spolient.

Clerici in minoribus constituti præliari possunt; in sacris verò nequeunt, nisi in casu necessitatis pro suî aut suorum defensione; sed possunt pugnantes adhortari. *Varii.*

ARTICULUS V.

De schismate.

255. Schisma est dissentio ab eâ Ecclesiæ unitate quam charitas efficit.

Schismatis rei sunt qui se à capite separant, obedire illi recusantes; vel à membris, cum ipsis in rebus divinis communicare renuentes (*a*).

Schisma aliud purum, quod sine hæresi (rarò aut non diù);

Aliud non purum, quod cum hæresi est.

Utrumque mortale *ex toto genere suo.*

Nota : Schismatici excommunicantur in bullâ cœnæ (*b*) [753, *a*].

(*a*) Separatio à fidelibus, vel ab uno solo, in rebus religionis, est separatio virtualis ab iis quibuscum hi sunt in communione, verumque schisma videtur. Folium enim à ramo separari nequit, quin à totâ arbore separetur.

(*b*) Et sat probabiliter in capite *nulli*, dictinctione 14. *Suarez.*

ARTICULUS VI.

De scandalo.

§ I.

De naturâ et divisione scandali.

256. SCANDALUM est dictum vel factum (sub quo omissio) minùs rectum, id est, de se malum vel speciem habens mali, quod alteri præbet occasionem ruinæ, suasione, consilio, exemplo, etc.

Per ruinam intelligitur quodvis peccatum; nec necesse est ad verum scandalum quòd ruina de facto sequatur, sufficit quòd ipsi detur occasio per aliquid verè aut apparenter mali (*a*).

Scandalum non est ergò, quamvis illud vulgus tale nominet, rumor ex actione aliquandò enormiter malâ ortus; nec dictum aut factum quodvis malum coràm ità probis, ut nullo modo ad peccatum inducendi certò moraliter æstimentur, vel coràm ità perditis, ut non sint ad malum magis impellendi (*b*). Ad scandalum enim requiritur ut sit timor prudens ne ruinæ detur occasio.

Sed pravum consilium scandalum est. Attamen reùs non est qui, committere volentem peccata inæqualia, à majori deterret, de minori tacendo; vel parato committere majus, minus, saltem in majori virtualiter inclusum (*c*) quasi suadet, præcisè ut majoris impeditivum, modò tamen utrumque impediri nequeat, nec sequatur peccatum aut damnum aliud tertiæ personæ, ut fieret; v. g., si ad adulterium parato cum matre, fornicatio consuleretur cum filiâ [577, *a*].

(*a*) Ut si mulier populo suspecta, à clerico, et à fortiori, à pastore, imò sæpè sæpiùs, à quovis, domi detineatur; quamvis cum eo peccet neutiquàm.

(*b*) Vel coràm ità dispositis ad peccandum, ut certò moraliter æquè peccassent, v. g., turpiter loquendo coràm turpiter loquentibus, nisi tamen intendatur, etsi ob propriam utilitatem tantùm, alios inducere ad peccatum.

Sed hæc, quæ inferunt quidam, cum grano salis non parvo accipienda mihi videntur. Sæpè enim in his quæ insinuì fiunt peccatis, malum augetur, et impudentiùs audaciorique fit animo.

Nec licet à fortiori ad peccatum inducere eum qui habitualiter paratus est ad illud committendum, etsi alius æquè dedisset ei occasionem.

(c) Etsi probabiliùs diversæ rationis. *P. Ant. à Goritiâ.*

---

257. Scandalum aliud est activum, quod mox definivimus;

Aliud passivum, quod est ipsa ruina spiritualis.

Scandalum activum, de quo hic solum, aliud est directum (in confessione distinguendum), quo expressè intenditur ruina spiritualis, vel tanquàm ruina (quod gravissimum est et diabolicum), vel solùm, ut fit communiter, tanquàm utilitatem, delectationemve pariens.

Aliud indirectum seu interpretativum, quo quis dicit præcisè vel facit aliquid quod est, et cognoscit, vel cognoscere potest, ad peccatum inductivum.

Imò et simpliciter tolerando, patiendo, tacendo, aut omittendo; ut si mulier patiatur sine aut cum insufficienti resistentiâ, se turpiter tangi, etsi in libidinem non consentiat.

Scandalum passivum aliud est acceptum quia datum, quandò nimirùm ruina oritur ex dicto vel facto reipsà minùs recto.

Aliud purè acceptum, cùm scilicet ruina oritur vel ex purâ malitiâ scandalizati, et pharisaicum vocatur.

Vel ex infirmitate aut ignorantiâ scandalizati, occasione nempè dicti vel facti indifferentis (*a*); et tunc scandalum pusillorum illud nominant; potestque esse vel purè acceptum, si nempè ex solâ accipientis ignorantiâ vel infirmitate nascatur; vel acceptum et datum, si oriatur etiam ex scandalo activo.

(*a*) Ut si maritus liberiùs agat cum uxore suâ in loco in quo videri possit; et à fortiori si videntes ignorarent eam esse ipsius uxorem.

§ II.

De malitiâ scandali.

258. Scandalum, sive directum, sive indirectum, mortale est *ex genere suo*, ejusdem speciei et gravitatis ac peccatum cujus datur occasio (*a*).

Sed scandalum directum charitati insuper specialiter opponitur (*b*), ità ut qui peccando scandalizat, duplex, præter proprium, peccatum committat.

Undè qui publicè peccavit, hoc in confessione declarare debet et numerum præsentium; quia exposuit se periculo multos scandalizandi.

Ast notandum peccatum grave aliquandò esse occasionem ruinæ solùm levis, et consequenter leve esse solùm in ratione scandali.

(*a*) Esse possunt in scandalo species subalternæ, v. g., si quis per turpiloquium scandalizet conjugatum. Scandalum tunc est insuper contrà justitiam, quia tenet de adulterio.

(*b*) Idem dicunt multi, et meritò, saltem probabiliùs, de scandalo indirecto.

---

259. Vitanda ergò in genere quæ scandalum pariunt, sed quousquè? Sint:

Regula prima: ad vitandum scandalum pusillorum, si per monitionem vitari nequeat, dimittenda sunt aut non repetenda bona temporalia quorum sumus domini, si jactura eorum non sit magna. Imò, etsi magna foret, si scandalizandus cadere debeat in necessitatem extremam spiritualem. Hic est ordo charitatis.

Si autem simus tantùm administratores, non sunt dimittenda, nisi id necessarium sit ad avertendum malum longè gravius.

Regula 2ª: ad vitandum scandalum pusillorum, actiones indifferentes et opera bona, quæ solùm consilii sunt, omitti debent, si nulla ea faciendi sufficiens sit causa, cum gravitate scandali comparanda.

Vel differenda sunt usquè dùm tollatur occasio scandali, rationem reddendo cur sic agatur; quâ redditâ, scandalum, ait D. Thomas, videtur pharisaicum.

Imò potest esse causa sat gravis non vitandi quæ speciem habent mali.

Et notandum agi solùm hìc de scandalo alicujus aut aliquorum determinatè, quod scitur et prudenter timetur. Intolerabile enim esset actiones quæ mali speciem non

habent, omittere, ob aliquorum forsan indeterminatè scandalum.

Regula 3ª : Nunquàm ad vitandum quodlibet scandalum agere licet contrà jus naturale (*a*).

Neque contrà jus positivum, si scandalum quod timetur pharisaicum sit.

Regula 4ª : ad vitandum scandalum pharisaicum, nulla, neque temporalia, neque spiritualia bona sunt de necessitate dimittenda (*b*).

(*a*) Benè verò probabiliùs, aliquandò saltem, contrà jus positivum. Undè mulier quæ sciret se, assistendo sacro, futuram pro infirmo in castitate, occasionem ruinæ, sacro abstinere deberet, saltèm aliquoties. *P. Thomas* cum Ethicâ amoris.

Imò mulier quæ unicum habere posset confessarium, deberet non confiteri peccatum luxuriæ, si sciret confessarium hunc, ob declarationem hujus peccati, ex infirmitate lapsurum. *P. Thomas*, *Billuart*.

Perpendendum, in his, quidnam, omnibus attentis, sit magis obligans.

(*b*) Huic D. Th. decisioni exceptionem meritò ponunt aliqui, vitandum nempè esse scandalum pharisaicum, per substractionem rerum meri consilii, si nulla sit causa eas faciendi, quia impediri debet quodlibet peccatum alterius, cùm possibile est. Ità Collet, P. Gab. Ant.

---

260. Notanda : 1° Scandalum activum, sive directum, sive indirectum, inducit obligationem ex charitate procurandi emendationem scandalizati.

Et obligationem ex justitiâ, si vi, dolo, fraude, aliove medio injusto fuerit ad peccatum inductus.

2° Confessarius, à confitentibus solùm quòd scandalizaverint, inquirere debet speciem scandali, et statìm videbit an directum vel indirectum fuerit.

Qualitatem scandalizantis, ut si superior.

Qualitatem et numerum scandalizatorum.

An adhùc duret scandalum, in se vel in suis effectibus.

An fuerit causa damnorum.

Deniquè, sed cautè (si fuit *complicitas*), quis primus auctor, sollicitator, etc.

APPENDIX

DE COOPERATIONE PECCATIS ALIENIS.

261. Varii modi peccatis alienis, sive positivè, sive negativè cooperandi, sunt [572] :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Jussio, seu mandatum, sive expressum sit, sive tacitum; quale consilium fraudulentum ; quale etiam dictum vel factum superioris, ex quo concluderet inferior gratum ipsi fore, si peccatum tale committeret.

Consilium, ad quod revocantur preces, promissiones.

Et consulit qui motiva proponit utilitatis, honoris, delectationis, etc.; qui facilitatem ostendit ; qui suggerit impunitatem, monstrat viam vel modum faciendi.

Et à fortiori qui falsam doctrinam docet.

Consensus, seu assensus sive internus, sive externus quem præbet quis peccato alterius.

Palpo eum denotat qui, plausu, laudibus, exprobrationibus, irrisionibus, vituperiis, murmurationibus, susurrationibus, injuriam exaggerando, etc., ad peccatum incitat.

Item qui illud approbat, v. g., judicia temeraria, detractiones, turpes loquelas, quamvis non interiùs.

Recursus denotat eum qui, antè vel post peccatum, peccatori commoditatem, fiduciam, securitatem præbet.

Participans, seu socius aut mediator peccati; vel qui ejus emolumenti est particeps, aliove modo juvat ad illud committendum, vel non reparandum.

Mutus, non obstans, non manifestans, sunt negativè cooperantes, seu ii qui peccatum non impediunt, sive loquendo, sive scribendo, sive non obsistendo, sive peccatorem, antè vel post peccatum, non manifestando, cùm ex justitiâ, charitate, honore Dei, etc., hæc facere debent.

Sed hujus cooperationis reus non est qui, ut corripiat

aut ad bonum alios reducat, illis, quos ad peccatum novit paratos, non aufert peccandi occasionem, si nullum aliud, æquè potens et certum, suppetat medium; modò eos non conjiciat positivè in peccandi periculum (*a*).

(*a*) Sic herus potest, ad probandos domesticos, pecuniam in aperto relinquere; sed non de industria apponere.

Et potest quis permittere consummationem peccati, ut testes habeat ad rem suam recuperandam, si aliter eam recuperare nequeat.

---

262. Certum est 1° non licere unquàm jubere, consulere, approbare rem intrinsecè, aut solum quidem positive malam, sed talem remanentem.

Nec ei consentire.

Certum est 2° illicitum esse, vel ad vitandam mortem, præbere alteri rem aut operam ex se malam (*a*).

Aut ità cooperari ad actionem illius intrinsecè malam, ut concursus sit simultaneus et quasi una eademque actio (*b*).

Secùs, si actio, cui datur cooperatio, non sit mala, sed solùm incompossibilis cum impletione præcepti, modò tamen causa non sit omissionis peccaminosæ (*c*).

Certum est 3° nunquàm peti posse quod sine peccato concedi nequit.

Secùs, si sine peccato concedi queat (ut mutuum sine usurâ), quamvis prævideatur non sine peccato concedendum; modò tamen adsit justa necessitas, et solùm petatur, ut præcisè concedatur, non verò cum peccato.

(*a*) Vel malam ex circumstantiis, ità ut, iis spectatis, ad peccatum omninò proximè ordinetur; v. g., si ad usus malos destinari soleat (nisi constet quòd aliter adhibebitur); vel si medium sit ad peccatum, immediatè saltem, necessarium. Ità multi, qui pro exemplis ponunt dationem venenorum, saltem aliquorum, dationem idoli pagano, ensis ad duellum parato; nisi fortè habeatur in depositum.

Item aperire ostium meretrici, et à fortiori illam inquirere, adducere.

Casus ergò dubii sæpè hìc occurrent, in quibus pars tutior erit eligenda; et si præcepto non cooperandi præceptum aliud adversetur, agendum ut in casu perplexitatis [166].

(*b*) V. g., actu pugnare in bello religionis contrà christianos, tormenta explodendo. Deferre ad concubinam litteras, amatoria turpiave continentes.

(*c*) Hinc non peccat, peccato cooperationis, qui ludit cum eo qui, ex

tædio spiritualium aut aliâ causâ, non verò, ut ludat, missam die festo non audire sibi proposuit; quia ludus habet se tunc solùm concomitanter ad omissionem præcepti, nec est ejus causa.

Excipe si spes aut locus superesset colludentem mutaturum propositum, si non luderet.

---

263. Extrà hos casus, cooperatio, sive per rem, sive per operam ex se licitam, peccaminosa non est, si adsit justa causa, circumstantiis omnibus tùm intrinsecis, tùm extrinsecis respondens; eò major proindè

Quò majus est peccatum cui fit cooperatio, et quò virtuti strictiori opponitur (*a*); vel quò major est obligatio peccatum illud impediendi, ut si obligatio hæc sit justitiæ.

Eò major quò propinquior est cooperatio;

Quò cooperans minus habet jus cooperandi;

Et quò peccans minùs paratus est ad peccandum, si supponatur jam paratus.

Tandem eò major debet esse causa cooperandi quò magìs acceleratur actio peccaminosa;

Et quò plures sunt qui, per cooperationem ad peccatum adjuvabuntur et scandalizabuntur (*b*).

(*a*) Major proindè si contrà justitiam, quàm si contrà religionem. In genere damnum quod quis patietur, non cooperando injustitiæ, debet esse adeò grave, ut non teneatur illud subire ad non cooperandum damno tertii, ità ut iste non censeatur rationabiliter invitus. Sic excusant eum qui ad vitandam mortem, scalam apponit furi. Major et maxima causa requiritur si agatur de cooperatione damno societatis, et vix esse potest causa præponderans malo publico Ecclesiæ vel reipublicæ.

(*b*) Addunt plures: et quò difficiliùs alius cooperator inveniretur.

Sic ergò communiter theologi, qui in hâc intricatâ materiâ nec inter se concordant, nec sibi semper cohærent in consequentiis et casibus particularibus. Sequentia ex variis habeto et similia conclude.

Famulus jussus potest, si aliter domo expellendus sit, equum more solito sternere et herum merè comitari, quamvis noverit eum exire ad peccandum; potest et cibos præparatos ministrare, etsi mensæ assideat meretrix. *Theol. Pict*, etc.

E contrà non licet domum locare meretrici, etiamsi dominus pretio locationis indigeat, nisi, juxtà Sylvium et Pontas, mulier sit ad meretricium resoluta et à republicâ toleranda in eâ civitatis parte in quâ domus elocatur. *Collet*, *Jos. Ant.*

A fortiori non potest domi retineri quæ, primùm casta putata, meretrix deprehenditur, quamvis mala vita ejus occulta sit, et sine scandalo: plùs est enim eam domi retinere, quàm ipsi domum elocare. *Iidem.*

Excusantur vinum sese inebriaturis præbentes, si aliter damnum grave,

ut domûs incendium, timeant. Vel si hi ebriosi peccatum majus committere debeant.

Item excusatur uxor quæ vinum præbet viro suo ebrio et furioso.

Et excusant omnes cauponem qui, ob easdem causas, cibos apponit vetitos, vel cœnam jejunio obligatis. Item juxtà Billuart, Jos. Ant. etc., si, aliter agendo, hospitium omninò aut notabiliter deseratur, ità ut grave lucrum cesset, vel caupones nequeant se suosque sustentare. Sed supponitur quòd cibus vetitus petatur.

Notat Billuart quòd si causa non multum recedat à legitimâ, peccatum erit solum veniale; et Collet quòd non sit scrupulosiùs inquirendum de obligatis ad jejunium, et quòd caupones licitè carnes apponant iis qui satis apparent à præcepto immunes, ut infirmi; vel cùm viri sunt honesti, talesque qui probabiliter judicari possint præcepta Ecclesiæ revereri. Non arbitror casum sic benignè judicandi esse nunc frequentem. In dubio hospes interrogandus, si decorè fieri possit. Si non, potest præsumi quòd jus habeat cœnandi. *Billuart*. Hæc præsumptio, saltem quoàd esum carnium, nunc esset benignior.

Sunt qui faciliùs excusant, modò tamen justa causa sit, qui cibos vetitos apponunt hæreticis in locis ubi promiscuè cum catholicis vivunt, quàm si in locis merè catholicis. Non sat video cur.

Et excusat Sylvius famulum qui sine incommodo gravi cœnam recusare nequit hero jejunare nolenti.

Ast non excusantur qui obligatos ad jejunium ad cœnam invitant, quamvis in domo suâ aut alibi æquè cœnaturos.

Tandem sunt qui excusant eum qui, ex rationabili causâ, implorat à concubinâ judicis intercessionem, etc.

CAPUT IV.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Virtus religionis, dignitate cæteris virtutibus moralibus præstans, inclinat ad reddendum Deo cultum sive internum, sive externum ipsi debitum.

Et quia honoratur Deus in sanctis suis, hùc refertur cultus Deiparæ, Angelorum, Sanctorum, Reliquiarum et sanctarum Imaginum.

SECTIO I.

De actibus virtutis religionis.

Præcipui sunt : adoratio, sacrificium, usus sacramentorum, oblatio rerum temporalium, laus, devotio, oratio, votum et juramentum. Sed hic solùm

ARTICULUS I.

De adoratione et oblatione.

264. Adoratio propriè sumpta est honor Deo exhibitus, propter summam ejus et omnibus superiorem excellentiam, tanquàm primi omnis rei principii ; seu est actus quo Dei infinitam excellentiam, supremum ejus in omnia creata dominium et nostram summam ergà illum submissionem testificamur. De præcepto est, *Dominum Deum tuum adorabis*. Matth. 4.

Alia spiritualis, quæ in solâ mente et corde ;

Alia spiritualis simul et corporalis, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione protestatrici divinæ excellentiæ et nostræ ipsi submissionis.

Si non necessaria, conveniens saltem spiritualis et corporalis adoratio adunata.

Oblatio est, quandò aliquid, non immutandò, offertur immediatè Deo, ejus cultui vel ipsius ministris deputandum.

ARTICULUS II.

De devotione et oratione.

265. Devotio est quædam actualis voluntas promptè tradendi se ad ea quæ ad Dei famulatum pertinent.

Oratio, quæ, latè sumpta, est ascensus mentis ad Deum, strictè intellecta est actus virtutis religionis quo, vel Deo benedicimus, vel petimus ab eo decentia, fidem proindè præsupponens, desideriumque et spem obtinendi.

Ergò petenda ad salutem conducentia ; undè temporalia peti nequeunt principaliter ut in eis finem constituamus, neque determinatè absolutè, quia eventum malum habere possent ; sed conditionatè, si nimirùm saluti expediant, et ut adminicula ad beatitudinem æternam.

Graviter ergò peccarent qui res indifferentes, sine ullâ ad finem debitum relatione, postularent ; quia res istæ, in individuo consideratæ, malæ sunt mortaleque peccatum est

Deum in adjutorium peccati, etiam levis, advocare, nisi bona fides excuset.

Ergò iterùm piè, cum fide, fiduciâ, perseverantiâ, humilitate et attentione orandum.

---

266. Oratio alia vocalis, quæ vera non esset, si in mente nullatenùs fieret.

Alia purè mentalis.

Alia publica, quæ Ecclesiæ auctoritate instituta, nomine totius Ecclesiæ offertur per ministros ad id deputatos (*a*).

Alia privata.

Inter orationes præstat dominica, quam omnes scire tenentur (*b*).

(*a*) Litaniæ B. V. et omnium sanctorum solæ sunt litaniæ ab Ecclesiâ approbatæ, tanquàm publicæ preces. Solæ ergò publicè decantari possunt in divinis officiis. Itâ decrevit Clemens VIII. *Dens.* Sed excipiendum videtur ubi contraria esset consuetudo.

Ast aliæ approbatæ recitari possunt à privatis.

(*b*) Sub mortali, nec gravis negligentia excusaret.

Alicujus culpæ reus est qui eam scit solùm quoàd substantiam; distinctè enim et memoriter singulæ ejus petitiones tenendæ sunt. *Theol. Pict.*

Et, ex consuetudine, omnes probabiliter tenentur scire salutationem angelicam.

---

267. Oratio (*a*) de præcepto est, obligante per se sæpiùs in vitâ (*b*).

Et per accidens, quandò beneficium eximium ad salutem necessarium expectamus; quandò vincenda est gravis tentatio, vel implendum aliquod præceptum, aut opus suscipiendum difficile, ad quod speciale requiritur auxilium (*c*).

(*a*) Etiam vocalis, quia Deo serviendum corpore et mente.

Et præcepta in particulari oratio dominica, inquiunt varii contrà Suarez. Christus enim dixit : *Sic orabitis.* Et Ecclesia : *Præceptis salutaribus moniti... audemus dicere :* Pater noster, etc.

Notat hìc D. Dens Suarezium severè satis censere graviter peccare eum qui, nolens deponere inimicitiam, aut voluntariè manens in affectu ad peccatum mortale, in oratione dominicâ dicit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut*, etc., si hæc proferat non solùm ut orationem communem, sed in eâ sibi postulans remitti peccata, quia præsumptuosè orat et contrà Christi institutionem.

Nota : Sunt, nempe Theol. Pict., P. Gab. Ant., P. Thomas, Collet, Dens, etc., qui orationem dicunt necessariam necessitate medii, quia medium est

ordinarium ad obtinendas gratias ad salutem necessarias. Sed hoc non indicat necessitatem medii strictè dictam.

(b) Ex usu piorum, singulis diebus, præcipuè festivis. *Dens*. Vix à mortali excusari possunt, inquit Paulus Lugd., qui per totam hebdomadam non orant. Quidquid sit, qui preces consuetas manè et vespere negligunt, sæpissimè alia graviora committunt.

(c) Item quandò homo tenetur se justificare, et in manifesto periculo mortis. Quandò oratio videbitur esse medium magis conveniens, ut succurratur necessitati, maximè spirituali nostræ aut proximi. *Dens*. Quandò proximus in eâ constitutus est necessitate, in quâ potest et debet precibus juvari, ut si quis à duello retrahi nequeat; forsan enim precibus ad Deum fusis retrahetur. Cùm regnum, communitas, urbs in magno periculo constituta est; aliter enim quàm per preces Deus non vult liberare. Sic passim auctores.

---

268. Deum solum orare debemus, tanquàm bonorum omnium auctorem. Sed sanctos utiliter invocamus ut intercessores (*a*); imò homines adhùc viventes (*b*).

(*a*) Præceptum esse invocare sanctos aliqui volunt. Sed non dicit Tridentinum,

(*b*) Item pueros baptismate tinctos, è vitâ antè rationis usùm ereptos. *Collet, Theol. Pict.*

Sed de animabus in purgatorio degentibus, dubitatur an possint pro nobis intercedere, ac proindè an possimus eas ut intercessores invocare. Consuetudo Ecclesiæ in omnibus æmulanda, non fert quòd eas invocemus. *Billuart.*

---

269. Orandum est pro omnibus hominibus, et pro animabus in purgatorio detentis, servato ordine charitatis.

---

270. Oratio debitè facta satisfacit, meretur, et impetrat infallibiliter, vel quæ petimus, vel æquivalentia, quandò, saltem pro nobis (*a*), petimus ad salutem conducentia.

(*a*) Nam probabilius videtur fructum orationis etiam ritè factæ pro aliis, non evenire infallibiliter, quia certi non sumus eos huic fructui obicem non ponere. Contra tamen sentiunt alii cum Collet, his innixi: *Quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, exaudit nos.*

Nota : Peccator permanens in affectu peccati mortalis non impetrat. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Dens.* Deponat ergò tunc affectum, aut saltem postulet gratiam illum deponendi.

ARTICULUS III.

De Voto.

§ I.

De naturâ, divisione et causâ efficiente voti.

PUNCTUM I.

271. Votum est promissio plenè deliberata (*a*) facta Deo de meliori bono moraliter possibili.

Hinc 1° Propositum, etiam firmissimum et fervidissimum, si non includat intentionem saltem implicitam (*b*) se aliqualiter strictè obligandi, votum non est, etsi verbo *promitto* enunciatum. Hìc enim ex internis judicandum, et pensanda magìs intentio quàm verba ; ad quod maximè attendendum, cùm spiritu ferventes aut scrupulosi timent ne voverint.

Hinc 2° Ad votum eadem ac ad peccatum mortale requiritur deliberatio ; nec consequenter valet votum cum errore substantiali circà naturam materiæ voti individuæ, circà ejus conditiones et circumstantias substantiales, aut causam ejus finalem (*c*).

Nec votum, solemne saltem (*d*), ex metu gravi injustè incusso ad illud extorquendum.

Sed plenam non fuisse deliberationem non indicat sequens statìm pœnitudo, quin sæpè contrarium.

Nec votum reddit nullum error circà circumstantias ad rem non pertinentes, nisi talis sint momenti, ut defuerit intentio.

Nec error circà conditiones levis momenti, nec circà partem materiæ individuæ, non notabilem respectu totius.

Nec tandem ideò nullum est votum, quòd deficiat finis ejus secundarius, aut causa merè impulsiva, quamvis his prævisis votum factum non fuisset ; nisi tamen hæc pro conditione apposita fuerint.

(a) Juxtà Collet, votum cum semiplenâ deliberatione emissum, posset sub levi obligare. Alii contrà sentiunt. Vide rationes pro et contrà, in casu simili [558, a].

(b) Sufficit enim intentio implicita se obligandi; intentio, v. g., faciendi quod tales faciunt, quamvis voti natura ignoretur, modò tamen suspicetur aliquam contrahi obligationem strictam. Sed quandò circà hoc interrogantur, sæpè nesciunt quid respondeant, ita ut in praxi remaneat dubium. Non tamen necesse est omnia quæ ex voto sequuntur, fuisse prævisa.

Sed valetne votum fictum, seu exteriùs factum sine intentione se obligandi? Neutiquàm. Imò, secluso scandalo aut contemptu, hæc fictio non est per se mortalis, excepto in votis solemnibus. *Suarez, P. Gab. Ant.*, etc. Sed videtur meritò contrà sentire auctor Theol. Pict., quia ibi apparet irrisio in rebus religionis, nisi simplicitas excuset.

Magis videtur valere votum sine intentione illud implendi. Sed difficilè concipitur, saltem in votis privatis, aliquem sibi obligationem liberè imponere quam implere nolit.

(c) Ut, qui voveret ingressum in religionem, credens ibi non esse vota, aut non solemnia.

Sed defectus finis extrinseci non irritat vota solemnia, sicut simplicia; quia in votis solemnibus Ecclesia rejicit conditiones.

(d) Idem probabiliùs dicendum de voto solemni ordinum. Sed de aliis non conveniunt. Invalida itidem ea tunc credunt Collet, Billuart, P. Gab. Ant.; quia, quamvìs jus irritans vota ex metu gravi extorta, non loquatur nisi de solemnibus, hoc ex usu et consuetudine aliis applicatur. Ait Bailly theologos idem communiter sentire post D. Antoninum, de voto simplici castitatis, ad instantiam confessarii à puellâ emisso.

Hæc sat dubia sunt, ut, in casu, petatur dispensatio.

---

272. Votum debet esse de bono, sive in se, sive saltem respectivè (a), meliori; id est, meliori quàm ejus negatio, et non majoris boni ex se exclusorio.

Hinc non valet votum de re malâ, aut sub conditione turpi de futuro, si non sit votum pœnale (b).

Nec votum non vovendi absolutè factum; secùs non vovendi sine consilio.

Nec probabiliùs votum dispensationis non petendæ. Saltem ultimum maneret dispensabile.

Nec, per se loquendo, votum contrà promissionem priorem validam.

Nec votum de re in se, et respectivè, seu omnibus consideratis, indifferenti; quin, per se loquendo, esset peccaminosum (c). Si tamen res indifferens bona evaderet, votum ipsum evaderet validum, si pro hoc casu vovens se obligare intendisset.

Nec votum de re bonâ, sed ex fine non bono emissum, ut

non bibendi vinum ad parcendum sumptibus. Quin tamen indè concludas votum esse invalidum præcisè quia illicitè emissum est, v. g., ex vanâ gloriâ.

Nec tandem votum de re indifferenti, sed ex fine superstitioso, ut non nendi die sabbati, in honorem Beatæ Virginis.

In dubio an res promissa bona sit aut indifferens, votum impleri potest et debet. Secùs in dubio an mala sit aut bona (*d*).

Cæterùm votum fieri potest de re jàm præceptâ, et tunc duplex esset obligatio.

(*a*) Duo objecta contradictoria non possunt esse in se meliora, benè verò unum melius in se et alterum respectivè. Undè emitti nequit votum nudum nubendi, quia virginitas in se matrimonio melior est. Sed votum nubendi videtur ab eo emitti posse pro quo matrimonium respectivè melius est virginitate, in casu scilicet in quo meliùs est nubere quàm uri. Ità multi, inter quos Theol. Pict. Sed iste præsupponit in vovente matrimonium, obligationem specialem nubendi; P. verò Ant. à Goritiâ præsupponit matrimonium esse pro illud vovente, unicum tentationes superandi lapsusque vitandi medium; quod supponi nequit. Rem ergò intellige de necessitate morali.

Juxtà D. Dens, illicitè tunc, sed validè voveretur perpetua castitas. Ipsi libenter assentior, quia imprudentia promissionis eam non reddit invalidam.

Addunt aliqui, et non improbabiliter, valere votum nubendi cum pauperculâ et derelictâ, ob opus charitatis à vovente intentum.

(*b*) Sub hâc conditione, v. g., si occiderim inimicum.

Sed scinduntur theologi circà valorem voti conditionati, quod rem malam supponat, v. g., voveo, etc., si è duello victor rediero. Illud valere existimant Toletus et Suarez. Videtur distinguendum : si conditio in hoc sensu intelligatur : *Si Deus temeritatem meam non puniat;* votum valere videtur, quia malum duelli est merum præsuppositum, non finis intentus. Si autem conditio in hoc sensu intelligatur : *Si occidero;* aut si votum fiat pro gratiis agendis Deo, invalidum videtur, quia fit sub conditione turpi, nempè quòd Deus benedicat rei malæ.

(*c*) Mortaliter, inquit D. Dens, sicut votum de faciendâ re venialiter malâ. Saltem bona fides excusabit ordinariè, nisi fortè adsit superstitio.

(*d*) Tunc, si possibile, inquiunt plures, petenda dispensatio.

PUNCTUM II.

273. Votum aliud est personale, quo ipsamet voventis actio vel omissio ab ipso promittitur (*a*).

Aliud reale, quo res ab actione separabilis;

Et aliud mixtum quo actio simul et res voventur, ut peregrinatio ad aliquam ecclesiam, et donum ipsi faciendum.

Aliud solemne quod, cum solemnitatibus ab Ecclesiâ præscriptis, factum irrevocabiliter, ab eâ acceptatur. Talia et sola sunt votum castitatis in susceptione ordinum, et vota religiosorum in religione à sanctâ Sede approbatâ ut in eâ fiant (*b*).

Aliud simplex, quale omne aliud, etiam cum magnis solemnitatibus emissum.

Aliud absolutum, quod sine conditione, aut cum conditione, sed voto jàm facto appositâ, etsi statìm; non enim illud reddit conditionatum;

Et aliud conditionatum, quod cum conditione emittitur.

Aliud pœnale, sive purè, cùm sola pœna; sive copulativè, cùm actio vel omissio et simul pœna; sive disjunctivè, cùm alterutrum promittitur (*c*).

Aliud non pœnale.

Tandem aliud disjunctivum, aliud temporale, aliud perpetuum.

(*a*) Potest quis vovere actionem alterius à se tanquam res dependentis, v. g., actionem famuli sui. Sed aliter voveri nequit, ità ut obliget eum. Ergò infirmus pro quo consanguinei peregrinationem voverunt ab ipso faciendam, si sanitatem recuperet, non tenetur eam facere, nisi votum ratum habuerit. Nec ipsi consanguinei ad eam in ejus defectum tenentur, nisi talem habuerint intentionem. Tenentur et eum ad illam faciendam hortari, si se sic obligare intenderunt, ut ordinariè.

Quoàd vota communitatum, posteros non obligant; nisi vi legis aut consuetudinis quam communitas vovendo assumpsisset, et quæ posset ab Episcopo abrogari.

(*b*) Si violetur votum solemne, hæc circumstantia declaranda est in confessione, quia gravior est violatio. *Billuart.*

(*c*) Qui vovit dare, quoties jurabit, dare tenetur, etsi juret inadvertenter. quia in medicinam vovit. *Billuart, Dens.* Attendenda tamen ejus intentio, etsi ordinariè talis sit.

PUNCTUM III.

274. Omnes rationis compotes (*a*) et in viâ, vota possunt emittere simplicia (*b*), nisi directè aut indirectè impediantur (*c*).

(*a*) In dubio an sufficiens fuerit rationis usus in vovente (et idem dic de juramentum præstante), præsumitur non fuisse in impubere antè septennium, nisi de contrario constet. *Sanchez.* Sed si dubitetur de ætate quâ votum

emissum est, præsumitur in favorem voti, illud post pubertatem fuisse emissum.

(*b*) Disputant tamen de validitate voti religionem ingrediendi, ab impubere emissi. Validum affirmat D. Thomas. Contrà DD. Bonaventura et Antonius, theologique communiter. Saltem dispensare posset Episcopus, inquiunt multi, quia casus dubius est, etsi solùm dubio juris [284, *b*].

(*c*) Directè per prælatum, patrem, etc., quia eorum voluntati subjacet voluntas voventis religiosi aut impuberis, non in hoc sensu tamen quòd religiosus aut impubes nihil omninò velle possit aut agere sine consensu positivo prælati aut patris; sed solùm contrà ejus voluntatem. Vota hæc sunt ergò de se valida.

Indirectè, cùm materia voti ab altero pendet. Hinc habiles non sunt filiifamiliàs ad vovendum eleemosynas de bonis familiæ.

§ II.

De obligatione, interpretatione et expletione voti.

275. Votum obligat sicut lex, et sicut obligaret Ecclesia (*a*). Graviter ergò in materiâ ex se, circumstantiis vel fine intento gravi; leviter verò in materiâ undequaquè levi.

Sed intentio voventis maximè pensanda est, quia ex eâ pendet votum et quantitas ejus obligationis; posset enim quis sub levi tantùm obligare se in materiâ gravi (*b*), quamvis non è contrà.

Hinc explorandum an qui vovit aliquid leve, sed sæpiùs in vitæ decursu repetendum, voluerit obligare se ad multa levia prout per modum unius coadunata; vel solùm ad multa levia separata et affixa diei (*c*). In hoc enim posteriori casu, nunquàm peccaret mortaliter; in priori verò mortaliter peccaret, et cùm ad materiam gravem perveniret, et singulis vicibus quibus ad eam perveniendi intentionem haberet [419, *b*].

(*a*) Non ergò cum magno detrimento suî aut proximi, nisi detrimentum fuerit legitimè in voto inclusum, ut in voto serviendi peste laborantibus.

(*b*) Quidam hoc non admittunt, sed tàm certum videtur, ut illud tanquàm principium ponere non hæsitaverim. Nam cùm ex intentione voventis pendeat voti obligatio; qui sub levi solùm in materiâ gravi se obligat, aut solùm sub levi obligatur aut nullatenùs. Sed non idem dicendum de juramento.

(*c*) Difficilè sæpè cognosci potest voventis intentio. De eâ ex naturâ rei, ex usu, etc., judicandum. Solent, inquit D. Dens, vota realia in unam materiam intelligi coalescere. Undè vovens dare singulis diebus assem pauperibus, peccat mortaliter cum ad materiam gravem pervenerit, si votum non impleat.

276. Votum strictè interpretandum est.

Interpretandum autem ex intentione voventis, et, si non cognoscatur, ex capacitate et naturâ materiæ (*a*), ex usu recepto, conjecturis, etc. Dein attendi debet, et maximè finis à vovente spectatus, nam ratio volendi mensura est rei volitæ (*b*).

Tandem attendi debent verba quibus vovens usus est, accipiendaque in communi sensu, si nihil obstet.

Ast his omnibus perpensis, sæpè remanebit dubium de emissione et extensione voti.

In quo dubio pars tutior eligenda (*c*) et votum implendum quoàd totum, etsi materia ejus esset divisibilis. Non enim hìc, sicut in materiis justitiæ, duo jura opponuntur. Vel petenda dispensatio, si, etc.

(*a*) Sic qui vovisset diebus omnibus jejunare, non teneretur diebus dominicis. Si autem omnibus diebus à carnibus abstinere, dominicis abstineat.

Qui verò vovisset jejunare quâlibet feriâ 6, teneretur jejunare die festo, etiam nativitatis Domini, inquiunt aliqui, in feriam sextam incidente.

Sic adhuc, qui vovit pluribus diebus à vino abstinere, satisfacit, si aliquibus abstineat, nisi majus intenderit. Qui vovit dare eleemosynam, satisfacit dando modicam, nisi, habitâ ratione conditionis et circumstantiarum, sit quasi nulla.

Sic tandem religiosus qui vovet regulam, vovet eam sicut observatur, non quoàd primævos rigores. Semper tamen quoàd fundamentalia, licèt ex abusu non serventur.

(*b*) Qui ergò dubitat an vovendo castitatem, perfectam voverit, perfectam vovisse censetur, si ex amore castitatis vovit. E contrà eam non vovit, qui, ex solo odio fornicationis, promisit Deo mulierem non cognoscere. Hic videtur nubere posse.

(*c*) Dubium paulò pòst exurgens an votum aut solum propositum emissum sit, indicat quòd solum propositum. *Dens.* Et reverà, si votum fuisset, non statìm è memoriâ excidisset.

Qui per biennium aliquid fecit tanquàm ex voto, et incipit dubitare, præsumere debet se vovisse. E contrà qui post tres annos incipit dubitare an voverit. *Idem.* Fieri tamen posse videtur quod persona timoratæ multùm conscientiæ propositum simplex pro voto habuerit et impleverit, credens se obligatam.

Tandem rationes hìc dubitandi, sæpè, benè ponderatæ leves sunt respectu eorum timoratorum qui non facilè vota emittunt, emissa diligenter implent, nec facilè obliviscuntur obligationum quas contraxerunt. Dubium ergò contemnendum. *Varii.*

Nota tamen quòd si dubium versetur, non circà votum ipsum, sed circà ejus extensionem, strictior in favorem voti interpretatio facienda sit. Undè

...ubere, debet
...tem delibera-
...n ex passione
...debet.

...præsenti,
...æquivalenti

...necessario,

...t eam per
...dò intuitu

...exspectan-

...upserit; voto
...bbicis qui per

...tur, si in eam
...tur aliam in-

...enetur multis,
...regiones lon-

...; puella extrà

...em impediret
...quòd sanitatem

... Posset nihilo-
...ationabiles ut

..., nec quòd
...ale sit quod

...orium reale
...t illud im-
...es.
... reale est;

Et si plura sint vota realia, ad quæ, solutis debitis ex justitiâ, non sufficiat hæreditas, excellentiora, et, inter æquè excellentia, priùs emissa adimplenda sunt.

---

279. De tempore impletionis voti ratiocinandum sicut de tempore implendæ legis, nisi alia fuerit voventis intentio [130] (*a*).

Nota : Voti renovatio novam non inducit obligationem.

Nec è contrà mortaliter peccat qui dolet de voti emissione, modò non, ex gravi acediâ, tanquàm de bono Dei (*b*).

(*a*) Si tempus non sit præfixum, dilatio moraliter intelligi debet, ut reputetur peccaminosa, quia talis est intentio voventis.

Imò, juxtà quosdam, vota, quæ ex dilatione nullam patiuntur diminutionem, ut jejunium, peregrinatio, etc., possunt, sine peccato mortali, quantùmlibet remitti, nisi periculum sit ea omninò omittendi, propter oblivionem aut propter aliquod impedimentum futurum, ut senium, etc.; quia, inquiunt, qui dat totum quod promisit, si damnum ex morâ promissario adveniat nullum, non videtur culpæ gravis damnandus. Aliundè talis videtur voventium intentio.

Hæc sententia videtur Billuart probabilis, et multis occurrens scrupulis. Saltem certum est majorem tunc ad mortale requiri dilationem quàm in votis quæ diminutionem ex morâ patiuntur, ut in voto ingredendi religionem; et non statìm ad iterandas confessiones adigendos esse qui non parvo tempore talium votorum executionem distulerunt, saltem si non ex intentò. Considerandus gradus negligentiæ, etc.

(*b*) Juxtà D. Dens, opus voto promissum fieri debet ex intentione saltem virtuali et implicitâ voto satisfaciendi, quia aliter non esset formaliter opus voti, neque actus religionis vi voti [128, *e*] : qui modus intrinsecus tamen est obligationi. Et rectè sentire videtur; sicut enim immemor debiti justitiæ non satisfacit per donationem nisi [553], etc., quia non facit opus justitiæ ad quod tenetur, ità immemor voti (quod est quasi obligatio justitiæ ergà Deum) ei non satisfacit per actum ergà Deum donatorium.

§ III.

De cessatione voti.

PUNCTUM I.

De cessatione voti ab intrinseco.

280. Voti obligatio cessat ab intrinseco,
Elapso tempore ad eam præfixo;
Non verificatâ conditione voto appositâ;

Cessante totâ ejus causâ finali, non verò solâ impulsivâ;

Et si materia ejus ità mutetur, ut faciat quasi aliud objectum (*a*); talis enim fuit intentio tacita voventis.

Mutatio autem notabilis est, si materia voti mala evadat, ut si in religione quam quis, et non aliam, particulariter voverit, non servetur regula, nisi tamen brevì restituenda sit,

Aut si evadat longè difficilior et moraliter impossibilis, ut si votum impleri non possit sine gravi incommodo ipsi extrinseco, vires superante voventis non ejus voluntatem.

Sed si materia voti divisibilis sit et remaneat quoàd partem possibilis, quoàd hanc votum obligat, nisi pars illa merum sit accessorium, aut aliam intentionem habuerit vovens, vel causariè habuisse præsumatur (*b*).

Quòd si impossibilitas versetur solùm circà modum, votum implendum est alio modo, nisi modus fuerit principaliter intentus, et tanquàm conditio sine quâ non.

Ergò qui disjunctivè vovit, uno impossibili facto, tenetur ad aliud, nisi indè eveniat notabilis mutatio.

Et qui vota emisit incompossibilia servare debet excellentius; et priùs emissum, si æqualia sint.

Sed hìc sedulò notandum non omnes difficultates quæ, prævisæ, votum impediissent, illius obligationem auferre; sed eas solùm quæ, mutatis circumstantiis, adeò sunt notabiles, vel deprehenduntur ità improvisæ, ut secundùm judicium prudentum, res promissa censeatur transire in statum quem vovens non promisit.

(*a*) Etsi per culpam acciderit. *Dens.*

(*b*) Vi voti ergò ad castitatem tenetur puella, quæ castitatem voverat, etsi eam perdiderit, nisi, quod rarum, intenderit abstinere solùm à primo actu per quem perdita est.

E contrà qui vovit ecclesiam ædificare, non tenetur fundamenta jacere, si id solùm possit. Sunt tamen qui eum obligant ad ædificandum capellam. Videnda ejus intentio.

PUNCTUM II.

De cessatione voti ab extrinseco.

VOTUM cessat ab extrinseco per irritationem, dispensationem et commutationem.

QUÆSTIUNCULA I.

De cessatione voti per irritationem.

281. VOTI irritatio est ejus obligationis ablatio, facta nomine proprio, ab eo cujus potestati naturali aut spirituali dominatrici, voluntas voventis aut voti materia subjicitur.

Si voventis voluntas subjecta sit, directa dicitur irritatio;

Si verò sola voti materia, indirecta appellatur, et est potiùs voti suspensio quàm irritatio.

Vota irritare possunt directè

Superiores religiosorum ergà suos subditos, excepto vota aretioris religionis;

Et pater, ejusve vices gerens, ergà filios impuberes (a).

Hæc fundantur in eo quòd illa vota emissa sint sub tacitâ conditione consensûs illius cui subest voluntas voventis.

Indirectè verò pater irritare potest vota filiorum, etiam puberùm, quæ obsunt gubernationi familiæ;

Herus, famulorum vota quæ impediunt aut minuunt obsequium;

Conjuges, conjugum vota quæ eorum respectivè juribus obsunt.

Sed hæc, de præsenti materiâ, quæ vix practica est, dicta sufficiant. Cætera, si casus eveniat, vide apud auctores; solùm nota irritationem factam sine causâ validam esse, sed illicitam, illicitèque peti.

Attamen non vident ibi peccatum nisi veniale ordinariè.

(a) Etiamsi, probabiliùs, filius pubertatem adeptus sit à voto emisso, nisi illud ratum habuerit.

QUÆSTIUNCULA II.

De cessatione voti per dispensationem.

282. ECCLESIA, ex potestate ligandi et solvendi à Christo acceptâ, usuque constanti, potest in votis dispensare, sicut in suis legibus, sed cum hâc differentiâ essentiali, etc. Vide N° 143, *a*.

Potestas hæc jurisdictionis est, et quidem fori externi, potestque ergò à simplici clerico exerceri, et aliis delegari.

Sed notandum illam non extendi ad vota continentiæ promissionem à tertio acceptatam, nisi commune aut Ecclesiæ bonum dispensari etiam tunc exigat.

Potestas in votis dispensandi competit

1° S. Pontifici in totâ Ecclesiâ, et pro omni, etiam solemni, voto dispensabili.

2° Episcopis, et quasi episcopalem jurisdictionem habentibus, nempè vicariis generalibus (*a*); capitulo, sede vacante; et prælatis religiosorum ergà suos subditos (*b*).

Quì autem ab his delegantur, attendere debent quousque extendat se potestas sibi concessa, ad quæ vota, ergà quos, et quis modus eam validè et licitè exercendi [142, *e*].

(*a*) Juxtà quosdam, vicarii generales debent habere specialem ad hoc facultatem.

(*b*) Multi censent Episcopos non posse nisi suos subditos in votis dispensare. Possunt tamen, urgente aliquâ necessitate spirituali, vota peregrinorum et scholarium suspendere, usquequò ad Episcopum suum recurrant.

---

283. Causæ à voto dispensandi sunt generatìm damnum temporale vel spirituale (*a*), sed insuper

Minùs perfecta deliberatio et inconsideratio voventis, ut, si ex metu, pueritiâ, scrupulo voverit (*b*);

Magna voti implendi difficultas non prævisa, sed inopinatò occurrens, nec consequenter Deo oblata; vel dubium an votum impleri possit;

Major voventis utilitas spiritualis;

Bonum commune, aliæque similes;

Quæ naturæ voti sint proportionatæ.

In dubio de causæ sufficientiâ, hâc ingenuè expositâ, in tuto est dispensatus.

Sed causa non sufficiens ad dispensandum, sufficere potést ad commutandum, ordinarièque sic in votis dispensatur.

(a) Veniens occasione voti, ut graves scrupuli; periculum incontinentiæ, non quodvis, sed maximum; magna fragilitas voventis, ob quam timetur frequens voti violatio; maximè quandò circumstantiæ tales occurrunt, ut dubium sit an votum subsistat. *Billuart*, etc.

(b) Volunt multi contrà Salmanticenses, causam hanc non valere solam, si votum remaneat utile voventi.

Saltem causa hæc, aliave quævis, sufficere non videtur, si agatur de auferendo penitùs, etiam per commutationem, toto voto castitatis, ita ut vovens non peccet contrà votum, peccando contrà castitatem; tunc enim dispensatur solùm ut in matrimonio inveniatur remedium. Cùm enim jure naturæ et divino quis jam teneatur vitare peccata contrà castitatem, cur per dispensationem tolleretur vinculum novum quo quis astrinxit se ad illa vitanda?

APPENDIX

DE VOTIS S. P. RESERVATIS.

284. Præter vota solemnia, alia quinque S. P. reservantur, suntque vota

Castitatis perfectæ et perpetuæ;
Ingrediendi religionem approbatam;
Peregrinationis hierosolymitanæ;
Romanæ ad limina Apostolorum;
Et Compostellanæ ad S. Jacobum (*a*).

Ut autem vota hæc reserventur, quatuor requiruntur.

1° Ut sint certa, et quoàd emissionem in se, vel prout sufficienter deliberatam; et quoàd extensionem; et quoàd reservationem (*b*).

2° Ut sint integra, seu perfecta in suâ specie.

Hinc non reservatur votum suscipiendi ordines, quia nondùm est votum castitatis; nec votum non nubendi, mulierem non tangendi, non perdendi castitatem per primum actum, illam servandi pro tali solùm tempore; quia omnia hæc non sunt votum perfectæ et perpetuæ castitatis, nisi de intentione contrariâ constet (*c*).

3° Ut sint absoluta et determinata (*d*).

Nota : remanente verâ voti reservati materiâ et ratione, Episcopi tamen dispensare possunt per Epikeïam, quandò ad summum Pontificem recursus est impossibilis, aut valdè difficilis, sive ob locorum distantiam, bella, paupertatem voventis qui non potest sumptus facere, si simul gravis urgeat necessitas dispensationem maturandi, ob periculum peccati, scandali, etc. Ex vulgari enim axiomate, casus papalis, superveniente impedimento, fit episcopalis (*e*).

Sed sic ex Epikeïa dispensare nequeunt delegati (*f*), neque commutare etiam in jubilæo.

(*a*) Hæc vota reservantur solùm quoàd substantiam, non quoàd circumstantias, quia odia restringenda. Sic communiter.

(*b*) Sic communiter. Sed, vide N. 99, *c*.

Addunt alii contrà alios non reservari vota ex dolo et metu etiam levi injustè incusso ; imò nec vota emissa ut solùm sub levi obligatura.

(*c*) Sic votum servandi perpetuam virginitatem, ex intentione voventium ordinariè continet votum castitatis perfectæ, nisi vovens per hoc intelligat solùm abstinentiam perpetuam à nuptiis et à copulâ illicitâ, ut fieri potest. Imò si intellexerit solùm claustri integritatem, perditâ virginitate, ad nihil amplius vi voti teneretur. *Billuart*, et meritò.

(*d*) Vel, probabiliùs, in absoluta et determinata transierint per conditionis eventum, electionem partis disjunctivæ, vel, si pœnalia sint, culpa jam sit commissa. Multi tamen, Col. And. Bailly, P. Ant. à Goritiâ volunt ea nec tunc reservari, quia, inquiunt, intentio voventis non est perfecta. Esto. Sed hoc non impedit quin votum perfectum evaserit et absolutum. Saltem tutior est priorum sententia. Imò non desunt qui ut reservata habent vota conditionata, etc.

(*e*) Tunc Episcopi possunt saltem suspendere obligationem.

(*f*) Neque in casibus dubiis. *Dens*.

QUÆSTIUNCULA III.

De cessatione voti per commutationem.

285. Habentes potestatem (*a*) dispensandi in votis possunt à fortiori ea, etsi jàm violata, commutare [142, *e*];

Etiam quoàd pœnam, si quam vovens sibi imposuerit, et jàm incurrerit, nisi commutans potestatem habeat tantùm relatè ad futurum;

Et quamvis vota, etiam reservata, jàm fuerint à S. P. commutata, modò non in opus reservatum.

Sed notandum 1° potestatem ab Episcopo delegatam vota commutandi, non se extendere ad vota S. P. reservata, etiam in casibus in quibus Episcopo devolvuntur, nisi dicatur; nec ad ea à quibus solùm per Epikeïam dispensant Episcopi.

2° Vota non commutari, nisi in quantùm petitur, et quoàd votum ipsum, et pœnam præteritam vel futuram. Petitio simplex intelligitur pro futuro. Sed si generalis sit quoàd omnia et præterita et futura, valet commutatio, etsi petitio mentionem commutationis pœnæ à Papâ jàm obtentæ non contineat.

3° A vovente acceptandam esse commutationem (et idem dic de dispensatione), quia non pendet à superiore; nec valeret, si, recusata, posteà acceptaretur.

Et ipsi voventes possunt, ex communi sententiâ, vota sua commutare, nisi hæc commutatio ab Ecclesiâ specialiter prohibeatur (*b*).

Ast, à quocumque fiat commutatio, non sit in detrimentum tertii.

(*a*) Etiam delegatam, juxta communiorem.

(*b*) Qualis olim commutatio voti in subsidium terræ sanctæ; et qualis, juxtà aliquos voti cujuslibet reservati commutatio, nisi fiat in votum solemne religionis.

---

286. Cùm commutatio fit ab ipso vovente, fieri debet in opus aliundè non præceptum, et evidenter meliùs, seu magìs proficuum saluti, et Deo, omnibus attentis, gratius, quamvis non dignius ratione objecti; v. g., in opus quòd passiones magìs coercebit (*a*).

Cùm autem à superiore aut ejus delegato fit commutatio, fieri potest in opus æquale, imò minus, si sic exigat causæ commutandi gravitas operi subrogato comparata (*b*).

Commutatio tamen sit, quantùm moraliter fieri potest, in opus æquale, licet minùs onerosum.

Hìc notandum 1° eum, cujus votum in opus æquale, vel minus, commutatum est, posse ad prius redire, quia talis præsumitur Dei voluntas et intentio commutationem petentis (*c*).

Non autem, si in majus, quia sive à superiore facta sit tunc commutatio à vovente acceptata; sive ab ipso vovente, novum votum est.

Notandum 2°, quòd, impossibili evadente materiâ subrogatâ, vovens non teneatur ad prius votum redire, si opus subrogatum melius priore sit (*d*).

(*a*) Non ergò, ordinariè saltem, jejunium in orationes, aiunt plures.

Juxtà D. Dens, qui vovit dare Ecclesiæ S. Petri, non potest meritò, propriâ auctoritate, dare Ecclesiæ sancti Pauli, quia mutatio fieret non in melius.

(*b*) In praxi; Votum castitatis perpetuæ commutari potest in castitatem conjugalem (quod necessarium est), tùm simul in confessionem et communionem singulis mensibus, recitationem quotidianam tertiæ partis rosarii, jejunium singulis sextis feriis. *P. Ant. à Gorilid.*

Sed ordinariè rescripta pontificia opera subroganda, saltem partialiter indicant.

Votum religionis ingrediendæ commutari potest in statum sacerdotalem aut castitatem conjugalem, tùm simul in recitationem quotidianam officii divini aut integri rosarii, jejunia religionis illius, aliquas eleemosynas singulis annis in honorem fundatoris hujus religionis, et confessionem communionemque bis in mense.

Votum peregrinationis in confessionem, communionem, et visitationes sanctorum ad quos directa erat peregrinatio, habitâ reflexione tùm ad labores itineris supplendos per alia opera injungenda, tùm ad expensas, quas facere debuisset, saltem in accessu et morâ, juxtà decentiam sui statûs, supplendas pecuniâ, vel illi ecclesiæ ad quam peregrinari statuerat, vel alteri, vel pauperibus erogandâ. Disputant an computari debeat pecunia pro regressu. *Idem.*

Hìc tamen non scrupulosiùs agendum, ut attingatur æqualitas; quia commutatio etiam simplex, et seclusâ omni dispensatione, fit in aliquam allevationem voventis; et aliter scrupulos magis foveret quàm prodesset. Ad attingendam autem moralem æqualitatem, spectari debet non solùm materia rei proxima, seu ejus difficultas, asperitas, austeritas, sed id quòd, attento fine voventis, ejus ætate, sexu, inopiâ, infirmitate, magìs ad salutem ipsius conducit et ad gloriam Dei. *Varii.*

Dubium solum an sit æqualitas, facit quòd parvus censeatur excessus aut defectus.

Sunt tamen qui de mortali arguunt delegatum ad simpliciter commutandum, qui moralem æqualitatem non attingit culpabiliter. Hìc ergò, sicut vitandus scrupulus, ità et timenda nimia benignitas.

Cæterùm confessarius qui de se diffidit, potest votum commutare in opera à doctiori designanda.

(*c*) Tutiùs dicatur ei cujus votum commutatur, quòd redire ad prius poterit; quia non spernenda sententia existimantium non licere redire ad prius, si commutatio facta fuerit absolutè; videtur enim exurgere ex commutatione absolutà votum aliud.

Ast quid, si votum idem, multoties commutatum fuerit? Vovens potest

eligere; et juxta plures, si nullum impleret, peccaret contrà melius. Mihi videtur cum aliis quòd peccaret contrà ultimò subrogatum.

(d) Probabilius, etsi solùm æquale; quia auctoritate Dei opus subrogatum est, et factum censetur votum novum. Contrà tamen sentit Collet. Ratio ejus est quòd vovens plus haberet libertatis post commutationem quàm antè. Posset enim redire ad votum prius, et ad id non teneretur, materiâ posterioris evadente impossibili. Quæ ratio nulla videtur. Nam, si votum non fuisset commutatum, vovens liber evasisset, priore voto evadente impossibili.

Sed quid, si culpâ voventis opus subrogatum fiat impossibile? Billuart, P. Ant. à Goritiâ negant ad prius esse redeundum, et suam sententiam dicit iste communem. Ast talis vovens reus est, plus minùsve in causâ, violationis voti; et in pœnitentiam obligarem eum ad aliquid culpæ suæ *proportionatum*, si non ad toti voto æquivalens.

Prudenter ergò dicat confessarius : *Redibis ad prius votum, si opus in quod illud commuto, tibi fiat impossibile, nec aliter commuto.*

---

287. Ad vota commutanda causæ probabiliùs requiruntur, saltem si in æqualia, et à fortiori si in minora opera, quia commutatio videtur partialis dispensatio.

Majores ergò si in minora, minores si in æqualia (*a*).

(*a*) Venialiter peccare censendus est qui sine justâ causâ vota commutat in æqualia; mortaliter si in notabiliter minora, tuncque commutatio nulla est. *Billuart et alii,* saltem ut probabiliùs.

Ad commutandum in opus æquale, sufficit causa levis, ut major in exequendo opere subrogato voventis devotio et studium; aut si vovens instanter petat ut suæ fragilitati succurratur. Item levitas et perturbatio in voti emissione; difficultas notabilis in exequendo, et aliæ causæ ad arbitrium viri prudentis, non tantæ tamen quantæ ad dispensandum. In genere sufficit causa quam superior judicavit sufficientem. *Collet*, etc.

ANNOTANDA PRO TEMPORE JUBILÆI.

288. Attendendæ clausulæ omnes bullæ pontificiæ, juxtà quas

1° Ordinariè in tribunali solùm et confessione auditâ, facienda est votorum commutatio (*a*).

2° Potest et debet confessarius commutationem voti jàm à se, aut ab alio, tempore jubilæi inchoatam, et non nisi ob rationem justam, v. g., ut magis ponderarentur causæ, dilatam, finire post jubilæum, modò vota commutanda fuerint saltem in genere, tempore jubilæi declarata (*b*).

3° Vota tempore jubilæi emissa, eo durante, commutari possunt (*c*).

4° Ad validitatem commutationis requiritur intentio lu-

crandi jubilæum. Caderet commutatio, si vovens opera ad jubilæum præscripta non exequeretur, si sub hâc conditione facta fuit (*d*).

(*a*) Valeret tamen, juxtà multos, commutatio facta extrà tribunal, sed illicitè fieret, ni sic permittat rescriptum.

(*b*) Si pœnitens votorum omnium non recordatus, ea non nisi in genere declaret, potest confessarius ei dicere : Commuto omnia vota tua prudenter commutabilia, in id quod ego posteà, vel alter, judicabimus. *Collet.*

(*c*) Etiam in hebdomadâ secundâ probabiliùs, etsi vovens jam fuerit in primâ jubilæum lucratus. *Varii.*

(*d*) Si autem commutatio absolutè facta sit, videtur subsistere, quamvis vovens jubilæi opera non faciat. *Varii.* Peccat tamen tunc, sed probabiliùs solùm venialiter. *Billuart.*

---

289. Hìc seduliùs notandum, ut jàm suprà indicatum est, delegationem tempore jubilæi concessam [284], aut alio à S. P. obtentam ad vota commutanda, non extendi, etiam in casu necessitatis, ad vota quæ ex epikeïâ, et in casu extraordinario, possunt Episcopi commutare; v. g., ad vota certa et absoluta castitatis; sed solùm ad ea quæ potestati Episcoporum ordinariæ subjacent. Papa enim non censetur delegare pro casibus extraordinariis, in quibus, ob necessitatem, reservatio non censetur Episcopos ligare.

Notandum tandem nullam in jure præscriptam esse formulam pro dispensatione à votis, eorumve commutatione.

SECTIO II.

De vitiis virtuti religionis oppositis.

Alia sub nomine irreligiositatis, per defectum ; et alia, sub nomine superstitionis, per excessum religioni opponuntur.

ARTICULUS I.

De vitiis per defectum, etc., seu de irreligiositate.

Hic solum

§ I.

De tentatione Dei.

290. Deus tentatur cùm ejus petitur auxilium ad opus pravum; et tunc inductionis;

Et cùm per abusum gratiarum, ad iracundiam provocatur; et tunc provocationis;

Et cùm fit aliquid aut omittitur ad capiendum experimentum potentiæ vel alterius perfectionis divinæ, per effectum extraordinarium temerè expectatum, et tunc probationis tentatio nuncupatur.

Tentatio probationis est,

Alia formalis et expressa, cùm nempè reipsà dubitando aut diffidendo de aliquâ perfectione divinâ, à Deo ex proposito petitur, vel agitur aliquid cum animo experiendi illius perfectionis veritatem;

Alia virtualis et interpretativa, cùm quis, de perfectione divinâ non dubitans, neque intendens illius capere experimentum, nihilominùs aliquid facit aut omittit, quod suâ naturâ ad illud experimentum refertur (*a*).

(*a*) Tentationis formalis exemplum haberes in eo qui se in puteum projiceret, ad videndum an Deus bonus sit et potens ad illum servandum.

Virtualis, in eo qui sanitatem optando, uti non vult mediis ordinariis, sperans illam à solo Deo; et in eo qui, extra casum necessitatis, absque studio vult prædicare, sperans Deum dicenda sibi suggesturum. Hâc spe seclusâ, esset solùm præsumptio.

Sed Deus non tentatur, cùm mediis ordinariis deficientibus, necessitate cogente, aut honore Dei et Religionis defensione exigentibus, à Deo petitur effectus extraordinarius, sibi aut aliis utilis, illum nec sibi promittendo, nec absolutè expectando. Sed ad petendum tunc miraculum, impulsus Dei specialis requiritur.

---

291. Probationis tentatio formalis et expressa, mortalis est *ex toto genere suo*, contrà fidem, spem et religionem [194].

Virtualis autem, simpliciter saltem *ex genere suo* mortalis est; non rarò venialis, saltem per accidens, ex ignorantiâ nempè, ex simplicitate et inconsideratione (*a*).

Inductionis itidem *ex toto genere suo* mortalis.
Et provocationis, sæpè venialis.

(a) Tentationem probationis virtualem, materiæ levitatem itidem non admittere, ut probabilius habent quidam, eò quòd sive per grave, sive per leve medium, exploretur Dei potentia, injuria ipsi irrogetur magna, et eò major quò levior est effectus qui expectatur. Alii verò autumant eam venialem esse posse ex levitate materiæ, ut cùm quis imparatus accedit ad prædicandum vel orandum, sperans auxilium extraordinarium et fructum orationis, etc., sive quia parvum est periculum cui se objicit, aut res petitur non valdè extraordinaria.

Priori sententiæ lubentiùs adhærerem, annotando tamen, ut modò, hanc Dei tentationem esse sæpè venialem ex imperfectione actûs.

§ II.

De sacrilegio.

292. Sacrilegium est indigna per actionem vel omissionem rei sacræ (a) tractatio.

Rerum sacrarum duplex præcipua classis : aliæ enim tales sunt ex se, ut sacramenta ; et aliæ, quia ad usum sacrum sunt ab Ecclesiâ deputatæ (b), nec ergò ad usus profanos adhibendæ.

(a) *In eo in quo sacra est*, addunt Billuart et Dens. Religiosus, v. g., consecratur ad munditiem. Ergò non est sacrilegus, si, v. g., detrahat de aliquo, quia per hoc non lædit munditiem suam ; et à contrario non est sacrilegus qui in eum peccaret modo munditiem non attingente. Communiter excipiunt saltem mox dicenda numero sequenti.

(b) Id est, probabiliùs Deo specialiter dicatæ, seu publico ritu, aut institutione ad Dei cultum dedicatæ. *Theol. Pictav. Billuart. P. Ant. à Goritiâ.*

Nonnulli tamen sacram dicunt rem proximè inservientem ad ornatum Ecclesiæ aut ministrorum ejus, quamvis non sit benedicta, ut cerei, thuribulum, cappa, aliaque, imò et legata pia. *Billuart.* Saltem non decens est quòd usibus profanis inserviant.

---

293. Triplex est sacrilegii species :

Locale, quo locus Deo consecratus (a);

Personale, quo persona Deo dicata (b);

Et reale, quo alia quælibet res, specialiter cultui divino mancipata, profanatur (c).

Locus sacer profanatur per portarum effractionem, altaris eversionem, bonorum ejus spoliationem ; per pollutionem et

alia, quæ, licèt eum non polluant, ejus tamen sanctitati repugnant, vel ex naturâ suâ, ut furtum (*d*), rixæ, deambulatio; vel ex Ecclesiæ prohibitione, ut negotiatio et saltem quædam peccata (*e*).

Item si violetur ejus immunitas.

Profanatur persona sacra per violentam et contumeliosam actionem in eam;

Per traductionem ejus ad tribunal sæculare contrà privilegium fori;

Per ipsius, contrà immunitatem ecclesiasticam et sine auctoritate legitimâ, oneribus publicis subjectionem;

Tandem per peccatum quodvis contrà castitatem, sive ipsius personæ sacræ, sive complicis, sive corpore, sive mente solùm commissum, quod sacrilegium eò gravius est quò persona est sacratior (*f*).

Tandem res sacra profanatur tractatu indigno quovis, vel non dignè eam servando, permittendo, v. g., species sacras in pixide corrumpi, vel fontem baptismalem, etc., ab immunditiis non custodiendo (*g*).

(*a*) Id est, consecratus vel benedictus secundùm communem praxim, ut ecclesia, cœmeterium, capellæ et oratoria Episcopi auctoritate ad cultum Dei deputata per positionem primi lapidis, crucis erectionem aut aliud signum simile. *Varii.*

Locis sacris annumerantur monasteria et xenodochia auctoritate Episcopi erecta. *P. Ant. à Goritiâ* contrà *Collet*, si agatur de sacrilegio.

Ecclesiæ nondùm benedictæ, turris tintinnabulorum, loca ubi Episcopi licentiâ celebratur, locus suprà tectum ecclesiæ, non sunt loca sacra. *Collet.*

(*b*) Juxtà aliquos votum simplex castitatis personam reddit sacram, quia per suam privatam voluntatem se consecrat, nec ad hoc opus est Ecclesiæ deputatione. Ità Billuart. Alii requirunt ut votum, etsi simplex, sit ritu solemni emissum. Ità theol. Pictav. Quæ sententia conformior est definitioni rei sacræ.

Contrà votum ergò peccat persona voto simplici castitatis ligata, si peccet contrà castitatem; sed in sententiâ contrariâ menti Billuart non facit sacrilegium, quia (et hæc ratio vincit) non ideò quis se propriâ voluntate consecrat, quòd castitatem præcisè voveat.

(*c*) Sive ex naturâ suâ sacra sit, ut scriptura sacra, sacramenta, crux, imagines sanctorum, reliquiæ, nomina Dei et sanctorum, etc., sive ex consecratione aut benedictione Ecclesiæ, ut vasa sacra, vestes sacræ, bona ecclesiæ, aqua benedicta, uno verbo, quæ ex usibus profanis extracta, ad Dei cultum per benedictionem transierunt.

(*d*) Rei sacræ, aut profanæ, sed in loco sacro, saltem sub azilo, depositæ. Si res sacra de loco sacro auferatur, sacrilegium est duplex, reale nempè

et locale; sed non conveniunt an committatur sacrilegium locale, cùm aufertur de loco sacro res non sacra, quæ sub azilo ibi non fuerat deposita, sed quam quis secum asportaverat, aut ibi reliquerat per oblivionem. Probabiliorem credunt theol. Pictav. et Billuart sententiam affirmantem, quæ est Cajetani, Sylvestri et Sylvii, quia jus indefinitè sic loquitur: « Similiter » sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de » sacro, sive sacrum de non sacro. » Cap. *quisquis*, causâ 17, q. 4. Contrà sentit D. Dens, cui, ob mox dicenda de peccato in ecclesiâ commisso, lubenter adhærerem, ni obstaret juris textus hìc relatus.

(*e*) Talia sunt, quæ si essent publica, locum sacrum pollucrent [915]. Talia adhùc quæ, ob reverentiam loco sacro debitam, ab Ecclesiâ specialiter prohibentur in eo, licèt occulta sint, ut furtum, pollutio et peccata pollutioni affinia, si externa sint, inquiunt Collet, P. Gab. Ant. Thomas ex Charmes, Bailly, v. g., tactus et aspectus impudici. Sed alii, theol. Pictav. Billuart, etc., contrarium probabilius existimant, si agatur de peccatis aliis, quàm quæ sunt ab Ecclesiâ specialiter prohibita. Porrò pollutio equidem specialiter ab Ecclesiâ in loco sacro prohibetur, sed non peccata pollutioni affinia.

A fortiori cum iisdem crederem peccata aliarum specierum, etiam externa in ecclesiâ commissa, ut detractio, sacrilegia non esse, sicut omne peccatum personæ Deo sacræ non est sacrilegium. Quia tamen multi contrarium affirmant, præsertim de peccatis externis, ob jus naturale vetans quamlibet irreverentiam in loco sacro; quia concilium Lugdunense, cap. *decet*, prohibet in ecclesiâ quæcumque possunt divinæ majestatis oculos offendere; quia ex iis qui negant ea esse sacrilegia, sunt, ut P. Thomas, Rit. Bis., etc. qui volunt circumstantiam loci sacri esse aggravantem; et quia tandem fidelium praxis est confiteri circumstantiam hanc, cùm quid grave externum in eo perpetrârunt; hanc praxim, ut tutiorem et non difficilem, saltem consulerem, etsi forsan communiùs hæc circumstantia non habeatur ut mortalis. Sed si peccata sint merè interna, declaranda non videtur loci sacri circumstantia, quidquid post Medina contradicat Collet, affirmans ea esse sacrilegia; interna enim nullam relationem habent ad locum sacrum qui sensibilis est.

(*f*) Duplex ergò sacrilegium, si persona sacra peccet, vel mente solùm contrà castitatem, cum aliâ itidem sacrâ.

Duplex itidem meritò videt Collet in sacerdote religioso, ob duplicem consecrationem. Duplex, si albâ indutus, quia injuriam facit vestibus sacris.

P. Ant. à Goritiâ ut sacrilegam habet commixtionem turpem cum personâ cognatione spirituali conjunctâ, quod aliqui extendunt ad propriam pœnitentem. Imò juxtà probabiliorem, inquit idem, hæc peccata triplicem involvunt malitiam, incontinentiæ scilicet, perfidiæ contrà votum, et sacrilegii.

(*g*) Indignè tractari censentur vasa sacra et paramenta, dum propriâ auctoritate in usus profanos convertuntur, saltem eâdem eorum formâ remanente; imò juxtà aliquos, eâ etiam destructâ. Sed alii in hoc ultimo casu, non vident nisi culpam venialem.

---

294. Sacrilegium peccatum est *ex genere suo* mortale, eò majus quò major est rei quæ profanatur dignitas, et modus eam, etiam sine malâ intentione, tractandi magis indignus (*a*).

Debet in confessione declarari in suâ specie, et aperienda insuper, si fuerit intentio directa et formalis res sacras inhonorandi, in quo casu sacrilegium nullam admitteret levitatem materiæ.

(a) Pro exemplis; mortale fatentur omnes sacrilegium in sacramentorum sine dispositionibus essentialiter requisitis, confectione, administratione et susceptione; in scripturæ sacræ ad turpia, hæreses, et juxtà aliquos, ad facetias adhibitione; in effractione templi ad res sacras auferendas; in iis per quæ ecclesia pollueretur, si forent publica. Addunt alii imaginum et ornamentorum sacrorum profanationem; quod de omni profanatione sumptum rigorosum mihi videtur ut, si forma ornamentorum sit destructa. Id faciliùs crederem de judiciis præsertim criminalibus in loco sacro habitis, vel de ejus conversione in stabulum.

Ut levia verò habent communiter deambulationes, confabulationes, convivia in loco sacro, nisi sit gravis excessus, grave scandalum, magna officii divini perturbatio. Item furtum leve, sive rei sacræ, sive profanæ in loco sacro depositæ; sed de mercaturâ in ecclesiâ, non conveniunt quale sacrilegium sit.

Quoad convivia: nequidem peccata esse videntur, si non sint publica, sed privatim ex quâdam necessitate fiant; et à fortiori si ex pietate. Hinc in exercitiis Missionum, ubi magnus est fidelium vicinorum concursus, qui quasi pro domo ecclesiam habent, id toleramus.

APPENDIX

DE SIMONIA.

§ I.

De naturâ simoniæ.

295. Simonia est sacrilegium quo temporale spirituali, saltem facto, æquiparatur, vel vicissim; offerendo, promittendo, dando, acceptando, vel faciendo unum, ut ejus intuitu obtineatur alterum, vel jàm obtentum compensetur.

Per temporale intelligitur quidquid est pretio æstimabile, ut :

Pecunia, solutionis dilatio, etc., quod vocant *munus à manu*;

Laudes et commendatio apud alterum, quod vocant *munus à linguâ*;

Servitium et quodlibet opus temporale indebitum, etiam turpe, in commodum alterius præstandum, quod *munus ab obsequio* appellant.

Per spirituale verò intelligitur quidquid ordinem proximum dicit ad finem hominis supernaturalem. Ergò quod pertinet ad cultum Dei, vel ad salutem animarum specialiter ordinatur, sive ex naturâ suâ, ut gratia; sive causaliter, ratione scilicet effectûs spiritualis quem producit, ut sacramenta, benedictiones, conciones sacræ, exhortationes per modum consilii, ad vitandum peccatum et virtùtem sectandam; sive tandem effectivè, seu quod sit effectus causæ supernaturalis, ut actus prophetandi (*a*).

Et hùc venit omissio, quæ moraliter censeretur procedere à potestate spirituali haberetque effectum moralem, ut denegatio absolutionis.

Venit et renunciatio rei spirituali.

Per spirituale intelligitur itidem quod est spirituali annexum concomitanter et intrinsecè, ut labor ad concionem præparandam (*b*); vel consequenter, ut emolumenta beneficii ecclesiastici, quæ supponunt et consequuntur officium spirituale; cæteraque omnia quibus annexa est administratio spiritualis, ut simplex vicariatus; imò simpliciter preces recitandæ.

Aliud dicendum de temporali antecedenter spirituali annexo, ut materia calicis (*c*), vel extrinsecè, licèt concomitanter, ut iter solitò longius ad missam celebrandam.

Seclusâ Ecclesiæ prohibitione (*d*), vendi potest temporale spirituali antecedenter annexum, modò ob spirituale pretium non augeatur.

(*a*) Munus docendi theologiam non est ergò materia simoniæ, quia est quid naturale, remotè solùm et mediatè conducens ad finem supernaturalem. Ità communiter. Secùs probabiliùs, munus cantandi in ecclesiâ, quia proximè pertinet ad laudes Dei.

(*b*) Licet tamen accipere pro labore intrinseco, modò non ut pretium, sed ut stipendium.

Juxtà multos simonia est plus exigere pro loco sepulturæ honoratiore, vel ut in exequiis deferatur crux grandior Hoc saltem avaritiam redolet. Nihil ergò exigendum, nisi fortè ad indemnitatem.

(c) Illicitum locare vestes sacras, nisi in quantum teruntur per usum.

Si vendatur vas sacrum, antè traditionem confringatur, vel aliàs ità tractetur, ut consecrationem amittat.

(d) Sic prohibet Ecclesia vendi templa, etiam ratione materiæ, item locum sepulturæ, nisi quis velit in eo se solùm et suos sepeliri, quia tunc onus est.

296. Ad simoniam ergò tria requiruntur et sufficiunt.

1° Spirituale, vel spirituali intrinsecè aut consequenter annexum.

2° Temporale, seu quodvis pretio æstimabile.

3° Æquiparatio unius alteri, per oblationem, promissionem, dationem, compensationem aut motivum.

Non ergò necesse ut interveniat pactum explicitum vel implicitum unum dandi, etc. pro altero; sed sufficit ut temporale compensetur per spirituale, et vicissìm; vel unum detur aut fiat intuitu et ex motivo alterius, proximè saltem et immediatè. Si enim interveniat motivum aliud verum et honestum, vi cujus temporale, et vicissìm, non esset ampliùs motivum spiritualis, sed solùm ejus causa impulsiva vel conditio sine quâ non, nulla esset simonia, quia spirituale et temporale non æquipararentur, et unum non fieret, nequidem implicitè, pretium alterius (a).

Ad cognoscendum autem utrùm temporale fuerit motivum spirituale conferendi, et vicissìm, interrogandus est pœnitens, pro foro interno. Pro externo verò attendenda sunt qualitas personarum, qualitas et quantitas muneris, tempus cæteræque circumstantiæ.

(a) Hinc simoniacus non est qui dat pecuniam pro missâ, aliàs non daturus, quia intervenit motivum aliud honestum, nempè sacerdotis sustentatio. Idem dic de celebrante, sine stipendio non celebraturo.

Dicunt plures ad simoniam requiri ut unum sit motivum principale alterius. Sed videtur sufficere unum esse verè, quamvis secundarium motivum alterius; quia sic semper fit æquiparatio et quasi venditio, in quo sita est natura simoniæ.

Hinc simoniæ reus videtur pluribus, qui verbum Dei prædicat ad laudem sibi comparandam, non enim quod gratis accepit, gratis dat.

297. Hinc simonia non est, imo, seclusâ Ecclesiæ prohibitione, nec peccatum, permutare spirituale cum spirituali.

Nec dare temporale alicui ad obices spirituali removendos;

juveni, v. g., ut alliciatur ad ponderanda motiva peccata confitendi.

Nec, ut quis sacra non profanet.

Nec, ut non eligatur indignus.

Nec dare spirituale ex metu, modò non ex metu temporale aliquod non obtinendi.

Nec dare aut promittere temporale, petendo aliquid spirituale, ut orationes, modò nullum sit pactum aut motivum simoniacum (*a*).

Nec conferre spiritualia iis à quibus temporalia accepimus, modò non ut strictè debita, nec in compensationem, sed ex purâ gratitudine.

Nec simpliciter se commendare pro beneficio.

Nec servire pro spe remunerationis præcisè ex gratitudine tribuendæ.

Nec dare beneficium, habito respectu præcisè ad instantiam factam.

Nec accipere pensionem pro sumptibus noviciatûs, vel ad sustentationem post professionem, si monasterium pauper sit, modò tamen tanquàm conditionem, non verò pro jure ad sustentationem, quia jus illud statui religioso annexum est.

Nec accipere stipendium lege vel consuetudine legitimâ statutum pro muneribus ecclesiasticis; modò non in compensationem, nec functiones exerceantur ex motivo stipendii, absitque omnis pactio ab Ecclesiâ prohibita (*b*).

Nec tandem simonia est si temporale detur ad redimendam injustam vexationem, factam in jure certo et jàm acquisito, ad beneficium.

Secùs si ad hoc spirituale detur (*c*).

Nota : vetuit (*d*) Lateranense IV, aliquid per substractionem ministerii exigere, etiam à divitibus, titulo sustentationis, ad sepulturas et exequias, matrimoniisque benedicendum. Multùm ergò delinquunt qui hæc et similia, non nisi numerato anteà pretio, concedunt.

(*a*) Nec dare temporale sub spe obtinendi spirituale titulo amicitiæ et gratitudinis; quia etsi temporale sit motivum obtinendi spirituale, est aliud

motivum medium honestum, scilicet gratitudo et amicitia pro quâ conciliandâ datur temporale. Aliundè licet sperare quod licet accipere ex merâ gratitudine. *Billuart*. Hoc non videtur carere periculo.

(*b*) Multùm placet sententia Billuart et aliorum docentium ea quæ Ecclesiæ ministris à populo conferuntur, non esse meras eleemosynas, sed stipendia cunctis laboribus ex justitiâ debita, sicut debentur iis qui aliorum negotia utiliter gerunt. Sacerdotes enim privant se facultate vacandi aliis negotiis quibus sibi necessaria ad sustentationem compararent. Undè concludit P. Ant. à Goritiâ stipendium à lege aut consuetudine taxatum, exigi posse et in pactum deduci.

Et contrà injustitiæ reus est qui plùs stipendii exigit quàm sit sibi jure debitum. Quin et multi talem accusant simoniæ: quia videtur tunc accipere ut pretium ministerii. Idem dicendum de iis qui pretio novo paciscuntur pro functionibus ad quas jàm ex officio tenentur.

(*c*) Communiter docent dari posse temporale, ut nolens baptizare baptizet, dùm solus potest, et adest necessitas; quod Sylvius extendit ad recusantem quodlibet sacramentum.

(*d*) Graviter, inquiunt P. G. Ant., Bailly, etc. Imò simonia est, addit P. Ant. à Goritiâ, si temporale exigatur et extorqueatur antè præstitam functionem spiritualem ex officio debitam, sub comminatione non priùs præstandi eam. Ex cap. *ad apostolicam*, 42 de simoniâ. *Hoc haberet quamdam venditionis speciem,* inquit D. Thomas.

APPENDICULA

De simoniâ juris ecclesiastici.

298. SIMONIA juris ecclesiastici est pactio, seu conventio quæ, ob aliquam simoniæ speciem aut suspicionem, prohibetur ab Ecclesiâ, sub pœnis contrà simoniam latis. Talis

1° Pactio quævis in materiâ beneficiali, in quâ non intervenit sedis apostolicæ approbatio; et generaliter *omnis pactio, omnis conventio in spiritualibus obligans ad id quod non est in jure* (*a*).

2° Venditio chrismatis, seu olei catechumenorum vel infirmorum, considerati præcisè ratione materiæ.

3° Venditio sepulturæ sumptæ pro ipso loco sepulcri.

4° Venditio functionis extrinsecè tantùm ordinatæ ad rem sacram, ut muneris æditui, œconomi ecclesiæ, etc.

(*a*) Huic tamen regulæ generali derogatum est, in quibusdam rebus et functionibus spiritualibus per consuetudinem contrariam communiter receptam, videntibus et non contradicentibus Ecclesiæ prælatis. V. g., viri religiosi paciscuntur absque scrupulo pro precibus mutuis, pro reliquiis, etc. Ecclesiæ ministri quandoque paciscuntur pro missis, concionibus. *Billuart*. Sed non fiat ultrà taxam, et solum pro labore extrinseco.

§ II.

De divisione simoniæ.

299. Simonia alia dicitur mentalis, alia conventionalis et alia confidentialis.

Simonia, quæ dicitur mentalis, non est nudum propositum simoniam committendi, sed actus externus factus ex intentione simoniacâ, sine pacto tamen vel tacito; ut si quis det temporale ex motivo interno spirituale obtinendi.

Conventionalis est expressa vel tacita pactio acceptata dandi temporale pro spirituali et vicissìm (*a*).

Hæc purè conventionalis est, si ex nullâ parte;

Mixta seu semirealis, si ex unâ parte;

Et realis, si ex utrâque parte pactum executioni mandatum sit saltem inchoatè.

Et cùm plures sint gradus ad assequendum beneficium, præsentatio, institutio, etc., simonia in uno realis facta non cessat, et pœnis subjecta remanet, quamvis simoniacus non eat ultrà, nec beneficium obtineat.

Tandem confidentialis (in solis beneficiis possibilis) est provisio quælibet, sive per electionem, sive per institutionem, sive, etc., et acquisitio beneficii cum pacto expresso vel tacito, etiam inter solos amicos provisi inito, quòd recipiens beneficium, illud idem aut ejus fructus, in favorem conferentis aut alterius posteà dimittet, vel pensionem solvet aliquam sine auctoritate legitimâ constitutam.

Si nullum esset pactum, sed sola intentio obligandi posteà recipientem ad cedendum beneficium, confidentia foret solùm mentalis.

Si tantummodò fieret pactum dandi sub confidentiâ, et acceptaretur, confidentia esset purè conventionalis.

Sed realis evaderet eo ipso quòd reciperetur beneficium sub confidentiâ, et quidem pro utroque, etiamsi retractaretur confidentia, ex nullâ adhùc parte executioni mandata.

Ergò confidentiæ juris ecclesiastici reus esset, qui ex bono etiam motivo beneficium dimitteret, expressâ vel tacitâ con-

ditione acceptatâ, quòd tali, etiam dignissimo, conferretur.

Secùs si solùm id speraret, quamvis certus; aut si, dimisso beneficio, rogaret talem illo investiri.

Sed non posset anteà designare successorem, etiam sine pacto, nisi resignando coràm S. P. Id enim jure vetitum.

Cæterùm confidentia esset juris divini, si diceret temporale datum vel promissum pro spirituali, vel vicissìm.

(a) Etiamsi, probabiliùs juxtà alios contrà alios, non habeatur intentio pactum implendi, aut se obligandi; quæ simonia tunc ficta dicitur.

§ III.

De malitiâ simoniæ, et pœnis in eam latis.

300. Simonia, saltem juris divini (a) est peccatum *ex toto genere suo* mortale, et gravissimum [194], omnibus legibus adversans, et obligans ad restitutionem pretii accepti ex pacto, etiam tacito, utpotè accepti sine titulo, sed ex contractu omni jure invalido.

Ex jure canonico restitutio fructuum beneficii simoniacè obtenti facienda est ecclesiæ injuriam passæ (b).

In materiâ verò non beneficiali, ei fieri debet qui pretium dedit, cui confessarius prudenter injunget illud dare pauperibus.

(a) Sunt qui autument simoniam juris ecclesiastici admittere levitatem materiæ, v. g., in parvis commutationibus.

(b) Seu illi cui cedunt fructus beneficii vacantis, inquiunt Suarez, Dens, etc.; vacavit enim beneficium.

Sed circà omnia hæc, plura vide apud auctores, qui in multis parùm tamen concordant.

---

301. Simonia nullam pœnam ecclesiasticam importat, casibus quibusdam exceptis, nisi committatur

Vel in ingressu in religionem,

Vel in ordinationibus,

Vel in beneficiis, sub quibus comprehenduntur officia jurisdictionem spiritualem habentia, ut prælaturæ regularium, quæ non consistunt in commissione ad nutum revocabili.

Sed ut pœnæ incurrantur, requiritur ut simonia realis sit vel evadat. Et talis certò evadit simonia conventionalis, cùm spirituale traditum est, et reale jàm saltem quoàd partem.

Pœnæ autem sunt :

1ª Excommunicatio S. P. reservata, quam incurrunt et simoniæ mediatores, et, in simoniâ confidentiali, uterque.

2ª Suspensio ipso facto, S. P. itidem reservata, quæ tamen tunc incurritur solùm à capitulo, vel conventu aliquid accipientibus pro ingressu, etc.

Et à scienter ordinatis simoniacè ;

Et à simoniacè ordinantibus ; à collatione nempe ordinum, sed solùm pro triennio.

3ª Nullitas provisionis beneficii, etiam prælaturæ monialium, pensionis ecclesiasticæ, etc., et actuum quæ provisiones præcedunt, præsentationis scilicet, collationis, etc.

Et hæc, etsi beneficium obtinens ignoraret simoniam ab aliis in suî favorem committi.

Secùs, si in ipsius odium committatur.

4ª Inhabilitas simoniaci ad idem beneficium denuò obtinendum, nisi à S. P. dispensetur.

Iterùm dictum sit : in materiâ simoniæ, plura, si opus sit, vide apud auctores.

ARTICULUS II.

De Superstitione.

Superstitio est cultus falsi, aut veri Dei, sed inordinatus.

§ I.

De cultu falsi Dei.

302. Primum locum tenet hìc idololatria.

Secundum, honor dæmoni exhibitus per divinationem, vanam observantiam et magiam (sub quâ maleficium) specie diversâ.

Quæ omnia mortalia sunt ex toto genere suo, cum modificationibus tamen infrà passìm ponendis. Gravissimum est

enim colere creaturam ut Deum aut cum dæmone societatem habere etiam implicitam.

Imò mortalis est idololatria etiam ficta, seu purè externa.

PUNCTUM I.

De Divinatione.

303. VIA cognoscendi occulta triplex : revelatio Dei, media naturalia et opera dæmonis (*a*).

Undè cùm neque per revelationem Dei, neque per media naturalia, occultum inquiritur, necesse est quòd ope dæmonis, implicitè saltem, inquiratur.

Divinatio est superstitio quâ rerum futurarum, aut præteritarum, vel præsentium, sed occultarum cognitio inquiritur ope dæmonis invocati, sive expressè per verba aut signa, sive tacitè per media quæ, neque ex naturâ suâ, neque Dei aut Ecclesiæ institutione ad hanc cognitionem conducunt (*b*).

(*a*) Licèt dæmones non possint certò cognoscere futura quæ pendent à libero arbitrio, de occultis tamen et futuris longè plura cognoscunt quàm homines; sive in causis naturalibus, et sic præsciunt tempestates, mortes; sive per experientiam longi temporis; sive quia vident in locis remotis causas positas vel effectus inchoatos; sive quia, Deo permittente, scire possunt quid ipsi vel alii dæmones facturi sint; aut per revelationem à sanctis Angelis quibuscum per similitudinem naturæ intellectualis conveniunt. *Billuart.*

(*b*) Ut cribri inversio. Quoàd usum virgæ bifurcatæ, omninò in praxi reprobandus est. Nec enim satis probatur esse purus à superstitionis maculâ, cùm plures circumstantiæ vanæ observandæ videantur. *Collet, Dens.*

Certò superstitiosus est cùm virga movetur vel non movetur ad nutum et intentionem eam tenentis. Et sic fit quandò movetur solùm ad approximationem rei quæ quæritur, non autem rei similis quæ deberet æquè motum ejus excitare, v. g., si moveatur ad præsentiam lapidis occulti qui agri terminus sit, non autem ad præsentiam lapidis alterius itidem occulti.

Sed negare nollem absolutè eam naturaliter moveri in quorumdam manibus ad præsentiam metalli et aquæ. Movetur enim in istorum manibus, sive hæc quærantur, sive non quærantur, seu ad præsentiam metalli aut aquæ quæ non quæruntur. Vitandus tamen et tunc ejus usus, ob scandalum saltem.

---

304. Divinatio explicita, seu per expressam dæmonis invocationem fit

Præstigio ;

Divinatione somniorum ;

Oraculo, seu per idolum ;

Vaticinio, seu per vates (frequens nunc) ;

Aruspicio, seu per signa apparentia in visceribus animalium dæmoni immolatorum ;

Et necromantiâ, pythonismo, geomantiâ, hydromantiâ, aeromantiâ, pyromantiâ, etc.

Implicita autem, seu per tacitam dæmonis invocationem, fit per inspectionem dispositionum et motuum aliarum rerum, talia sunt :

Astrologia judiciaria, quæ est eventuum futurorum contingentium prædictio, sumpta ex consideratione astrorum (*a*);

Augurium, seu observatio garritûs avium ;

Auspicium, seu observatio eorumdem volatûs (*b*) ;

Omen, seu observatio verborum alicujus hominis, casu aliquo, vel aliâ intentione prolâtorum ;

Chiromantia, seu observatio manûs delineamentorum (*c*) ;

Somnium (*d*) ;

Sortilegium (*e*).

Nota : Divinatio per expressam dæmonis invocationem multò gravior est quàm per tacitam, potestque hæresim continere. Imò quæ fit per tacitam invocationem sæpè venialis est ob simplicitatem et ignorantiam eorum qui, etc. (*f*).

Sed malè excusant se, dicendo se non curare undè veniat eventus ; se pactum cum dæmone iniisse nullum, sed propter præteritam experientiam agere, aut ex joco, ad cognoscendum quid eveniat [305, *c*].

(*a*) Superstitiosa non est astrologia naturalis, quamvis nullo fundamento physico innixa ; v. g., arbitrari lunæ phases influere in plantas, astra in temperamentum. Error est, non superstitio.

Sed nequidem error est ex siderum aspectu serenitatem aut pluviam conjicere.

Libri de astrologiâ judiciariâ specialiter prohibiti sunt. *Dens.*

(*b*) Ex quorumdam animalium motu, volatu, etc., serenitas tamen aut pluvia aliquatenùs naturaliter cognosci possunt.

(*c*) Indoles ex vultu et colore cognosci potest, sed superstitiosum esset actus liberos indè conjicere certò.

Rudes sæpè faciunt, conjiciunt, omittunt animo superstitioso quæ naturaliter fieri et cognosci possunt. Instruendi sunt.

(d) Somnia fuerunt aliquandò, et nunc esse possunt divinæ voluntatis indicia. Sed quòd tale sit somnium aliquod in particulari, non nisi ex motivis gravibus credendum; et ut nunc fit somniorum observatio, sæpissimè divinatio est, cùm liberè futura indè conjiciantur; aut, si divinatio non sit, vana est observantia.

(e) Sortes aliæ sunt divisoriæ, quibus jacitur quid quis tollere debeat. Hæ licitæ sunt, excepto in electionibus ecclesiasticis, et quandocumque ex sorte jactâ exire potest indignus.

Aliæ consultatoriæ, quæ emittuntur ad cognoscendum quid in re obscurâ et difficili agendum sit.

P. Gab. Ant. et P. Thomas has sortes vocant simpliciter illicitas. Saltem diabolicæ deceptionis periculum continent, et aliquandò Dei tentationem. Ast cùm scriptura dicat: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur,* videntur adhiberi posse in casibus difficilibus, ubi necessitas est eligendi, et deficit consilium humanum, modò reverenter id fiat, et à solo Deo effectus expectetur. Sortes tunc videntur quidam modus precandi Deum, et innituntur providentiâ divinâ. Ità Collet, Dens, et ipse Mesengui.

Tandem sortes aliæ sunt divinatoriæ, quæ sortilegium sunt propriè dictum, cùm nempè absquè expressâ dæmonis invocatione, quis occulta cognoscere tentat ex consideratione eorum quæ eveniunt ex suâ vel alterius actione liberè factâ, nihil ad hoc pertinente, v. g., ex projectione taxillorum, apertione libri.

(f) Item, si ex joco et levitate, non credita utilis, sed potiùs inutilis et vana. *Sylvius.*

Et veniale solum, inquit Billuart, si ex somnio, augurio et similibus, aliquem timorem de futuris quis concipiat, fidem non adhibendo. Aut si semel vel iterùm faciat aut omittat, ex tali timore, aliquid sibi liberum, non tamen vitam et actiones suas ad talium divinationum normam dirigat.

PUNCTUM II.

De vanâ observantiâ.

305. VANA observantia superstitio est quâ ad effectum obtinendum media vana adhibentur; vel ab eventûs fortuiti observatione actiones quis suas dirigit, dæmone consequenter saltem tacitè invocato.

Vana ergò observantia divinationem includit, cum hâc differentiâ quòd ista ad occulta detegenda, illa verò ad quemlibet effectum vana adhibeat.

Includit et magiam, ut mox videbitur.

Tres vanæ observantiæ species assignat D. Thomas:

Artem notoriam, seu artem acquirendi scientiam sine labore, per inspectionem quarumdam figurarum, prolationem quorumdam verborum, etc.;

Observantiam sanitatum, cùm scilicet quædam verba, quædam signa, inanes cæremoniæ, imò res sacræ adhibentur ad morbos curandos, ad reddendum se immunem contrà ictus, etc. (*a*). Nec excusantur qui dicunt se à Deo et re sacrâ effectum expectare;

Observantiam eventuum, cùm ex eo quod fortuitò evenit, quis quid fausti vel infausti sibi conjicit et actiones suas indè dirigit; ad quod revocatur numerorum, dierum, etc., observantia.

Nota : Mediis naturalibus aut supernaturalibus vana sæpè admiscentur. Superstitio est (*b*).

Nota iterùm : Vana observantia venialis fit, sicut divinatio (*c*).

Nota tandem : Non enumerent catechistæ vanas observantias aliasque superstitiones quàm quæ in locis, ubi catechisant, notæ sunt.

(*a*) Vanæ sanitatum observantiæ vacant sæpè pastores gregum, ut eos à bestiis, scabie, etc., præservent. Fabri ferrarii, ut equos sanent. Vetulæ, ut juvent laborantes in partu, fontes Baptismales, v. g., aperiendo. Milites secum deferentes sacra nomina (nunc non commune).

Frequentissima est sanatio quam vocant *de l'entorse*, per signa crucis, verba barbara, invocationem alicujus sancti. Item sanatio aliquorum morborum, maximè infantium.

Possunt tamen quandòque res sacræ adhiberi, ut Evangelium sancti Joannis, modò non concurrant circumstantiæ vanæ, ex parte temporis, modi, etc. *D. Thomas.*

A fortiori licitum piumque et à sanctis observatum, proferre verba scripturæ, reliquias gestare, preces quasdam recitare quæ nec falsum, nec vanum contineant, ad obtinendum aliquid à Deo, si saluti nostræ expedire judicaverit, modò his non tribuatur vis certa et infallibilis, ut quidam tribuunt certis orationibus ad obtinendam mortem sanctam.

Hìc notant aliqui non statìm de superstitione accusandas esse familias quasdam, quæ à morsu canis rabidi solo tactu sanant, quamquàm hæc inconsulto Episcopo fieri non debeant. *Collet.*

Hæc et similia conatur Bonacina excusare per effluvia corporis subtilissima, quæ ratio non mihi parva videtur; aut per donum à Deo gratis datum. Sic reges Galliæ tactu sanare dicebantur, die suæ unctionis, laborantes morbo qui dicitur *les écrouelles,* quem sanandi modum nuper adhibuisse fertur Carolus X, sed addendo à solo Deo expectandam curationem.

Sed si à quoquo de familiâ septimo fiat hic tactus sanans, superstitiosus videtur.

Nec itidem de superstitione iidem theologi arguunt, quæ ab Ecclesiâ non ignorante tacitè approbantur, ut si cupientes à rabie sanari in itinere ad S. Hubertum, abstineant à speculo. Speculum enim imaginationem lædere

potest. Aliundè quædam quæ superstitionem sapiunt, possunt, ex Ecclesiæ institutione habere significationem spiritualem. *P. Thomas.* Absit saltem ab his animus superstitiosus. Usus pulveris sympathici ad sananda vulnera, à Bonacinâ damnatur. Alii eum excusant ob effluvia subtilissima. His non difficilè adhærerem, quia imaginationem omnem superant partes materiæ subtiles. Undè ab omni superstitione eximerem qui adhibent remedia naturalia putata, quæ agunt in distantiâ. Sed iterùm absit omnis animus superstitiosus et omne scandalum.

(*b*) Ut verba scripturæ, aqua benedicta, tot missæ, tot *Pater*, etc., herbæ collectæ in vigiliâ talis sancti, nisi tamen habeatur ratio tempestatis solius; aut nisi ex purâ devotione, et non ut pars medicamenti hæc adhibeantur, non præstitâ fide; aut nisi Ecclesia approbet.

(*c*) Sic Billuart ut venialem habet vanam observantiam sanitatum aut eventuum, cùm quis ex simplicitate vel ignorantiâ non crassâ, aut ex nimiâ timiditate, recedit, v. g., à mensâ; domo egrediens, ad occursum alicujus personæ aut rei regreditur, vel certò sibi mortem bonam promittit, si talem precem recitet. Imò non videtur ipsi facta Deo gravis injuria orare antè solis occasum, vel cum certo numero, in certo situ; vel abstinere à certo opere servili die sabbati, in honorem B. M. V.

Hæc ad minùs cum grano salis, et stando principiis, acciperem. Sic excusarem à mortali saltem, eum qui hæc sibi permittit ut liber sit à timore, fidem his non adhibendo, non autem eum qui seriò, et ut de re gravi monitus, ab his vel similibus non abstinet, aut in dubio agit.

Item peccari solùm venialiter sentiunt Suarez et Wiggers, si signa vana adhibeantur merè materialiter, ut experiatur quis sit effectus naturalis, sine cooperatione dæmonis. Sed si tanquàm secundùm experientiam utilia adhibeantur, non effugitur labes superstitionis, etsi detestato expressè omni pacto cum dæmone. Imò si hæc certò vana sciantur, mihi mortale videtur experiri seriò, quia forsan dæmon aget.

In dubio an res aliquam habeat virtutem naturalem aut supernaturalem talem effectum causandi, præsumi potest quòd habeat. Sed præmittenda protestatio quòd vis omnis diabolica abhorreatur. *P. Ant. à Gerit.*

Tandem veniale solùm vident alii in eo qui joco tantùm et sine scandalo, nec fidem adhibendo, consulit divinatores de suâ fortunâ, si divinatores itidem solo joco divinent, quia ibi non est perfecta et seria superstitio. Sed si seriò agat divinator, ejus peccato fit cooperatio.

PUNCTUM III.

De magiâ et maleficio.

306. **Magia** strictè dicta est ars mira faciendi, quæ licèt non supernaturalia, vires tamen hominis superant; ac proindè ope solâ dæmonis, explicitè vel implicitè invocati, possibilia.

Si signum magicum consistat in verbis, vocatur incantatio. Sed sæpè est in re permanente, in ligaminibus, straminibus, etc., certo modo plicatis, in terrâ absconditis.

Si dæmon invocetur ad mira facienda, species est vanæ observantiæ ; si ad nocendum, maleficium vocatur ; amatorium quidem, quod et philtrum vocant, si ad amorem accendendum ; veneficum verò, si ad alia mala.

Magi, qui difficillimè à mortali ob ignorantiam excusarentur, interrogandi sunt an preces dæmoni fuderint ; an Deo vel sanctis renunciaverint ; an in Christum convitia protulerint ; an sacramentis abusi sint, etc. Multiplex enim in magiâ peccatum, et sæpè injustitiæ ergà eos quibus nocent aut quos decipiunt magi, seu potiùs qui ut tales se dedunt, aut reputantur. Nàm rari, si qui sint nunc, qui pactum cum dæmone explicitum habeant, et rarò forsan dæmon respondet ei qui per signa et vana tacitè eum invocat. Non necesse tamen quòd magi chirographa, si quæ dederint, à dæmone repetant.

Nota : Sæpè occasione maleficiorum, seu potiùs morborum sic reputatorum, oriuntur calumniæ gravissimæ et inimicitiæ quibus locum dant prætensi divinatores, maleficiaque tollentes.

Ordinariè solùm recurrendum ad medicum.

---

307. Si tamen, omnibus maturè perpensis (*a*), maleficium ut verum habeatur, non licet illud per aliam dæmonis invocationem tollere, benè verò per jejunium, exorcismos et preces Ecclesiæ (*b*).

(*a*) Difficile est signa maleficii discernere ab aliâ causâ. Hæc solent dari : 1° Si malum excedat *causalitatem* naturalem rerum. Sed quis, multis in casibus, id certò affirmare potest ? 2° Si afflictus, quasi per intervalla, patiatur violentias. Sed nonne ex imaginatione in nervos agente, venire possunt ? 3° Si medici experti ità judicent, nec proficiant ulla media naturalia ad malum tollendum. Sed sunt morbi qui nullo remedio noto cedunt. 4° Si media supernaturalia conspiciantur prodesse aut malum augeant. Sed nonnè possunt in imaginationem influere ? Adhibeantur tamen, aliis deficientibus.

(*b*) Ex communiori sententiâ, licet destruere et comburere maleficii signa sub spe nocumenti cessaturi seu eo fine præcisè ut dæmon nocere cesset, quia ibi nulla est ipsius invocatio. Id licet certò saltem, si fiat ob horrorem e odium.

Imò probabilius putant plures peti posse à malefico ipso ut maleficium dissolvat, modò judicetur probabiliùs illum licitè et sine dæmonis invocatione dissoluturum. Quin et juxtà aliquos, si dubium sit an licitè, et sine ope dæmonis illud dissolvet, modò possit licitè dissolvere illud. Et sunt qui

illicitum putant, modò ex juxtâ causâ, etsi certò sciatur maleficum illicitè acturum, si possit licitè agere, sicut licet mutuum petere ab usurario [263].

In dubio an modus solvendi maleficium superstitionem contineat, præmittenda protestatio. *P. Ant. à Gorit.*

Tandem non desunt qui ut probabile habeant licere tollere signum per appositionem signi contrarii; sed peti nequit à dæmone ut solvat maleficium quia id signum esset subjectionis. Imperandùm dæmoni, ut fit per exorcismos. Sed hìc jàm diutiùs.

§ II.

De cultu veri Dei inordinato.

308. Cultus Dei inordinatus, alius est falsus, alius turpis et alius superfluus.

Falsus est si in eo significetur aliquid falsi, ut si cæremonia judaica adhibeatur; reliquiæ falsæ ad cultum publicum exponantur; miracula falsa prædicentur; vel laicus Deum colat tanquàm minister publicus; vel quis revelationem fingat sibi factam, etiamsi ad animas lucrandas et devotionem augendam.

Continent hæc ordinariè mortale.

Turpis est quandò involvit aliquid turpe, ut musicam ad lasciviam provocantem.

Non videtur tunc admittere levitatem materiæ.

Tandem superfluus est cùm nullatenùs conducit ad Deum colendum, devotionem excitandam, passiones domandas, vel cùm ad hos fines ordinatur contrà Dei aut Ecclesiæ institutionem et consuetudinem; ut si quis cæremonias non præscriptas præscriptis præferat.

Cultus hic mortalis esse potest; sed sæpè venialis est ex levitate materiæ, et sæpiùs ex bonâ fide et ignorantiâ, præsertìm antè specialem Ecclesiæ prohibitionem

SECUNDUM
DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

CAPUT I.

DE NATURÂ ET DIVISIONE JURAMENTI.

309. JURAMENTUM est invocatio nominis Dei, ut est prima veritas, in testimonium alicujus rei, eum simul rogando ut velit eam confirmare, non hic et nunc quidem, esset enim Dei tentatio, sed cùm ei placuerit, saltem in die judicii.

Juramentum fieri potest per creaturas prout habitudinem dicentes ad Deum in illis relucentem; et si fiat per sanctos in se consideratos, est actus duliæ obligans solùm ex virtute duliæ.

A juramento ergò differt adjuratio quæ fit præcisè ad aliquid ab alio obtinendum per nomen Dei, aut aliquam ejus perfectionem interpositam.

---

310. Ut valeat juramentum, in genere requiritur

1° Virtualis saltem jurandi (*a*) intentio; quæ magìs attendenda est quàm verba prolata; peccaretque peccato ex genere suo gravi, qui jurare requisitus, sine intentione hâc juraret (*b*), etsi probabiliùs non legitimè petitum esset juramentum.

2° Ut fiat sine errore aut dolo substantiali circà materiam aut finalem ejus causam.

Sed valet, per injuriam aut metum gravem extortum, etiam injustè, nisi lex contrarium statuat; quia juramenta talia Ecclesia non irritat, nec à naturâ irrita sunt, cùm supponantur facta, rationis usu remanente (*c*).

Ut verò valeat juramentum promissorium, de quo mox, materia ejus debet esse possibilis, utilis et licita, quia juramentum non est ligamen iniquitatis, nec rei vanæ. Nec convalesceret, re mutatâ, nisi alia fuerit intentio aut subintellecta conditio.

Imò, si juramentum, etsi solùm assertorium, fiat directè Deo, aut primariò in ejus honorem, materia illius debet esse melior suo opposito, quia sortitur tunc voti naturam.

Undè non valet juramentum contrà præcedenter emissum, aut contrà votum.

Valet è contrà confirmativum promissionis dandi diviti summam quæ satiùs erogaretur pauperibus, quia est de re licitâ et utili. Illicitè tunc, sed non illicitum juratur.

Et hæ sunt juramentum inter et votum differentiæ.

Nota : Si, qui matrimonium juravit puellæ, religionem ingredi possit, venit hoc ex tacitâ conditione juramento appositâ.

(*a*) Seu Deum in testem vocandi. Ast, probabiliùs habent plures et quidem meritò, non requiri intentionem Deum intùs invocandi in testem; sed sufficere intentionem aliquid confirmandi per externam nominis divini invocationem. Habetur enim tunc intentio jurandi; et aliter proximus deciperetur.

Valet ergò juramentum hoc, etsi graviter illicitum.

Cæterùm, cùm ex intentione jurantis omnia hìc pendeant, et possit unus per verba jurare per quæ alter juramentum non efficeret; possintque verba non juratoria juramentum esse, et verba juratoria non esse juramentum; inutile est varias juramenti formulas, alias hìc, alias illìc, aliàs in judicio, alias extrà judicium usitatas referre. Annotare sufficiat formulas illas extrà casus permissos esse eradicandas, quia pleræque ex intentione jurandi adhibentur; aliæ sic ab audientibus accipiuntur, suntque non raro gravia scandala, imò nonnullæ blasphemiam continent.

Infantes sæpè ab invicem has formulas petunt, juramentumque intendunt. Sæpè etiam adulti putant se jurare per formulas quæ sine eorum intentione juramenta non essent. Undè de intentione interrogandi.

Qui inadvertenter præscindit ab invocatione Dei, non jurat, etiam verba juratoria proferendo. *Billuart.* Intelligerem : si non habeat intentionem virtualem jurandi. Nam

Hìc notandum cum eodem quòd qui verba juratoria profert ut fidem dictis adstruat, etiam sine explicitâ intentione jurandi, juret tacitè, si hanc intentionem non excludat. Ità etiam Dens, quandò illæ formulæ assumuntur ad aliquid affirmandum, confirmandum vel negandum. Sed nonne esse possunt meri modi rem magis asserendi ?

(b) Nisi fortè, inquiunt meritò nonnulli, juramentum sic fictè fiat in re levi et verâ, et extrà judicium. Non enim magna videtur tunc fieri nomini Dei injuria.

Sed non idem dicendum videtur de eo qui seriò juraret sine intentione se obligandi, aut juramentum exequendi. Mortaliter enim peccaret.

Imò hic tali juramento ligatus videtur pluribus contrà plures, quia obligatio juramenti ab ipso inseparabilis est, nisi jurans hoc sciverit, inquit Billuart, quia tunc nolens se obligare, noluit jurare.

(c) Valet ergò, et, ob reverentiam nomini divino debitam, impleri debet juramentum solvendi usuras, summam ad latronem deferendi, etc.

Quin et concludunt multi contrà alios captivum teneri vi juramenti in carcerem redire, etsi mors illi immineat, nisi aliter postulet bonum commune, vel nisi dispensetur; quia juramentum hoc potuit esse prudens, et executio ejus licita est, utpotè actus fortitudinis; solùm enim objicit se periculo. Valent hæc præsertim ubi regressus in carcerem inserviret ad immunem præstandum custodem innocentem, aut ad impediendum religionis contemptum.

Sed probabiliùs aliter esset, si jurans non prævidisset mortis periculum.

A fortiori contrà juramentum fugere illicitum reo, etsi mors ei immineat.

Notant quòd si in his aut similibus casibus factum fuerit aliud juramentum, nempè non petendi à priori dispensationem, istud ultimum nullum esset, quia læderet jus Ecclesiæ. Alii dicunt à posteriori, dein à priori petendam fore dispensationem. Si casus eveniret, exponendus foret prælato.

Hic insuper notat P. Gab. Ant. non valere juramentum de non denunciando latrone in casu suprà dicto, quia foret contrà bonum commune.

---

311. Juramentum est

Aliud internum, quod, nullatenùs manifestatum, in Dei honorem solùm fieri potest;

Et aliud externum.

Aliud assertorium, in confirmationem nempè assertionis de præterito vel præsenti;

Et aliud promissorium, quo confirmatur promissio stricta, et tunc *strictè dictum*, seu *accessorium* vocatur;

Vel quo quis solùm confirmat dictum suum (sive simplex sit propositum, sive comminatio) de aliquo opere futuro à se præstando, et tunc appellatur *latè dictum*, seu *per se stans*.

Si promissio juramento firmata fiat Deo, aut homini in honorem Dei, dicitur *votum juratum*. Si homini, et ab eo acceptata sit, dicitur *pactum juratum*.

Ergò juramentum promissorium strictè dictum, fidelitatis, justitiæ et religionis; latè dictum autem religionis solùm obligationem importat.

Sed quodcumque sit juramentum promissorium, includit, ut patet, assertorium; quia per illud Deus non solùm ut fidejussor promissionis advocatur, sed ut testis voluntatis præsentis.

Insuper juramentum aliud est verbale, quod verbis explicitis vel implicitis, ut *juro, Vivit Dominus;*

Aliud reale quod signis ex usu juramentum indicantibus, ut levatione manûs;

Et aliud mixtum quod verbis simul et signis exprimitur.

Aliud contestatorium, quo Deus simpliciter in testem;

Et aliud execratorium, quo insuper in vindicem criminis, si quod in jurando perpetretur, saltem implicitè vocatur, ut: *Sic Deus me adjuvet, etc., moriar; diabolus me auferat, etc.;* seriò prolata (*a*).

Secùs si per simplicem loquendi modum.

Nota: formula: *tàm verum quàm Deus,* et aliæ, præsertim execratoriæ, quamvis solùm enunciativè aut affirmativè, non invocatoriè sæpè proferantur, extirpandæ sunt; et eò magis quòd blasphemiam aliquatenùs sapiant.

Tandem juramentum aliud simplex, aliud solemne, aliud judiciale et aliud extrajudiciale.

(*a*) Ut juramentum execratorium verum sit juramentum, requiritur ut, imprecando, subintelligatur utrobiquè et intendatur id fieri, Deo permittente et vindice. Nam alioquin si sic jurans intenderet tantùm promissionem suam, seu dictum suum firmare, non esset juramentum, v. g., hæc: *Amputetur mihi lingua, si mentior,* juramentum non sunt si sensus sit solùm: *Consentio ut amputetur mihi lingua. Billuart.* Sed quàm hæc seriò prolata periculosa sint, nemo non videt. Sed et sæpissimè vera juramenta sunt. Vide [310, *a.*]

Jurare execratoriè terminis impiis et scandalizantibus, Deum inhonorantibus, et ineptis ad invocandum ejus testimonium; v. g. *Damnatus sim, nunquàm videam Deum. Diabolus me auferat,* mortale est, *Bertaut.* Vidè infrà. [325, *a.*]

CAPUT II.

DE REQUISITIS AD PETENDUM ET PRÆSTANDUM LICITÈ JURAMENTUM.

§ I.

312. Ad juramentum licitè petendum, justa causa requiritur.

Illam autem habet persona publica cùm talis est juris ordo, etiamsi perjurium prævideat, modò id exigat pars adversa, quæ sola peccaret, si perjurium prævideat.

Attamen judex nunquàm ab utrâque parte potest juramentum postulare, quia una necessariò pejeraret. Quin tenetur seriò monere eum quem prævidet pejeraturum, et actorem urgere ut à petitione juramenti tunc desistat.

A fortiori judex tenetur testes falsos à testimonio repellere.

Justam item causam sæpè habere potest privatus juramentum ab alio petendi, nec illud petendo peccat, etsi nesciat aut dubitet an ille alter pejeraturus sit, quia nemo malus præsumitur.

Sed si id sciat aut judicet probabiliter, juramentum petere non potest nisi in casu necessitatis; cùm v. g., in aliquo contractu juramenti exactio necessaria est vel utilis, ut contrahens cogi possit per judicem ad standum contractui (*a*).

(*a*) Ità Collet. Addit Billuart ut non improbabile : si spes sit juraturum metu et reverentiâ divini nominis non ausurum pejerare. Sed si juramenti præstatio sit conditio necessaria ad validitatem actûs, cur et sine hâc spe, juramentum exigi nequiret? Imò si ejus præstatio sit solùm utilis, pensanda videtur utilitas cum cooperatione peccato pejeraturi, et hùc tandem reincidit Billuart [263.]

§ II.

Ad juramentum verò licitè præstandum, requiritur ut ipsi comites sint judicium, justitia et veritas.

313. *Judicium :* id est, ut fiat cum reverentiâ, et ex causâ sufficienti, qualis pax confirmanda, major circà rem promissam necessaria securitas, confirmatio veritatis, quam quis, licèt expediat, non vult credere.

Sed tollatur scandalum pusillorum.

Seclusis gravi scandalo, contemptu, aut periculo pejerandi, juramentum sine judicio communiter non habetur nisi ut veniale peccatum (*a*).

Emissum tamen obligat, si licita ejus materia.

(*a*) Illud ut grave habet Theol. Pict, quia verba Decalogi specialiter videntur includere tale juramentum. *Non assumes... in vanum.* P. Gab. Ant. et alii idem sentiunt, si cum habitu fiat, ob periculum, aiunt, falsum jurandi. Hieronymus illud vocat perjurium.

Ast communi adhæreo sententiæ; quia in tali juramento non videtur gravis ergà Dei nomen irreverentia, simul fatens cum P. Gab. Ant., consuetudinem jurandi, præsertim sine advertentiâ, exponere periculo proximo jurandi falsum, aut saltem sine judicio prudenti de rei veritate.

Idem dicit doctus hic Jesuita, post Suarez et Sanchez, de consuetudine jurandi absque advertentiâ an juretur necne; quia juramenta falsa, etsi inadvertenter prolata et sine animo jurandi, habent turpitudinem et difformitatem objectivam ob quam graviter disconveniunt creaturæ rationali. Exteriùs sonant perjurium, et eum sensum ingerunt audientibus. Fortiùs adhùc hìc insurgit D. Dens.

Stamus tamen principiis hìc positis, huic præsertìm quod ad jurandum requiratur intentio Deum in testem invocandi; et quod sæpè intentionem hanc nec habeant, nec ab audientibus habere reputentur qui verba proferunt juramentum exprimentia; quin tamen à mortali, vel ob scandalum, excusare intendamus eos qui per Christi mortem et sanguinem in irâ vel in joco jurant. Vide ubi de blasphemiâ [323].

---

314. *Justitia :* seu ut juramentum sit de re licitâ.

De re illicitâ autem esse potest assertoriè vel promissoriè.

Si assertoriè : juramentum præstatur, vel præcisè ut credatur narratio de re malâ, et tunc peccatum non est, si justâ de causâ narretur, et justa sit narrationem juramento confirmandi ratio.

Vel ad confirmandam narrationem factam ex vanâ gloriâ aut alio motivo pravo, et tunc peccatum est ratione indecentiæ et defectûs judicii, sed non nisi veniale videtur, quia juramentum non afficit per se narrationem ut malam, sed ut veram (*a*);

Vel tanquàm instrumentum peccati, v. g., ut credatur narratio etiam vera, includens proximi infamationem, et sic augeatur infamia. Hoc mortale est, saltem si materia gravis sit, quia magna est ergà Deum injuria eum adducere ut cooperatorem malitiæ mortalis (*b*).

Si autem juramentum de re illicitâ fiat promissoriè, mortale est itidem, saltem si sit de re mortaliter malâ, ut de sumendâ vindictâ gravi (*c*). Et si tunc non habeatur intentio exequendi quod juratur, juramentum est insuper contrà veritatem.

Idem dicit D. Thomas de juramento non faciendi bonum notabile, v. g., non ingrediendi religionem, quia ponitur obex Spiritui sancto.

Et idem dicit catechismus romanus de juramento non servandi consilia evangelica, quia Dei contemptum involvit.

Cæterùm qui rem malam sic promissam exequeretur vi juramenti, peccatum novum mortale, etiam in materiâ levi, contrà religionem insuper committeret.

(*a*) Alii contrà alios negant esse mortale, in ratione mali juramenti, asserere per juramentum, cum jactantiâ et delectatione, propriam culpam, quia juramentum non cadit in culpam ut culpam, sed ut veram.

(*b*) Secùs si venialis, *P. Gab. Ant. Collet.*

(*c*) Multùm disputant an mortale vel solùm veniale sit juramentum de veniali committendo. Ut veniale solùm illud juramentum habent Suarez, Sylvius, P. Gab. Ant. Collet, etc., qui addunt sententiam suam esse communiorem. Ratio eorum est quòd, seclusâ quâdam contumeliâ, seclusisque verbis quæ blasphemiam sonent, gravis non fiat Deo injuria.

Ast alii, Theol. Pict., Bailly, Billuart, Dens, quibus lubentiùs adhæreo, hoc juramentum ut mortale habent, quia gravis videtur esse injuria Deum assumere in fidejussorem peccati, nisi fortè assumatur solùm ut testis pravæ intentionis. Fatetur Collet tale juramentum multis in casibus esse mortale, quia proferri solet ex impotenti iræ impetu, et facilè judicatur tunc leve quod mortale est. Aliundè sæpè non habetur intentio faciendi quod juratur; ac proindè fit perjurium.

---

315. *Veritas.* Ità ut jurans certò et prudenter credat verum quod asserit (*a*); actu voluntatem habeat faciendi quod promittit, sitque moraliter certus et speret prudenter se reverà facturum, ni quid rationabile obstet.

Jurare contrà hanc juramenti comitem, strictè et simpli-

citer perjurium est, et ob gravem ergà Deum irreverentiam, mortale *ex toto genere suo,* quamvis mendacium quod asseritur, leve sit aut amphibologia simplex (*b*). Imò, etsi verum asseratur, sed incautè ; nisi tamen parva sit negligentia et parvum periculum falsum jurandi, modò putetur certò verum quod juratur.

A fortiori si affirmetur de visu quod solùm à testibus etiam fide dignis auditum sit.

Hinc juramentum de re impossibili cognitâ ut tali, est perjurium strictè dictum ; et hujus perjurii rei sunt sæpè debitores, operarii, etc., qui jurant se tali tempore soluturos, facturos, etc.

(*a*) Hoc sufficit extrà judicium. Ast in judicio requiritur notitia certa, *experimentalis*, de visu, etc., *Billuart,* etc.

(*b*) Juxtà multos, vitatur perjurium, si, suppositâ causâ rationabili, juretur cum amphibologiâ sensibili, reali, externâ [616]. Secùs si cum restrictione aut amphibologiâ mentali. Non tamen videtur strictè, sed solùm secundùm quid perjurus qui jurat cum restrictione propriè mentali, etsi mortaliter peccet; quia animum non habet Deum vocandi in testem falsitatis. *Billuart.*

Nec pejerat, inquiunt alii, qui injustè interrogatus negat, aut dicit se nescire; quia non scit modo tali ut fateri teneatur; et restrictio mentalis quâ utitur, sat apparet ex circumstantiis interrogationis injustæ.

---

316. Pessima ergò consuetudo jurandi, mortalis certò, si jurandi quodlibet. Et mortalis quilibet actus ex eâ non retractatâ procedens, ob periculum jurandi falsum, aut contrà justitiam (*a*).

(*a*) Idem dicunt aliqui de consuetudine jurandi incautè, quamvis falsum aut illicitum nunquàm juretur scienter. Sed minùs rigidè et, ut videtur, veriùs sentiunt alii, cùm nempè jurare assuetus neque vult, neque solet jurare falsum, quamvis id illi accidat subindè ex inadvertentiâ et subreptione. Talis, regulariter, peccat solùm defectu judicii, nec se exponit periculo proximo pejerandi.

---

317. Easdem ac juramentum comites habere debet adjuratio, ut sit licita. Sed insuper, si fiat dæmoni, fieri debet

Imperativè ;

Per solos Ecclesiæ ministros, si publica sit (*a*) ;

Non à dæmone vana et curiosa inquirendo, nec diutiùs cum possesso protrahendo colloquia, dandove ipsi occasionem aliorum peccata detegendi;

Nec à fortiori fidem verbis ejus certam adhibendo.

Quæ omnia à culpâ gravi non vacarent.

(a) Ad adjurandum publicè et solemniter dæmonem, simplices exorcistæ indigent licentiâ Episcopi speciali imò et sacerdotes in pluribus diœcesibus. Sic in Bisuntinâ ex statuto anni 1658.

In eàdem diœcesi requiritur archiepiscopi monitorium pro exorcismis ad expellenda è territorio insecta et alia animalia nociva.

Antequàm exorcisentur à dæmone possessi, sedulò examinandum an vera sit possessio. Hujus autem signa sunt : si is, qui possessus putatur, idiomate loquatur ipsi antea ignoto ; si distantia et verè occulta manifestet ; legat, scribat, instrumentis ludat, etc., cùm anteà nesciverit.

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE ET OBLIGATIONE JURAMENTI.

§ I.

Ex circumstantiis personæ, loci, temporis; ex usu, etc., hìc judicandum. Sed insuper sequentes habeto regulas.

318. Regula prima. Juramentum interpretandum est juxtà naturam actûs, contractûs, v. g., cui adjicitur ; ità ut illius habeat conditiones, limitationes, extensiones expressas vel tacitas ; juramentum enim non mutat naturam actûs : sed eum induit solùm obligatione religionis.

Hinc dissolvi possunt sponsalia juramento firmata, si sponsa fornicetur (*a*).

Notandum tamen juramentum posse esse nullum; quatenùs firmans actum nullum, promissionem, v. g., solvendi usuras; et valere sub alio respectu, quatenùs nempè foret assertio de futuro [423, *b*].

(a) Ergò non valet, ut promissorium, juramentum firmans promissionem merè urbanam [441]. Sed potest indicare eam non esse merè urbanam. Potest et valere ut assertio de futuro.

319. Regula secunda : Juramentum; utpotè onus, strictè

à

est, et quantùm materia et verba permiserint, interpretandum.

Non ergò extendendum ultrà intentionem jurantis, prudenter et verisimiliter præsumendam;

Non ad insolita (*a*);

Nec, si præstitum sit circà materiam juris, ad ea quæ sub obligatione juris non comprehenduntur (*b*).

(*a*) Hinc, in communitatibus, juramentum de servandis statutis intelligitur de statutis vigentibus, non verò (ni aliter ferant constitutiones), de futuris aut de abolitis quæ renovarentur, quamvis tamen, ut nova statuta, obligare possent. *Varii*.

(*b*) Ergò, v. g. juramentum de servando secreto circà ea quæ in capitulo aguntur, intelligitur solùm de iis quæ secretum merentur, aut circà quæ servari potest sine gravi detrimento.

Pariter, vi juramenti generalis obediendi Prælato, obedientia jurata non censetur exigi, nisi superior id exprimat, præcipiendo, v. g., in virtute præstiti juramenti, aut aliâ equivalenti verborum formulâ. *Varii*.

---

320. Regula tertia : Juramentum interpretandum est juxtà conditiones in eo, etiam tacitè, inclusas, aut subintellectas, sive per intentionem jurantis, sive si de eâ non constet, ex dispositione juris aut consuetudine, sive ex communi prudentum judicio, ut : *Si potuero; si pars altera fidem, saltem reciprocam, servaverit; nisi is in cujus favorem juro, obligationem spontè remiserit*, etc. ut, ubi de voto (*a*).

Per tacitas tamen conditiones has, non suspenditur juramenti obligatio, sicut per expressas.

In dubio pars tuta est eligenda, vel petenda dispensatio. Vide de voto [280].

(*a*) Hinc qui juravit se non communicaturum artem aut remedium, juramento non tenetur, si aliter exigat charitas aut bonum commune, ut si, absque hoc remedio infirmi nequeant commodè juvari : vel si ars debeat mori.

Sunt et casus in quibus non obligat in judicio secretum etiam juratum.

Circà hæc varios casus sic resolvit Billuart.

Plerùmque non obligat juramentum parentum aut dominorum tali aut tali modo puniendi filios vel servos, quia sæpè vel habent solùm intentionem terrendi, vel supervenit causa excusans in juramento subintellecta, putà, emendatio, petitio veniæ, intercessio eorum quos debet audire, turbatio familiæ, melior modus corrigendi. Imò aliquandò juramentum factum est de vindictâ injustâ.

Idem de juramento urbanitatis causâ facto, quo viri nobiles aut alii ju-

rant se non præcessuros in ingrediendo aut sedendo. Subintelligitur : *Quantùm in me est*, vel : *Nisi non acceptes præferentiam oblatam.*

Quamvis putent quidam obligatoria non esse mercatorum juramenta minoris non vendendi aut pluris non emendi, quia cùm illa faciant in suî gratiam, possunt sibi remittere, Billuart tamen illa existimat obligatoria, quia hi mercatores non possunt, sicut si jurarent in favorem alterius, subaudire : *si is in cujus favorem juro, velit acceptare.* E contrà, ideò jurat ut sibi auferat libertatem mutandi deinceps propositum. Excipit tamen casum in quo, mutatis circumstantiis, hæc juramenta cederent in grave et improvisum damnum jurantis qui, ut supponitur, non juravit nisi in suî utilitatem. Quidquid sit de ratiocinio Billuart, mihi videtur hæc mercatorum juramenta esse ordinariè contrà quòd in mente habent, ac proindè jam perjuria, si vera sint juramenta.

Quoàd juramentum ampliùs non ludendi, illud idem auctor obligatorium existimat, exceptis casibus in quibus meliùs esset, et à fortiori necesse ludere. Si violetur tale juramentum, materiæ et peccati quantitas desumenda est ex intentione jurantis, sicut si dubium sit an ludum omnem aut solùm immoderatum sibi interdixerit.

Nullum est juramentum non ludendi in tali domo, vel cum tali socio, si ex vindictâ aut ratione futili factum sit.

Secùs si ex honesto fine.

§ II.

321. Juramentum promissorium, sive strictè, sive latè dictum, importat obligationem religionis gravem, saltem *ex genere suo* (*a*); præsupponitque sæpè obligationem præviam, justitiæ, v. g., si in confirmationem promissionis acceptatæ factum sit.

Nec ab obligatione liberatur qui juravit sine intentione jurandi, ob justitiam nempè quæ violari posset, si fictionis injuria non repararetur, et ob scandalum, etsi tale juramentum ratione suî non valeret [310, *a*].

Imò ipsa religionis virtus violaretur per illam perjurii speciem publicam, quia cederet in irreverentiam Dei.

Nota 1° : Obligatio juramenti promissorii, prout est religionis, personalis est ; sed prout est promissionis acceptatæ, vel etiam voti jurati, est realis, transitque ad hæredes.

Hinc qui cum juramento promitteret operam alicujus in potestate suâ existentis, teneretur illud mandare, quia foret ipsi personale (*b*).

Nota 2° : Obligatio juramenti promissorii, ut talis, minor ; sed ut assertorii, major est obligatione voti : ac proindè

perjurium simpliciter dictum majus peccatum est quàm voti violatio.

(a) Multi et graves dicunt : *Ex toto genere suo*, ità ut in eorum sententiâ perjurium promissorium, seu violatio juramenti promissorii, non admittat levitatem materiæ. Ratio eorum est, quòd Deus testis sit veritatis futuræ, et quòd qui petit juramentum promissorium, petat ut veritas futura, seu effectus promissionis ex testimonio divino assecuretur. Quod evidens est in latrone vi exigente juramentum.

Quidam tamen hujus sententiæ patroni eam restringunt ad casus in quibus tota materia promissionis levis esset. Si enim gravis sit, inquiunt, non peccat mortaliter qui omittit partem ejus levem. Imò et omnes penè excusant à mortali omissiones promissionum exiguarum rerum juratarum, ut munusculorum filiis dandorum à parentibus, promissionum urbanitatis, etc.

Exceptiones istæ sententiam firmant oppositam, quòd nempè obligatio juramenti promissorii non sit sub gravi in materiâ levi, sive hæc materia totalis sit, sive pars materiæ gravis; quia, inquiunt hujus sententiæ patroni, in juramento promissorio Deus est solùm fidejussor executionis promissionis. Non videtur autem gravem ipsi irrogari injuriam, si in re levi promissio executioni non mandetur; sicut gravem non facit Deo injuriam qui in re levi votum non adimplet.

His rationibus, quæ multùm arrident, adderem supra positum principium, nempè juramenta sortiri conditiones contractuum quibus adjiciuntur. Porrò veniale solùm est promissionem non implere in re levi. Aliundè quis vellet munia publica suscipere, si per juramentum sub mortali astringeretur ad non deficiendum in iis, etiam in levibus.

(b) Imò canonistæ juramentum de facto alterius ità interpretantur, ut jurans censeatur promittere suam operam et diligentiam, quia semper valet quantùm valere potest. Hinc valere potest pro parte unâ et non valere pro alterâ. *Dens.*

CAPUT IV.

DE CESSATIONE OBLIGATIONIS JURAMENTI.

322. Obligatio juramenti cessat ab intrinseco, sicut obligatio voti [280].

Itidem etiam ab extrinseco; dispensatione nimirùm, commutatione et irritatione, si factum sit directè in honorem Dei (*a*) [281, etc.]

Si autem factum sit primariò et principalitèr in utilitatem proximi, quamvis secundariò in honorem Dei, ejus obligatio cessat, non solùm per irritationem directam vel indirectam (*b*), sed

Per remissionem, vel tacitam, illius in cujus favorem factum est,

Et per relaxationem factam ab iis qui potestatem habent dispensandi, quia sub his conditionibus juratum est.

Ast relaxari nequit obligatio juramenti promissionem acceptatam confirmantis, sine consensu creditoris, nisi id exigat bonum commune; vel fraude aut metu juramentum fuerit extortum; vel vergat in deteriorem exitum salutisve periculum; nisi tandem relaxetur in pœnam criminis ab eo, cui juratum est, commissi.

Imò non sinunt charitas et prudentia facilè, etiam justâ de causâ, relaxare juramentum in utilitatem proximi factum, etsi simplicis assertionis confirmativum.

Nota : Cùm principes sæculares possint subjectos reddere ad contrahendum inhabiles aut contractus annullare, possunt et indirectè juramenti obligationem impedire.

Imò possunt judices civiles interpretari juramenta quæ, tanquàm accessoria, versantur circà materiam spectantem ad legem principis.

(a) Nota : Juxtà communiorem, juramenta in materiis votorum S. P. reservatorum S. P. itidem reservantur. Item juramenta de servandis statutis à S. P. collegio, academiæ, etc., datis. Quibus addit D. Dens, juramenta in causis majoribus. Sed juxtà nonnullos, nullum juramentum reservatum est ex se, quia id nullibi invenitur.

Notant iterùm multi potestatem delegatam vota commutandi, non extendi ad juramenta aut vota juramento firmata, quia vel duo sunt, vel disparata vincula; sed sententia contraria communior est, et his rationibus fundatur quòd in jure juramenta votis æquiparentur, et fermè similem contineant obligationem, et quòd, juxtà communiorem, papalis votorum reservatio ad juramenta extendatur. Undè multò magìs ad ea extendi debet privilegium dispensandi.

Tutior ad minùs priorum sententia.

(a) A potestate juramenta sicut vota irritandi, excipit Billuart juramentum Minorennis, quia ex dispositione juris, juramentum supplet defectum ætatis et facit esse majorem. Cap. *Adversùs venditionem.* lib. 1 et 2.

APPENDIX

DE BLASPHEMIA.

323. Blasphemia laudi Dei, ejusque nominis sanctificationi opposita, est locutio contumeliosa verbis, scriptis, signis, imò solâ mente expressa contrà Deum, sanctosve ut sanctos (*a*), vel res sacras, aut alias creaturas ut opera Dei consideratas.

Ad blasphemiam ergò non requiritur explicita et expressa Deum conviciandi intentio; sed sufficit virtualis et implicita, quatenùs per verba aut per modum ea pronuntiandi, juxtà communem apprehensionem, Deus dehonoratur et contemnitur; alioquin raræ essent blasphemiæ.

(*a*) Si enim sanctos, ut olim homines, contumeliosa loquela officiat, non est propriè blasphemia, quia ibi nullus est respectus ad Deum. Sed, si ex odio vel indignatione, peccatur mortaliter contrà duliam et observantiam sanctis debitam. Si autem ex joco vel levitate, est peccatum veniale. *Billuart.*

324. Blasphemia alia est enunciativa, quâ vel negatur Deo quod ipsi convenit, ut providentia, vel ipsi tribuitur quod ei non convenit, ut injustitia, vel creaturæ tribuitur quod soli Deo competit (*a*).

Alia imprecativa, quâ malum Deo optatur, v. g., ut non sit.

Alia simpliciter dehonestativa, quâ aliquid in Deo vel Christo verè existens enunciatur modo contumelioso, irrisorio (*b*), et hoc fieri potest,

Vel directè ad inhonorandum Deum, quod desperatorum et infidelium solùm proprium esse videtur;

Vel indirectè, cùm nempè quæ Deo conveniunt, ut caput, ex indignatione in eum vel contumeliosè, aut ea quasi tacitè illi exprobrando, proferuntur; quia tunc dicuntur de Deo quasi contemptibilia et vituperabilia.

Alia hæreticalis, quæ hæresim continet, ut: *Deus non est justus*: alia simplex.

Raró tamen est hìc pertinacia, sed tantùm peccatum contrà religionem et præceptum fidei exteriùs confitendæ.

Tandem alia quam formalem vocant, quæ est, directè vel indirectè, scienter et seriò prolata;

Et alia quam materialem appellant, cùm recitativè solùm aut inadvertenter profertur.

(*a*) Ut, si persona amata appelletur *Deus*, *Beatitudo*, nisi tamen per hyperbolem solùm, et non animo significandi; modò loquela sic apprehendatur.

(*b*) Vel jocoso. Nimis enim magnus Deus, etc., quàm ut joco aut risui nostro exponatur. Attamen aliud rei est de Deo vel rebus sanctis jocari, et aliud jocari ea adhibendo. Hìc enim videtur solùm esse defectus honoris, non blasphemia.

---

325. Blasphemia formalis, sive directa, sive indirecta, peccatum mortale est *ex toto genere suo* (*a*).

Sed directa longè adhùc gravior.

(*a*) Sedulò interrogandi qui blasphemias confitentur, quid dixerint, quo affectu, quâ intentione. Sæpè enim blasphemiam confundunt cum verbis quæ mera sunt convicia in homines bestiasve. Sæpè etiam cum juramentis execratoriis. Aliundè blasphemia non raró juramentum annexum habet, et vicissìm.

Ast non facilè in praxi affirmari potest an talia et talia verba blasphemiæ sint. Nec enim accipiendæ excusationes eorum qui dicunt se formalibus blasphemiis uti sine animo inhonorandi Deum vel res sacras, aut ex subreptione talia illis excidere. Equidem, ex D. Thomâ, peccatum solum veniale est blasphemia materialis, cùm nempè aliquis non advertit hoc quod dicit esse blasphemiam, ut cùm subitò ex aliquâ passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat. Nihilominùs tales debent sibi cavere, et tractandi sunt sicut cæteri consuetudinarii qui ex subreptione peccant. Si enim quandò advertunt quæ dicunt esse blasphemiam, considerantque significata verborum, mortaliter peccant juxtà eumdem S. Doctorem, sicut qui ex aliquo iræ motu alium occidit; cur non itidem quandò advertere debent?

Sed quandònam verba de se blasphematoria, ut blasphemiæ habenda sunt? In genere quandò vel ex propriâ significatione, vel communi apprehensione et usu patriæ, vel ex modo loquendi, cum irâ aut sine irâ, aliisve circumstantiis, sensum habent blasphematorium, seu continent Dei aut rei sacræ in Deum relativæ dehonestationem vel *vilipensionem*, ut si, ad iram aut indignationem exprimendam, *sacré nom de Dieu*, aut similia proferantur, imò forsan quamvis solùm in irâ.

Ergò verba eadem alicubi blasphemiæ esse possunt et non alibi.

Circà plura potest hìc suboriri saltem dubium. Rigorosè ergò sunt interdicenda et eradicanda penitùs, ad minùs ut scandalosa, quæ blasphemiam sapiunt.

Et, dictum sit hìc per transennam, eradicanda loquela quâ sibi fit aut aliis dæmonis imprecatio.

Nota : Non tamen blasphemare videtur, si blasphemare non credat (ut non credunt ordinariè) qui corruptas, quamvis olim horribiles, formulas profert blasphemiæ, ut : *mortdie* (mort de Dieu), *ventredie* (ventre de Dieu) *têtedie* (tête de Dieu), *jarnidie* (je renie Dieu), *maugredie* (malgré Dieu,) etc.

Et nunc aliqui credunt se non blasphemare dicendo simpliciter : *nom de Dieu*, si non præcedat *sacré ; sacré nom*, si non sequatur *de Dieu*, vel simpliciter *sacré*. Verba sola : *nom de Dieu*, non in irâ prolata sæpè à mortali saltem excusarem, quia sæpè in intentione loquentis admirationem solùm vel rei magnitudinem significant, nec aures pias offendunt. Sed difficilè à mortali excusarem *sacré nom*, aut *nom de Dieu*, in irâ prolata. Hìc, ut modò dictum est, ex circumstantiis judicandum. Hæc omnia ut mihi videntur.

Nec sunt ab omni peccato immunes qui nec jurando, nec blasphemando, sæpè nomen Dei aut Jesu in ore habent, præsertim si ex levi impatientiâ.

TERTIUM DECALOGI

ET

PRIMUM QUARTUMQUE

ECCLESIÆ PRÆCEPTA.

Finis horum præceptorum est cultus divinus, ac proindè tertium decalogi præceptum in hoc naturale est quod debeat aliqua dies aut saltem aliquod tempus in vitâ cultui divino deputari.

Undè, abrogatis legis antiquæ cæremonialibus, determinatio diei dominicæ, cessatio ab operibus servilibus, etc., non videntur juris divini positivi (*a*).

(*a*) Ità multi post D. Thomam, contrà Sylvestrum. Ratio est quia in his Ecclesia dispensat. Non dispensaret autem, inquiunt, in jure divino positivo.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ DIEBUS SACRIS PRÆCIPIUNTUR.

326. A Deo, diebus sacris præcipitur quidquid ad earum sanctificationem necessarium est;

Ab Ecclesiâ verò, sub gravi assistentia missæ saltem (*a*),

Quæ parochialis sit, ni contraria vigeat consuetudo legitima (*b*).

(*a*) Vide quæ statìm infra.

Juxtà multos, qui diebus festis non Dominicis missam audire nequivit, non tenetur aliter pensum suum reddere Deo, quia in his festis non obligat jus naturale et ad ea sanctificanda præcipitur solùm missæ auditio.

Imò existimat Billuart eum, qui die Dominicâ missam audire nequit, satisfacere præcepto naturali per missam aliis diebus, per preces matutinas et serotinas, quia Ecclesia nihil aliud quàm missæ auditionem præcipit. Ast hæc omnia contraria sunt fidelium praxi, qui, si missam non potuerint audire, pensum suum Deo alio modo sedulò tribuunt, et præter missam alia pia perficiunt, juxtà doctrinam catechismi Romani, etc.

Undè communis est sententia missæ auditionem non sufficere ad sanctificandum diem dominicam; quin et ipse fatetur Billuart vesperis, ex consuetudine, sub veniali assistendum. Tamen non nisi reprehensibilem dicit qui nihil aliud præter missæ auditionem et ab operibus servilibus vacationem diebus festis operatur. D. Dens dicit talem peccare venialiter. Mortalis dubii reum credit Collet virum nobilem qui, auditâ missâ, die ferè totâ venationi vacat, et mortalis certi, si vesperè reversus nihil ampliùs in Dei gratiam faciat. Sed à mortali eum excusant plerique post Sylvium.

Notare sufficiat diem sanctificare idem videri ex terminis quàm illam Dei cultui applicare; idque conforme est praxi fidelium. Culpabiles sunt præcipuè qui, parùm instructi, conciones et catecheses negligunt.

(*b*) Non viget in Galliâ. Quin et multi mortale dicunt abesse sine causâ, à missâ parochiali, tribus dominicis continuis. Saltem hoc ut mortale dubium habendum est, et ut mortale certum in diœcesibus ubi præceptum circà hoc speciale, sub gravi pœnâ, censuræ, v. g., obligat.

Alii de gravitate hujus peccati judicandum dicunt ex frequentiâ vel raritate absentiarum, qualitate personarum, scandalo, etc. Sic graviter faciliùs peccarent patres et matres-familias, et qui ignorant ea quæ fideles in prono edocentur.

Nota : Benedictus XIV, de Synodo Diœcesanâ, lib. 11. cap. 14, negat necessitatem assistendi Missæ parochiali, modò missa non audiatur in sacellis privatis, et absentia non fiat in contemptum proprii parochi aut propriæ Ecclesiæ; quia, inquit, antiquis sanctionibus circà missam parochialem derogatum est consuetudine contrariâ et aliis SS. PP. decretis.

Eamdem obligationem absolutè negat Billuart, et ob SS. PP. constitutiones in favorem ordinum mendicantium, et ob praxim universalem per quam derogatum est juri antiquo contrario, si quod extiterit. Imò addit idem, post Sylvestrum, ratione hujus consuetudinis satisfieri præcepto, audiendo missam in domo privatâ.

Hæc habet Tridentinum : *Moneant Episcopi populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis et majoribus festis, accedat.* Quæ verba præceptum rigorosum non indicant, inquiunt.

Sed his non obstantibus, vigere videtur in Galliâ contraria consuetudo; seu potiùs juri antiquo in Galliâ non est derogatum.

---

327. Ad implendum missæ audiendæ præceptum requiritur

Præsentia moralis, religiosa, et toto ejusdem missæ tempore perseverans.

Missam ergò non audiunt

1° Qui stant adeò à longè ut cum multitudine assistentium cœtum constituere non censeantur, aut qui per se aut per alios sacerdotis ministerium percipere nequeunt, sive quia aliquid interponitur, sive quia vacant aliis rebus, etsi piis (ut confessioni, nisi brevis sit), quæ ad sacrificium non pertinentes, attentionem ad illud impediunt (*a*).

Nec 2° qui corpore quidem præsentes, mente absunt, aut

externam solùm, non internam et piam attentionem habent ad sacrificium (*b*) per partem missæ notabilem, aut tot parvas ut unitæ materiam gravem constituant (*c*).

Nec 3° qui parti missæ notabili desunt, aut omnibus quidem partibus adsunt, sed à pluribus ministris insimul aut successivè celebratis (*d*).

Attamen qui toti missæ nequit, parti adesse debet, si possit, saltem si pars illa notabilis sit (*e*).

(*a*) A longè ergò in magno concursu potest quis esse moraliter præsens, et à propè abesse, ut si sit in domo vicinâ, nec sit fenestra conjuncta Ecclesiæ aut via intercedat. Secùs, juxtà aliquos, si solùm murus. De hoc dubitarem; murus enim magìs quàm via videtur cœtum intercipere.

Missa audiri potest è gradibus vestibuli, si propior accessus impediatur. *P. Gab. Ant.* Sed nequidem ponenda videtur hæc restrictio, saltem si vestibulum sit parvum, quale ordinariè ruri, modò tamen ecclesiæ janua aperta sit. Sed locus hic recollectioni inaptus ordinariè aliundè irreligiosos et dissolutos continet.

Cæterùm cœtui sacro continuò adesse censentur qui missæ deservientes aliquandò ex necessitate exeunt, quia opera quæ faciunt, ad actionem sacrificii pertinent, possuntque cum piâ ad sacrificium attentione conciliari.

(*b*) Plures tamen volunt sufficere attentionem externam. Sed nùm non actum religiosum præcipit Ecclesia?

(*c*) Quod moraliter loquendo solùm intelligi potest, nec id unquàm possunt fideles in confessione determinare. Solùm ergo videndum an longas aut breves, an parùm, an multùm repetitas distractiones habuerint voluntariè, et in quâ missæ parte. Nam in missis solemnibus pars prima tribus aliis longior est.

(*d*) Non enim idem est sacrificium. Ast mirè variant in assignandâ parte missæ notabili. Omnes conveniunt mediam aut tertiam partem esse quid notabile. Alii, qui sententiam suam communem dicunt, ut partem notabilem habent ab initio missæ ad peractum Evangelium, et ab antè communionem usquè ad finem. Alii cum Cabassutio, qui et suam sententiam dicit communiorem et probabiliorem, pro parte notabili assignant ab initio ad peractam Epistolam. Alii quartam partem in genere determinant. Alii, ut P. Gab. Ant. et Billuart, tempus consecrationis, Billuart insuper tempus communionis habent ut quid in se notabile, quia partes istæ essentiales sunt et integrantes sacrificii. Non mihi displicet hæc opinio saltem pro eo quod spectat ad consecrationem, reorque de hoc ab confitentibus distractiones in missâ inquirere non esse scrupulum. Quia quamvis hi theologi loquantur de absentiâ tempore consecrationis, idem dicendum est de distractionibus voluntariis, et quidam id in particulari mortale affirmant.

Ut certum videtur affirmari posse mortale esse abesse à missâ ab initio ad peractum Evangelium et ab antè communionem ad finem. Sed quamvis pluribus, imò forsan majori theologorum parti rigidior videatur opinio Cabassutii, numquid non mortali se proximè exposuit, ac proindè mortaliter peccavit qui, non excusante causâ legitimâ, non advenit nisi peractâ Epistolâ? Poteratne sibi promittere quòd non peractum esset Evangelium?

(c) Ut à consecratione jam peractâ ad finem missæ. *P. Gab. Ant.*

Nota : Modus convenientior missam audiendi est sequi devotè actiones sacrificantis. Imò ad eas identidem attendere debent qui in missâ preces vocales etiam piè recitant, quia debent cum sacerdote saltem implicitè offerre.

Non displicet quod ait Billuart, nempè sufficere posse attentionem ad missam et ad actiones sacerdotis, quin preces ullæ privatæ formentur, modò sit intentio colendi Deum; quia Ecclesia non videtur præcipere nisi assistentiam piam sacerdoti celebranti et oranti tùm nomine totius Ecclesiæ, tùm in nomine personâque omnium præsentium. Sed in praxi plurimi, maximè rudes et non multùm pii, voluntariè distraherentur, si preces saltem mentaliter non recitarent, imò, cùm possunt, in libello non legerent devotè.

Juxtà Collet, novum peccatum committit qui in mortali existens, missam audit cum actuali ad illud affectu, sine debitâ reverentiâ et aliquo saltem resipiscentiæ desiderio. Sed juxtà Billuart, satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia implet substantiam actûs et ipsius actio remanet religiosa secundùm se licèt vitietur. Addit Henricum à S. Ignatio, aliundè rigidissimum, ibi non videre nisi culpam venialem.

Supponitur sanè affectum ad mortale talem non esse qui actu habeatur per notabilem missæ partem; repugnare enim videtur quòd quis actu peccando devotè assistat.

---

328. Causæ à missâ audiendâ excusantes eædem sunt in genere quæ ab aliis legibus positivis, revocanturque communiter ad impotentiam moralem, charitatem urgentem, et officium (a).

(a) Excusantur ergò nutrices, milites in statione, custodes domûs necessarii, pecorumque quæ non possunt domi, tempore missæ, sine gravi damno retineri nec alterius custodiæ committi. Excusantur à fortiori custodes ægrotantium, etiam in dubio de necessitate custodiæ.

Nollem tamen, saltem statim, è bonâ fide extrahere ruricolas, qui, quamvis possent, diebus Dominicis pecora aliorum cum suis, vel plurium custodire alternatim, singuli tamen sua custodiunt ex usu immemorialis temporis. Forsan plura objicerent quæ non forent semper omninò vana. Exhortationibus primùm uterer; imò, si fructum non sperarem, tacerem.

Et excusantur qui sacro assistendo, proximo exponuntur peccandi periculo (rarò casus), puellæque occultè gravidæ. Sed non puellæ nobiles, quia nubiles, ut est alicubi prava consuetudo.

Incertum valdè, ait Collet contrà alios graves, an excuset consuetudo alicubi existens ut fœminæ per aliquot dies post partum, etsi convaleant; et viduæ statim post mortem mariti, sacro non adsint. Idem dicerem de puellis nupturis quæ à sacro ex consuetudine abstinent, si alibi adesse nequeant quàm ubi banna earum promulgantur. Aliundè timor oculos omnium in se convertendi causa non omninò saltem parva videtur; et has imò et forsan priores in bonâ fide relinquerem, saltem si fructum ex admonitione non sperarem, et eò magis quòd à gravibus theologis istæ excusentur.

Certè non excusandi qui sine causâ apud Acatholicos commorantur, ubi, nequidem in vicinio, missam possunt audire, nec heri patresque familiâs qui eosdem famulos puerosve singulis Dominicis pecorum custodiæ deputant.

Valdè timendum ne quæcumque difficultas in itinere, quâ delicatæ quædam sibi blandiuntur, pro morali impotentiâ habeatur. Nec ad abesse sufficiunt vitanda, ob prælationes, in ecclesiâ jurgia nec quæcumque indecentia ob vestes statui non congruentes. Attendi debent circumstantiæ personarum, sexûs, ætatis.

Ob ætatem teneram præcisè non excusantur infantes rationis usum adepti.

CAPUT I

DE HIS QUÆ DIEBUS SACRIS PROHIBENTUR.

Opera sunt alia servilia, quæ in ordine ad aliquid corporalè et mecanicum, tanquàm ad finem proximum, corporaliter solent fieri, ut opera ruris.

Alia liberalia, quæ, sive spiritu, sive simul fiant corpore, primariò et principaliter ad suî aut aliorum animum excolendum referuntur, ut docere, scribere, ludere.

Et hîc notandum sedulò intentionem operantis, lucrum, v. g., recreationem, non reddere opus de liberali servile, nec de servili liberale.

Alia communia seu naturalia quæ ab omnibus fiunt et servis et liberis.


---

329. Totâ die sacrâ, à mediâ nocte ad mediam noctem, opera servilia prohibentur sub mortali *ex genere suo* (*a*).

(*a*) Inter opera servilia computanda sunt opera sartoria, molitoria, pistoria, etc. Imò opera barbitonsorum, typographorum, etc., et opera currus bestiasque onustas ducentium, præsertìm si mox imponere onera, mox levare oporteat.

Licet tamen ex consuetudine iter, justâ de causâ inchoatum cum curribus, etc., continuare. *Billuart.* (Et sic in Diœcesi Bisuntinâ nunc, sed non olim, consuetudo.) Non item excusarem, quamvis in eâdem Diœcesi sæpè fiat, qui arborum fructus, non eâdem die comedendos, sed servandos, colligunt, nisi fortè postridiè in urbibus sint vendendi, aut sufficiens sit consuetudo, contrà quam tanquàm abusum reclamando, è bonâ fide inutiliter, imò cum damno animæ plures educerentur. Talis videtur consuetudo in pluribus pagis ut post vesperas puellæ avellanas in sylvis colligant. Sed si non ob profanationem diei sacræ, saltem ob occasiones aliorum peccatorum, multùm sunt ab hoc avertendæ. Et in eâdem diœcesi fortiter increpantur ut legis violatores qui cum curribus iter sine necessitate aggrediuntur, prævidentes se die sacrâ iter acturos.

Quoàd molitores : statutum Diœcesis Bisûntinæ anni 1749, illis prohibet molere, vectesque cujuscumque generis versaliter exercere à media nocte



ad mediam noctem, sub quocumque prætextu, et fidelibus frumentum aut aliud quodvis elaborandum ad molinas et vectes deducere, vel deferre aut indè asportare sacris diebus. Sed peccant præsertìm qui labore magno ad aquas deducendas et molas exercendas indigent.

Nota : Qui per alios laborant, per se laborare censentur, ità ut si saltem successivè, per notabile tempus labor fiat, licèt leve quid solùm singuli faciant, mandans peccet probabilius mortaliter. Imò non tutò plures eum à gravi excusant, si insimul labor fiat.

Cæterùm quanto tempore laborandum sit die sacrâ ut peccetur mortaliter? Impossibile est determinare. Quidam, sed qui videntur laxiores, tertiam aut quartam diei partem ad hoc requirunt. Alii qui nec laxiores nec rigidiores habentur, duas horas; quia tempus minus non multùm avertit à cultu divino. Alii, ejusdem notæ, horam unam sufficere dicunt, præsertìm si labor sit multùm defatigans. Alii tandem ex naturâ operis dijudicandum dicunt, prout est multùm aut parùm defatigans, adduntque attendi debere causam, ut, v. g., si sit aliqua necessitas, quamvis non sufficiens. Cum his ferè coincidunt qui rem judicio prudentum derelinquunt.

Hoc unum dicere queo sæpè certò venialiter solùm in hàc materiâ peccari, sæpè certò mortaliter, et sæpè dubiè mortaliter, et tunc proindè certò; quia qui agit in dubio de mortali, hoc ipso illud committit, saltem si cogitet aut cogitare possit et debeat se agere in dubio.

---

330. Opera liberalia (*a*) per se, diebus sacris, non prohibentur.

Sed ex cap. 1, de feriis prohibentur

1° *Mercatus*, id est nundinæ tùm solemnes, tùm quæ mercatus vocantur (*marchés*) [332, *b*]. Imò et privati contractus venditionum, etc., præsertìm si publicè et cum solemnitate fiant. Sed circà hæc omnia contraria existere potest consuetudo legitima (*b*).

2° *Placitum,* seu lites et causæ quæ cum strepitu judiciali agitantur.

Et hîc de gravitate culpæ non tàm ex diuturnitate temporis quàm ex magnitudine causæ vel prolationis sententiæ judicandum.

3° *Judicium* ad mortem aut aliam pœnam, vel etiam sententia semiplena seu interlocutoria.

4° *Præstatio juramenti,* saltem in judicio (*c*).

Secùs si in professione fidei aut in aliâ cæremoniâ piâ.

(*a*) Disputant an transcriptio facta ab amanuensi aut famulo sit opus servile. Putat Sylvius, et consequenter peccare notarios, procuratores, etc., qui pacto pretio, ut artistæ, non verò ad juvandam memoriam et causâ ediscendi, magnâ diei parte, in transcribendis actis, computibus, processibus,

laborant. Sed hæc fortè rigidior opinio nec sat consonans definitioni operum servilium.

Ut liberale habent designare in chartâ quod est pingendum, ædificandum, etc., sed non ipsas picturas facere.

(b) In diœcesi Bisuntinâ non videntur prohibiti parvi mercatus in quibus fructus et alia comestibilia divenduntur ad usum quotidianum.

Item excusantur qui conventiones breves faciunt, aut eunt ad nundinas quibusdam in locis ob bonum publicum diebus sacris, non solemnioribus nec dominicis, toleratas. Coll. Andeg. contrà Pontas.

Et tolerantur, forsanque jàm ex consuetudine ut verè permissa haberi possunt conventicula ad vendendum et emendum fundos, vulgò dicta *montes, enchères,* quæ ruri fiunt post vesperas. Saltem hìc potiùs tacendum quàm è bonâ fide inutiliter probabilius fideles educere.

(c) Et juxtà plures, privata juramenti præstatio ad confirmandum contractum: præstationem enim juramenti sacris diebus simpliciter prohibet jus, nisi adsit necessitas aut urgens utilitas.

---

331. Nec diebus sacris prohibentur opera communia (*a*).

(a) Ut iter agere, etiam cum bestiis onere solutis, imò et eis onera imponere, ut itineris accessoria.

Venationem et piscationem prohibet Concilium Meldense anni 840, et servilia ea supponit jus canonicum, permittendo piscari haleces, ob necessitatem. Hinc non desunt qui hæc habeant ut prohibita. Ità P. Gab. Ant., et Theol. Pict., ut quid tutius.

Medium tenent Collet, P. Thomas et Billuart, inter servilia annumerando piscationem et venationem quæ fiunt cum labore magno et apparatu, sed non si cum parvo. De his secundùm communem sensum et usum legitimum patriæ judicandum videtur. Sic venatio cum catapultâ apud nos permittitur. Nec videntur damnandi qui, recreationis causâ, cum hamo piscantur, ubi fideles indè non scandalizantur.

Ast magna hìc agitatur quæstio, nùm videlicet peccatum computandum sit inter opera servilia?

Certum videtur illud non esse servile in sensu stricto, Patresque et Doctores, Augustinum, Thomam, Antoninum, Bonaventuram, qui sic illud appellârunt, in sensu mystico locutos esse.

Sed nùm saltem circumstantia diei festi est declaranda ut speciem mutans? Absolutè et meritò negant P. Gab. Ant., Theol. Pict., Billuart, etc., quia quamvis peccatum sit contrà finem extrinsecum præcepti de sanctificatione dierum sacrarum, non est contrà præceptum ipsum.

Verùm nùm saltem est hìc circumstantia notabiliter aggravans? Negant adhùc iidem nisi, 1° exteriori cultui peccatum quod committitur notabiliter repugnet, ut ludi theatrici, choreæ, comessationes totâ ferè die protractæ, à Conciliis et Patribus tàm acriter prohibita. Item sæpè ebrietas, consortia prava cum turpiloquiis aliisque impudicitiis inter juvenes diversi sexûs. Nisi 2°, juxtà alios, enormia saltem committantur in celebribus festivitatibus Paschæ, Pentecostes, Nativitatis Domini, Parasceves, etc., quibus addunt quidam diem communionis. Extrà hos casus, qui sunt juris naturalis, securitatem dare videtur praxis confessariorum et sententia modernorum communis, quæ, inquit D. Dens, facit sensum legis positivæ de quâ solùm agitur, licèt alius fortè anteà fuisset.

Certè non videtur damnanda praxis eorum qui de hâc circumstantiâ, extrà dictos casus saltem, pœnitentes non interrogant. Attamen facilè est de eâ inquirere, et paucis verbis in confessionibus generalibus: *hæc diebus festis præsertim faciebas*, et reverà, ruri præcipuè peccata et abusus communiora, pluraque in urbibus ab opificibus, diebus festis committuntur.

---

332. Ex communi sententiâ et praxi fidelium universali, servilibus aliquibus vacare sinunt diebus sacris,

Pietas (*a*):

Necessitas publica aut privata (*b*);

Consuetudo legitima, ubi viget (*c*);

Et dispensatio quæ præsertìm locum habet cùm dubitatur de sufficientiâ causæ naturalis, sed nunquàm nisi ob gravem et justam causam diei sanctitati proportionatam concedenda.

Eam autem concedere possunt Episcopi, et quidem, ex consuetudine, pro necessitatibus futuris.

Ex eâdem consuetudine parochi, sed nonnisi ad tempus necessitatis præsentis, cùm ad Episcopum non est recursus.

Non confessarii, qui solùm declarare possunt in tali casu legem non obligare.

Sed obtenta dispensatio manifestanda est ad vitandum scandalum (*d*).

(*a*) Ob pietatem excusantur qui foveas faciunt ad mortuos sepeliendos.

Et qui ea quæ ad ornamentum Ecclesiæ pertinent, v. g., tapetia et serta appendentes, templum verrentes, altaria in viis extruentes, etc. Venialiter peccaretur tamen si hæc commodè pridiè fieri possint, nisi bona fides excuset.

Sed non excusantur templa extruentes, tapetia aut serta componentes, rosaria, imò, juxtà Collet, panes consecrandos conficientes, nec mappas ecclesiæ lavantes, aut vestes pro pauperibus suentes, etc.

(*b*) Ob necessitatem publicam excusant eos qui pontes, vias, aggeres amnium reficiunt aliaque similia quæ nequeunt differri.

Et qui judicium mortis pronunciant, si terror sit subitò incutiendus, vel si timor sit ne testes discedant, aut justitia aliter impediatur.

Nec desunt qui excusent eos qui laborant, ob lætitiam communem et splendorem, ad reficienda aut perficienda theatra, ignes artificios extruendos, auleam ordinandam pro adventu principis, v. g. *P. Thomas ex Charmes P. Jos. Ant.* Quæ certè ad libitum et ultrà veram necessitatem extendi nollem.

Tandem plura in bello permittuntur.

Ob necessitatem verò privatam sive alienam sive propriam excusantur.

1° Coqui cibos, et pharmacopolæ medicamenta parantes; calceantes equos

itinerantium; barbitonsores respectu ruricolarum; molitores et pistores, cùm prævenire nequiverunt populi frequentiam; mercatores qui aliqua, his multùm indigentibus panem, carnes, sal et similia, imò, juxtà Collet, calceos, vestimenta, sine scandalo, et clausis officinis divendunt extraneis, qui aliis diebus vix possunt sibi de his providere. Adderem : et ipsis incolis qui, quòd talibus indigerent, non præviderunt.

Et multi excusant eos qui vestes suunt, ad nuptias aut sepulturam necessarias, ni suâ culpâ sutores se in tali necessitate constituerint. Quæ exceptio non valeret, si decisio rationibus sufficientibus firmata videretur. Sed quàm facilè videre in dicto casu necessitatem sæpè saltem futilem!

Charitas tamen non est causa pro aliis laborandi sufficiens, nisi in casu in quo ipsi indigenti laborare liceret ob necessitatem, nec posset hìc et nunc eleemosynâ juvari. *Collet.*

2° Excusantur qui sine scandalo laborant ut suæ subveniant sustentationi, vel quia non nisi ferè diebus sacris ex arte lucrari possunt undè vivant; vel quia aliter totalem ferè paterentur desertionem; vel quia à circumstantiâ quæ die sacrâ accidit, pendet eorum labor, ut sæpè labor molitorum à pluviis aut ventis.

Item famuli quibus gravia minatus herus, nisi laborent (intelligerem semel aut bis, quia si sæpè, talis herus deserendus est;) vel quibus non nisi dies sacros concedit ad vestes reficiendas, modò tamen reficiant eas secretò, nec possint reficere per alios.

Idem dicendum de ruricolis qui hostiles timent incursus, pluvias, etc. Sed sæpè sibi malè fingunt pericula. Igitur dispensationem petant, vel potiùs concedant eam pastores si causa sit : si non, penitùs prohibeant laborare.

Idem tandem de iis operariis quorum opus sine damno gravi interrumpi nequit, ut sæpè in fornacibus.

Non licet tamen laborare diebus sacris, præcisè ad lucrum faciendum, etsi notabile, nisi fortè, inquiunt non sine ratione aliqui, in casu in quo bonis fortunæ non abundanter instructus laborat, vendit aut emit, propter occursum lucri transeuntis quod sit gravis momenti. Respectu enim illius, tale lucrum cessans damnum verè reputatur.

(*c*) Hinc excusantur qui diebus sacris faciunt quæ ad nitorem domûs pertinent; qui in tabernis magnam diei partem in aliorum servitio insumunt; qui quædam reficiunt in vestibus quod prævisum non fuit; qui occidunt pullos, sed non qui animalia majora, ut boves et oves, nisi, inquit Collet, eorum occisionem anticipatam impedierit diei calor: qui navigant in fluminibus, etc.

Et sunt qui contra alios ex consuetudine excusant coquos parantes cibos deliciarum et ad convivii superfluitatem. Sunt qui meliùs excusant laniores et pistores qui, ob frequentiam populi, arte suâ laborant. Tandem excusant alii opifices præparantes, brevi tempore, materiam diebus sequentibus elaborandam.

Et hìc nota cum consuetudine non esse confundendum abusum etiam toleratum. Abusus est autem consuetudo, cùm à sanctificatione diei et maximè ab auditione missæ avertit totaliter.

(*d*) Dùm labor extraordinarius publicè fieri debet ex necessitate, petenda est licentia. *Dens.* Saltem hoc maximè convenit ad manifestandam Ecclesiæ submissionem.

QUARTUM
DECALOGI PRÆCEPTUM,

Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.

Hoc particulare habet præceptum istud, quòd primum sit ex iis quæ ad proximum directè spectant, habeatque adjunctam mercedis temporalis in hâc vitâ, et supernaturalis in alterâ, promissionem.

In Scripturâ et apud profanos, nomine patrum donantur tutores, omnes superiores senesque, et nomine filiorum omnes subditi. Quæ ergò de reciprocis filiorum et parentum officiis generalibus dicentur, de aliorum inferiorum et superiorum officiis cum proportione dicta erunt, solùmque addemus particularibus horum statuum officiis propria.

CAPUT I.

DE OFFICIIS FILIORUM ERGA PARENTES.

Hæc sunt reverentia, amor, obedientia et subsidium, quæ omnia sub honore continentur [36].

333. Igitur filii, etiam illegitimi, parentes debent exteriùs interiùsque revereri (*a*).

Amareque specialiter (*b*) plùs quàm alios, ut principales nempè, post Deum, vitæ auctores et primos benefactores, imaginesque vivas Dei et quasi legatos;

Iis obedire in rebus in quibus illis subsunt (*c*);

Eorumque necessitatibus spiritualibus et corporalibus, etiam communibus, subvenire (*d*).

Et hæc omnia sub mortali *ex genere suo*, nec excusant parentum defectus et vitia, quia hinc eorum tituli non auferuntur.

(a) Contrà reverentiam peccant peccato speciali, et, generaliter loquendo, mortali,

Qui nullum ergà parentes, aut nonnisi parvum interiùs habent timorem filialem;

Qui iis, præsertìm si ex contemptu, nulla præbent reverentiæ signa. Intellige tamen, juxtà morem patriæ, conditionis, et educationis institutum;

Qui monita eorum consiliave vel minas, præcipuè in eorum præsentiâ, contemnunt;

Qui, seclusâ necessitate aut damni magni periculo, pro eorum filiis haberi dedignantur aut negant, prohibent iis accessum ad domum, eos arcent à mensâ, admittere reputantes dedecori;

Qui eis maledicunt, eosve injuriis aut verbis contumeliosis afficiunt; risibus, subsannationibus, gesticulationibus impropriis, emissione linguæ, aspectu torvo, extollentiâ humerorum ex despectu, non ex levitate, aut simplici rusticitate; illis illudendo, asperiùs loquendo, quamvis forent senio aut aliquo casu deliri;

Qui cum superbiâ et amaritudine eos reprehendunt, contradictionibus exasperant, sine causâ multùm contristant, et à fortiori usque ad lacrymas, saltem si ad lacrymandum non sint multùm faciles, vel ad iram gravem provocant, rebus etiam levibus aliquandò aut verbis quibus norunt eos graviter commovendos, licèt patienter sustineant;

Qui eos percutiunt, etiam leviter, aut manum simpliciter attollunt, minasve aliter intentant, nisi probabiliùs ad suam, principis aut reipublicæ defensionem legitimam;

Tandem qui contrà eos testantur, excepto litis legitimæ contrà eos, hæresis, proditionisve regiæ casu.

(b) Contra amorem peccant, et ordinariè mortaliter, qui parentes odio habent interiùs, et malum eis, aliquandò heù! mortem ipsam exoptant, ut liberiùs vivere, vel hæreditate eorum potiri possint, vel ut alimenta aliasque curas præbere eis ampliùs non teneantur, non raròque ut matrimonium cui obstant, contrahere queant.

Et qui, etsi interiùs diligant, nulla eis specialia, prout offert se occasio, benevolentiæ signa exhibent, quin forsan odii de illis detrahendo, quæ illis jure debentur, quoàd victum, vestitum, habitationem, pejora dando, aut aliter gerendo se quasi odisse videantur.

(c) Seu in iis quæ sunt disciplinæ, vitæ et curæ domesticæ; in quibus materia gravis est, cùm notabiliter conducit ad curam domesticam, ad mores bonos et animæ salutem.

Sed ut peccatum inobedientiæ quatenus tale, mortale sit, requiritur præter gravitatem materiæ ut præceptum rigorosum sit, non, ut sæpè, simplex dictum, consilium, sollicitatio aut instantia; et insuper ut parentes intendant graviter obligare, quod cognoscitur ex necessitate et magnitudine rei præceptæ, ex pœnâ appositâ, et modo serio severoque præcipiendi. Undè cùm sæpè talis non sit voluntas parentum, etiam quandò materia gravis est, inobedientia sæpè quà talis venialis solùm est, etsi materia mortalis sit in ratione morum. *Dens. Theol. Pict.*

Aliundè sæpè filii, ob ætatis defectum, rei gravitatem non advertunt nec advertere possunt.

Sed è suâ parte sæpiùs mortaliter peccant parentes per segnitiem et dulcedinem crudelem, præceptum rigorosum non adhibendo, cùm nempè medium unicum est ad malum grave impediendum.

A fortiori, si ut non rarò, auctoritatem paternam quasi abdicent aut contemptibilem reddant.

Inferes mortaliter contrà obedientiam peccare qui, non obstante præcepto rigoroso et sub gravi, personas locave periculosa frequentant; et filiæ quæ è domo egrediuntur, virosve, noctu præcipuè, solæ alloquuntur;

Qui sacramenta, officia et preces notabiliter omittunt;

Qui, quæ ad bonum regimen pacemque familiæ multùm spectant, non exequuntur; quin et omnia pro nutu suo administrare volunt, spretà sæpè parentum auctoritate, ergà quos gerunt se quasi ergà externos, silentium imponentes, aliquandòque dicentes : *Nihil habes mihi præcipiendum;*

Qui, parentibus inconsultis, matrimonium ineunt, vel ducere recusant talem, cùm parentes id, gravi de causâ, præcipiunt, v. g., ad sopiendas simultates periculosas, vel magnæ parentum necessitati subveniendum, nisi tamen gravia, cum proportione, sibi justè permiscant, v. g., ex permissâ indole.

Attamen, cùm ex D. Thomâ, in his quæ ad naturam spectant non teneatur homo homini obedire, sed solùm Deo (ut pro matrimonio contrahendo, aut servandâ virginitate), quilibet, post annos pubertatis, libertatem habet ad ea quæ spectant ad dispositionem statùs, præsertìm in iis quæ sunt divini obsequii. Undè non peccant ii quibus, non suo sed prudentùm judicio, de voluntate divinâ constat, qui, petito sed vanis prætextibus recusato parentum consensu, statum clericalem, religiosum, aut matrimonialem amplectuntur. Imò tales esse possent circumstantiæ, ut non peccent non consulendo parentes.

Et cùm Ecclesia matrimoniis benedicat eorum qui, invitis etiam parentibus nubunt, contrà obedientiam graviter peccare hi non videntur, etsi contrà pietatem et reverentiam. *P. Ant. à Goritiâ.*

Peccant tandem mortaliter qui litteris statui suo convenientibus, et quibus apti sunt, operam dare recusant, undè fit quòd ad munia publica, ad quæ vocantur, nullam habeant aptitudinem.

Cæterùm utrique parenti resistentia non videtur nisi unicum inobedientiæ peccatum, quia idem est præceptum et ex eodem motivo in eâdem materiâ; sed duplex esse potest ex errore conscientiæ. Aliundè ordinariè ibi duplex est offensa et duplex ad iram provocatio. *Dens.*

Nota : Emancipatus, quamvis honorem, amorem, etc., parentibus semper debeat, in iis tamen præcisè quæ ad œconomiam domesticam spectant, subjectus non est ampliùs.

Nota iterùm : Ex Codice civili gallicano, lib. 1, tit. 9, de potestate paternâ, art. 374 : « L'enfant ne peut quitter la maison paternelle sans la per» mission de son père, si ce n'est pour enrôlement volontaire, après l'âge » de dix-huit ans révolus. »

Sed hæc videntur valere solùm pro foro externo, si adsint exeundi causæ sufficientes. Hinc si filius in domo paternâ asperè tractetur; aut si artem in quam naturaliter, non fantasticè propendit, velit ediscere, vel jam rem propriam curare, petitâ, sed sine causâ judicio, prudentum recusatâ parentum licentiâ, non videtur peccare discedendo, modò maturo consilio, nec parentes ejus operâ indigeant, quia irrationabiliter se gerunt. Filiis enim parentes, non parentibus filii thesaurisare debent, inquit Apostolus. Sed quot filii sibi hìc malè blandiuntur!

(*d*) Contrà subventionis officium peccant liberi,

Qui parentes de salute suâ non curantes, ad meliora reducere modis possi-

bilibus, non satagunt; de scitu ad salutem necessariis, quæ non rarò ignorant, cum reverentiâ non instruunt; non juvant precibus; eleemosynas facere impediunt; sacramenta eisdem morbo ultimo laborantibus conferri non curant; exequias convenientes mortuis non faciunt; Ecclesiæ suffragia non procurant; legata eorum pia vel alia debita non solvunt aut solvere differunt;

Qui, etsi à parentibus beneficia non habuerint, ipsis etiam culpâ suâ indigentibus, victum, vestitum, medicos, juxtà conditionem suam non procurant; eos infirmos, vel in carcere detentos non visitant, nec liberare satagunt, aut injustè vexatos non tuentur, etc.

Hinc filius, etsi votum religionem (quod tunc solùm suspendi videtur) ingrediendi emisisset, illud exequi non posset, nec jàm ingressus profiteri, si ejus ope parentes indigeant ad subveniendum sive præsenti sive futuræ tum propriæ, tum aliorum filiorum, qui adhuc curæ paternæ subsunt, extremæ vel gravi necessitati temporali vel spirituali.

Excipe, si absit spes realiter subveniendi, aut si filius manens in sæculo, periculum salutis probabile subeat.

Imò, juxtà multos, è religione egredi teneretur filius, recusatâ etiam licentiâ, ad subveniendum extremæ saltem necessitati parentum, servando, quantùm posset, habitum et essentialia religionis, ad quam, finitâ necessitate, foret ipsi revertendum.

---

334. Dicta hucusquè, ob easdem aut ferè easdem rationes, locum habent cum proportione ergà avos et proavos et ergà tutores curatoresque in iis quæ concernunt notionem tutelæ et curatelæ,

Et itidem cum proportione ergà fratres, sorores, aliosque sanguine vel affinitate conjunctos (*a*); et quamvis ergà hos culpæ minùs graves sint quàm ergà parentes immediatos vel mediatos, in confessione tamen declaranda est consanguinitatis aut affinitatis circumstantia, quandò agitur de injuriis, odiis, etc. (*b*).

(*a*) « Les gendres et belles-filles doivent également et dans les mêmes » circonstances, des alimens à leurs beau-père et belle-mère. Mais cette obli» gation cesse, 1° lorsque la belle-mère a convolé à de secondes noces; » 2° lorsque celui des époux qui produisoit l'affinité, et les enfans issus de » son union avec l'autre époux, sont décédés (206). Code civil.

» Les obligations résultantes de ces dispositions sont réciproques. » (207) ibidem.

(*b*) Sæpissime ex declaratione in tribunali non cognoscunt confessarii quousquè filii sint ergà parentes rei, quia vagè se accusant; undè fit quòd sæpè absolvantur quorum agendi ratio et loquendi modus horrorem incuteret, si videretur et agnosceretur, dùm è contrario. Noscenda ergò indoles et educatio et præsertìm interrogandi ii pœnitentes quid dixerint, quid fecerint, quomodò et quo spiritu. Experientiâ novi paucas esse materias præsenti difficiliores, sæpissimèque post interrogata remanere dubium an mor-

taliter, an venialiter solùm peccaverint filii, et consequenter an absolvi possint, cùm ordinariè peccata hæc sint consuetudinis. In dubio autem quid agendum nemo nescit.

CAPUT II.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA FILIOS.

Hæc, quæ gravia sunt *ex genere suo*, et locum habent etiam ergà illegitimos, consistunt in curâ temporali et spirituali, fundatâ in amore supernaturali.

SECTIO I.

De curâ temporali à parentibus filiis debitâ.

335. Cura hæc consistit in avertendo mala, et procurando bona temporalia, extenditurque ad filiorum filios (*a*).

(*a*) Ergò contrà hoc officium peccant

Qui non caveut ne fœtus in utero perimatur, quod evenire potest per inordinatas lascivias, usumque matrimonii absque ullâ discretione; per saltationes, onera graviora, cursus, longa itinéra; per graves mœrores, dolores, ærumnas, vèrbera quibus non raròò uxores prægnantes viri afficiunt; tandem brachia extollendo, comedendo aut bibendo, futuræ proli, antè aut post nativitatem nociva.

Qui item non cavent ne parvuli suffocentur, aut eos adhuc teneros in lecto collocant. Imò plures ibi mortale vident. Sed excepto casu in quo id per statuta specialia sub gravi prohiberetur, durum videtur de mortali statìm accusare matrem quæ quia id unâ aut alterâ vice fecerit, saltem si non totâ nocte; casus suffocationis rariores sunt respectu multitudinis vicium quibus matres hìc labuntur, ut dici possit quòd singulis vicibus, saltem si per modicum tempus aliquarum horarum hoc faciant, peccent mortaliter; præcipuè si, ut sæpè, aliquatenùs adhuc vigilent : fortiter tamen ab hoc avertendæ, nec absolvendæ si sæpè faciant.

Rituale Bisuntinum id vetat antequàm puer annum vitæ primum compleverit, et Stephanus I, causâ 2, q. 4, Can. 18, id prohibet ne, inquit, parentes rei homicidii inveniantur, si negligentiâ quâlibet proveniente pueri suffocentur.

Et peccant qui non curant ne quid mali quomodolibet soboli eveniat per aquam, ignem, bestias, nimium ploratum.

Qui etiam illegitimos exponunt absque gravissimâ causâ, vel non curando ne interim quid eis mali accidat; aut sine necessitate (qualis, v. g., nimia paupertas, aut infamiæ nota) domibus hospitalibus tradunt, in quo ultimo casu xenodochium indemne præstare debent, juxtà taxam saltem, ni de

contrariâ fundatoris voluntate constet. Sed ordinariè non nisi pauperes gratuitò recipiuntur. *D. Ant. Pontas.*

Curandum insuper ut infans signo aliquo possit in posterùm agnosci, ad providendum ejus educationi ulteriori, si in xenodochio non sit integra, et ad ipsius saluti invigilandum.

Jure cæsareo, quod in naturâ ipsâ fundatum videtur, mater alere debet filium triennio lactis, et posteà pater. Unus tamen alterum hìc supplere debet. Nonnisi lac mater debet proli, inquit Pater Ant. à Gor.: pater enim est caput familiæ et nobilius generationis principium. Ipsi ergò primariò cura demandata videtur filios post triennium lactis enutriendi, ni jura aliter statuant. Vide N° 373.

Ergò proprio lacte mater alere debet filium, ni rationabilis causa excuset ut infirmitas, et tunc magna cura adhibenda est in selectu nutricis.

Sed quodnam peccatum facit mater sana et lacte provisa, quæ prolem non nutrit? auctores graves eam à mortali non excusant. Sed alii, quibuscum Collet, ibi vident solùm veniale, imò nullum, si matres nobiles sint et illustres, ubi talis est consuetudo. Ast exsibilandi meritò videntur hi theologi. An autem illæ matres peccent mortaliter, affirmare non àudeo, inclinarer potiùs in contrarium, quia non agitur hìc de jure naturæ absolutè rigoroso, et sæpe hæ matres rationes habent non spernendas, qualis voluntas absoluta mariti, qui ipse non tàm facilè excusaretur.

Tandem contrà curæ temporalis officium peccant qui filiis, dùm hi non possunt et usquè dùm possint sibi providere secundùm statum suum, alimenta, vestitum, habitationem, medicamenta, vitæ statum, artem, etc., imò hæreditatem convenientem mediocriter laborando, non procurant. Undè si filius debita, ut vivere posset, contraxerit, ea solvere pater tenetur. Sed si proles ab alio volente fuerit nutrita, nihil ex justitiâ parentes debent nutrienti. *Collet.*

Sed in procurando filiis vitæ statu, maximè statu matrimonii, multum attendere debent parentes, præsertìm ut ejusdem temperamenti et ætatis, quantum fieri potest, sint nupturi. Quot enim ex disparitate matrimonia infelicia, cùm nempè robustus infirmam aut debilem, juvenis non juvenem ducit, præsertìm si uxor senior sit.

Graviùsque peccant qui filios ad statum ad quem non vocantur impellunt, et non raròcoactè, vel, sed minùs graviter, ab eo ad quem vocantur avertunt.

Nec à peccato immunes dixerim parentes qui, etiam servato ordine juris, unum filium aliis sine causâ anteponunt in successione.

Nota : In defectu patris et matris, cura filiorum ad ascendentes attinet.

Imò juxtà aliquos, ad alios propinquos, ut fratres, etc. Sed jus civile de hoc tacet, dùm de aliis affirmat, quod non parvum est contrà hanc sententiam argumentum.

In curà filiorum parentibus succedunt avi, 1° paterni, 2° materni, inquiunt theol. Pict. et Col. Andug. Sed juxtà annotatorem hujus collatoris, D. Gousset, hæc cura communis est avis paternis et maternis; ex articulis 203, 303 Cod. civil.

Hæc dicta sint de curâ illegitimorum, observando quòd de iis taceant articuli suprà dicti, vide 373, *c.*

SECTIO II.

De curâ spirituali parentum ergà filios.

336. Cura hæc consistit in procurandâ filiis baptismi collatione promptâ, et in informando eos, statìm ac usum rationis adepti sunt, ad omne bonum, doctrinâ (*a*), exemplo (*b*), vigilantiâ (*c*), correctione (*d*), et orationibus (*e*).

(*a*) Peccant ergò qui non curant filios addiscere mysteria fidei, preces aliaque ad salutem necessaria, verè quidem, et non ut psittaci;

Qui eos sententiis pravis imbuunt, aut doctrinæ perversæ pædagogis tradunt erudiendos:

Et qui animum illorum illustrando, cor simul non informant, peccati horrorem, cupiditatum refrænationis necessitatem, amoremque virtutis incutiendo.

(*b*) Contrà exempli officium peccant qui in dictis, factis, etc., non anteeunt in omni bono;

Et à fortiori qui pietatis operum neglectûs, inimicitiarum, injustitiæ, etc., iis exémpla præbent.

Horribiliùs si filios socios et complices criminum efficiant.

(*c*) Hic peccant qui filios etiam teneros pudicitiæ legibus non muniunt, sive eas ab ipsius infringi permittendo, sive coràm eis eas non servando, ut si eos secum in thalamo nuptiali, aut vel propè, sed sine magnâ cautelâ cubare permittant, cùm jam memoriæ capaces sunt, ut à triennio aut quadrienno; vel si, cùm sunt sexûs diversi, eos in eodem lecto collocent;

Qui, cùm annis creverint, et maximè vel in primâ adolescentiâ, non inquirunt quid faciant, quid legant, quibus consocientur, etsi manui extraneæ commissi sint educandi, aut ratione famulatûs, etc., extrà domum paternam maneant, in quo casu jam debuerunt de dominorum moribus accuratè sciscitari;

Qui eis immodesta aut immodestè gesta vestimenta permittunt, promiscuas familiaritates, contubernia suspecta, solitarias, etiam sub obtentu matrimonii, cum amasiis conversationes, choreas, spectacula, libros contrà religionem aut mores, etiam eos qui romantii dicuntur;

Et qui non curant ab eis impleri leges Ecclesiæ.

(*b*) Peccant ergò qui lenitate intempestivâ, remissiùs, aut è contrà immeritò, vel cum zelo immoderato, iræ impetu imprecationibusque corrigunt.

Aliquandò ad verbera, imò ad remedia severiora ut carcerem, è domo paternâ expulsum, exhærèdationem, deveniendum. Non possunt tamen parentes filios mutilare aut vulnerare, quia plenam non habent in eos potestatem.

(*e*) Ergò peccant qui filios Deo non commendant, præcipuè cùm à viâ rectâ discedunt, cùm statum eligunt, et cùm ex mundo migrârunt.

Nota : Qui officia ergà filios non implent, istorum peccatorum participes plus minùsve efficiuntur, atque tenentur injustitias, damna reparare cùm potuerùnt et debuerunt impedire, nec fecerunt. Sed disputant theologi jurisqueperiti de circumstantiis in quibus teneantur patres, mariti, domini,

magistri, filiorum, uxorum, famulorum et discipulorum injustitias damnaque reparare. Codex civilis gallicus, Art. 1384, patrem et matrem mortuo patre adpromissores facit damnorum à filiis minoribus cum eis habitantibus illatorum; item dominos et mandantes ergà famulos et præpositos, in iis de quibus specialiter mandaverunt; item magistros et artifices erga discipulos et tyrones, quamdiù eorum causam habent, nisi tamen probent hi omnes superiores se inferiorum damnosa facta impedire non potuisse.

In foro autem interno, pater et alii superiores non videntur teneri ad reparationem damnorum ab inferioribus illatorum, nisi cùm damna ex sua ipsorum culpa, et quidem theologica, illata sunt, saltem antè sustentiam judicis. Post sententiam autem tenentur : id enim exigit bonum publicum.

Nota iterùm : In curâ spirituali, sicut in temporali filiorum, parentibus succedunt ascendentes.

APPENDIX

E RECIPROCIS FILIORUM ET PARENTUM INJUSTITIIS.

337. Extractum ex titulis 9 et 10 libri primi codicis civilis gallicani, de potestate paternâ, etc.

« Le mineur est l'individu de l'un et l'autre sexe qui n'a » point encore l'âge de vingt et un ans accomplis [388].

» Le mineur est émancipé de plein droit par le » mariage [476].

» Non marié, (il) pourra être émancipé par son père, » ou à défaut de père, par sa mère, lorsqu'il aura atteint » l'âge de quinze ans révolus [477].

» Resté sans père ni mère, (il pourra l'être) à l'âge de » dix-huit ans accomplis [478].

» Le père, durant le mariage, et, après la dissolution » du mariage, le survivant des père et mère, auront la jouis- » sance des biens de leurs enfants, jusqu'à l'âge de dix-huit » ans accomplis, ou jusqu'à l'émancipation qui pourroit » avoir lieu avant l'âge de dix-huit ans [384]. Cette jouis- » sance cessera, à l'égard de la mère, dans le cas d'un » second mariage [386].

» Elle ne s'étendra pas aux biens que les enfants pourront » acquérir par un travail et une industrie séparée, ni à » ceux qui leur seront donnés ou légués sous la condition » expresse que les père et mère n'en jouiront pas [387]. »

Ergò evanuisse videtur distinctio bonorum castrensium, quasi-castrensium, adventitiorum et profectitiorum.

§ I.

De injustitiis filiorum-familiâs ergà parentes.

338. Filius-familiâs furatur parentibus, cùm sine eorum consensu, saltem rationabiliter et certò, non verò fantasticè præsumpto, accipit aliquid de eorum bonis, aut de suis quidem, sed quorum habent usumfructum, nisi tacitè saltem usum fructum hunc dimiserint.

Sed restituere non tenebitur, nisi quantùm valuisset ususfructus.

Consensum autem patris prudenter præsumit filius, cùm, jàm provectæ ætatis, aliquid accipit ad usus honestos, in quibus comprehenditur recreatio congrua.

Non tamen faciliùs hìc habenæ laxandæ, et aliquando excusantur facta, quæ facienda vix permitti potuissent.

Et notant hìc passìm quantitatem pro furto mortali ergà parentes (ni de eorum voluntate contrà constet) quam ergà extraneos paulò requiri vel multò majorem, ex paupertate vel divitiis, tenacitate vel liberalitate, affectu vel indifferentiâ parentum et usu, cui data est res ablata, dijudicandam.

---

339. Cùm parentes filiis summam dederunt absolutè, usum in particulari nullum determinando, sed solùm præcipiendo in genere honestum, non furatur filius eam in usus vanos, vel etiam malos impendens, quia per donationem absolutam factus est illius dominus.

Secùs, si sub conditione etiam tacitâ, v. g., ad pensionem vel alia necessaria (a).

(a) Hinc concludunt Collet, theol. Pict. etc., et, ut videtur, meritò, scholasticum ad restitutionem teneri, cùm per notabile tempus otiosè et à fortiori libidinosè vixit.

---

340. Nec furatur cùm accipit quod ex labore et industriâ sejunctis lucratus est in domo paternâ, nisi illud expressè vel

tacitè patri dederit, quod sic ordinariè est, cùm omnes, unus agriculturâ, alter artificio, etc. æquè aut ferè æquè laborant.

Et tacitè, quamvis plus aliis lucretur, dedisse censetur, si illud dando non dixerit se velle illud recuperare, cùm facilè id dicere potuerit.

Si autem, præ reverentiâ, iræ paternæ metu, etc., ausus non fuerit protestari suam quam conservabat voluntatem lucrum proprium faciendi, nec illud cesserit posteà liberè, potest illud, sive antè, sive post mortem patris accipere, deductis impensis quas faciebat in domo paternâ.

Sed hìc cautè procedendum, æquumque est ut alii filii qui labore non sejuncto, rem domesticam auxerunt, aliquid labori suo proportionatum accipiant (*a*).

Nota : Quandò filius-familiâs ad restitutionem tenetur ergà parentes, faciat eam quamprimùm moraliter, si propria habeat aut habere possit.

Secùs, cohæredibus restituat, nisi parentes expressè vel tacitè condonârint(*b*), aut certò constet cohæredes tantumdem surripuisse.

(*a*) Sæpissimè in his et similibus casibus confessarius multùm anxiatur, nec alia apparet via pœnitentis conscientiam tutò liberandi, quàm amicabilis cum cohæredibus compositio.

Juxtà multos contra multos, filius qui in domo paternâ multò plus quàm alii laborat, licèt non labore et industriâ sejunctis, sed ex rebus et substantiâ patris qui ejus operà non indiget, jus habet ad aliquid labori suo majori proportionatum, si patri non censeatur dedisse, quamvis voluntatem pro se lucrandi manifestare non sit ausus. Sed hujus lucri, quod bonum profectitium vocabant, usumfructum certò non haberet.

Sententia hæc probabilior videtur, excepto casu in quo filius ille plùs, ob laborem, quàm alii filii in hæreditate habuerit. Pietatem enim liberi parentibus, non operas debent, si non indigeant.

Sed foretne hìc locus compensationis? Jura hìc nimis incerta sunt ut affirmari possit. Forsan excusari possent qui parùm accepissent, non autem quod sibi deberetur ad apicem, id est, non quantum apud patrem alius lucratus fuisset, æquè laborando. Eò minùs hìc concedendum quòd jus civile nihil concederet, et quòd talis filius plura quàm servus, in domo paternâ commoda habeat. Amicabilis compositio facienda est si possibile.

(*b*) Aut verè præsumantur condonasse. *Theol. Pict.*

§ II.

De injustitiis parentum, etc.. ergà filios.

341. Injusti sunt parentes qui de bonis filiorum retinent, præter id quod sibi lege concessum est.

Et qui justa non faciunt inventoria et æstimationes mobilium ad filios pertinentium, aut, nulla faciendo, filios exponunt periculo ea non recuperandi saltem totaliter, ut evenit sæpè cùm proles sunt plurium conjugiorum, aut, ut non raro, ea non recuperandi nisi litibus quæ majorem eorum partem in impensas absorbent.

Et injusti videntur qui sine causâ sufficienti exhæredant filios; imò qui parte bonorum quæ dicitur legitima, filium privant, simulatis, v. g., venditionibus, aut veris quidem, sed pretium alteri filio dando(*a*). Nam leges videntur hìc in justitiâ obligare, aliter filius posset, sine causâ, totâ hæreditate privari; saltem adest hìc obligatio conscientiæ quævis cujus læsio reparari deberet[445, *b*].

Et qui illegitimis dant ultrà quod leges permittunt. Vide Cod. civ. *Enfants naturels, enfants adultérins.*

(*a*) Multi et juris et sanæ moralis periti, autumant posse patrem, præter bonorum partem quam vocant disponibilem, relinquere filio prædiorum fructus, durante vitâ patris, saltem si fructus hi non sint grandes. Et sic videtur ex articulo 856 Cod. civ. « Les fruits et les intérêts des choses sujettes à rapport, ne sont dus qu'à compter du jour de l'ouverture de la succession », ubi nequidem fit distinctio inter fructus grandes aut mediocres.

Sed id extendere nollem ad fructus jam perceptos et cumulatos, quorum proprietatem pater sibi reservasset, quamvis cum intentione eos dandi filio; nec à fortiori ad pecuniam ex iis redactam, quia tunc fructus partem faciunt bonorum patris, nisi tamen verè dentur filio tanquàm justum laboris majoris stipendium, saltem si ipsi promissa, aut gratis non laboraverit.

---

342. Tutores, qui parentum locum tenent, ergà pupillos injusti sunt, cùm inventoria justè fieri non curant, bona non rectè administrant(*a*), in commodum suum ea convertunt, pensionem simul et operas à pupillis exigunt, dant eis pecuniam ad usus malos.

(*a*) Tenentur ex culpâ latâ et levi, quia stipendium exigere possunt pro administratione suâ [558, *b*]. *P. Gab. Ant.* Non puto, nunc saltem, eis concedi stipendium, præter impensas ob gestionem factas.

ADDITAMENTA

PRO MAGIS PARTICULARIBUS ALIORUM INFERIORUM ET SUPERIORUM OFFICIIS ET PECCATIS.

ADDITAMENTUM I.

De magis particularibus fidelium et superiorum spiritualium officiis et peccatis.

343. **Fideles superioribus spiritualibus debent, præter amorem et reverentiam,**

Obedientiam in iis quæ ad animæ salutem pertinent.

Et Episcopo subalternoque pastori vitæ subsidium.

Pastores verò fideles sibi subditos pascere debent per se verbo (*a*), exemplo, sacramentis (*b*), oratione (*c*);

Et pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere (*d*), ac proindè in loco tituli residere (*e*).

Hæcque omnia sub mortali ex genere suo, cujus rei sunt in genere qui indigni, id est, sine vocatione divinâ, scientiâ competenti et aggregatione virtutum quæ pium faciunt, munus suscipiunt pastorale, et qui talibus illud, imò non dignioribus procurant.

Quæ peccata obligationem sæpè invehunt reparandi damna quorum causa extiterunt.

(*a*) Nec excusantur eò quòd vicarium etiam eloquentiorem se habeant, quia vox pastoris magis fructificat. Sed nec indè excusationem habent qui catecheses negligunt.

Ast quandonàm mortaliter peccat pastor qui ministerio verbi deest? Cum vix semel in mense verbum Dei prædicat, inquit Bailly. Cùm uno mense continuo, aut duobus vel tribus anni mensibus discontinuis, aiunt Bonacina, Pontas, Dens.

Sed statuta aliquarum Ecclesiarum, Bisuntinæ, v. g., multò rigidiora sunt, cùm ad quindenam concionari sub gravi reservato obligent.

Qui memoriter ediscere nequeunt, saltem benè meditentur quæ dicturi sunt, et si nequidem hoc valeant, aliorum sermones publicè legant. Sed caveant ne negligentiâ potius quàm impossibilitate impediantur.

(*b*) Pastor, etiam non rogatus, sacramenta tenetur offerre, adhortando, sive ægris quos advertit in eo statu esse in quo iis indigeant, sive sanis qui ea

notabiliter negligunt, saltem tunc per modum correctionis sive publicæ, sivè etiam sæpiùs privatæ.

(c) Maximè missam pro iis, diebus dominicis et de præcepto festivis, offerendo: et hìc nota quòd sacra congregatio sanciverit ad Papam recurrendum pro missarum fundatarum reductione in casu stipendii insufficientis, nisi tamen ex ipsius fundationis tenore aut ex usu eas reducere possit Episcopus.

Eadem congregatio decidit parochum pingue habentem beneficium, teneri jure divino gratìs celebrare pro parochianis singulis diebus, excepto quando celebrat pro fundatione, anniversario vel beneficio parochiæ incorporato. *Collet* qui sic docere dicit saniores canonistas : id convenit, aiunt alii, fortè verisimiliùs. Certò saltem non sunt inquietandi hi beneficiarii cùm pro se aut pro parentibus identidem celebrant, nec cùm legitimâ de causâ à celebrando abstinent.

(d) Hìc delinquunt præcipuè qui subditorum saluti non invigilant perpetuò, sive ut abusus, superstitiones, etc., tollant scandalaque detegant, et per se vel per Episcopum coerceant, sive ut peccatores cum prudentiâ corripiant; sive ut omnes communibus, ut paschali, particularibusque religionis et statûs proprii officiis fungantur.

Sed et qui infirmos non visitant sæpè, scholis non invigilant, aut juvenes sexûs diversi insimul in iis admitti patiuntur, quod expressè vetant statuta Bisuntina.

Si tamen adsit vera necessitas, saltem unius sexus pueri nondùm sint adolescentuli aut adolescentulæ, sed pueritiæ proximi, annum nonum non excedentes.

Quoàd curam temporalem, quæ in genere ad eleemosynam revocari potest, hìc sermo sit de usu bonorum ecclesiasticorum.

Illa autem bona sunt, alia Deo dicata, ut proventus beneficiorum, ad quos alii contra alios revocant fructus stolæ ex matrimonio, sepultura, etc., provenientes, et distributiones quotidianas canonicorum.

Alia, quæ non ex beneficiis, nequidem ut accessoria proveniunt, sed ex cantu, concione, missæ celebratione, etc.

Alia minùs adhùc ecclesiastica, licèt à viris ecclesiasticis ordinariè acquirantur, ut quæ veniunt ex munere docendi theologiam.

Fatentur omnes superflua bonorum primi generis esse pauperibus danda, vel in alias causas pias impendenda. Ast nùm ex justitiâ strictâ, ità ut ex patrimonialibus sit restituendum, si vanè insumpta sint? Sententia affirmans communior est, imò, aiunt quidam, inter canonistas communissima, et in hoc fundatur quod canones et Patres dicant bonorum ecclesiasticorum non dominos, sed solùm dispensatores esse clericos, jusque consequenter quod habent ad ea non extendi ad superflua, aut vinculatum esse onere ea in causas pias erogandi, utpotè sub hâc conditione à fidelibus data Ecclesiæ.

Sententia contraria quam suis temporibus communiorem dicunt Billuart et Dens et probabiliorem existimat Billuart, quamque secutos ait multos, inter alios Soto, Valentia, Bellarminum, Sylvium, Lessium, Cabassutium, sequentibus innititur rationibus : 1° quòd canones dicant beneficiarios qui non resident, etc., non facere fructus suos. Undè concludunt eos qui resident muniaque alia adimplent, fructus suos facere. 2° Quòd nullibì in jure nec canonico nec civili, hæc quamvis adeò gravis et tam multos spectans obligatio, clarè clericis imponatur; Patresque et canones qui superflua beneficiariorum pauperum esse dicunt, posse facilè intelligi locutos fuisse antè bonorum ec-

clesiasticorum divisionem; aut si post, non theologicè, sed per piam exaggerationem. Simili enim modo loquuntur de superfluis laicorum. 3° Quòd non facilè concipiatur dominium illud vinculatum, debeatque exprimi, non subaudiri talis conditio cùm donationi apponitur. Clerici sunt absolutè domini quorumdam fructuum; ergò omnium, quia eos indistinctè recipiunt cum obligatione personali equidem, sed non reali ipsi rei annexâ, et consequenter non stricti juris, quamvis speciali, superflua dandi pauperibus.

Ex utrâque parte D. Thomam sibi vindicant. Sed videtur ex quodlibeto 6, q. 7, art. 12, ad 3, et ex summæ q. 185, art. 7, posteriori sententiæ favere et eam amplecti, inquit Billuart.

In rei veritate tota inter utramque sententiam differentia pro beneficiariis ipsis est, quod in priori, ex duplici titulo, in posteriori ex uno solùm damnabuntur beneficiarii divites, qui superflua in causas pias non impenderint. Undè in praxi beneficiarium qui in vanos usus superflua impendisset, strictè obligandum ad refundendum in pias causas de patrimonialibus, dubium non est. Nec illa superflua in manibus hæredum relinquenda, ni pauperes sint. Sed ii hæredes tenenturne restituere de bonis patrimonialibus beneficiarii pro superfluis beneficii à beneficiario malè consumptis? Sequitur ex principiis prioris sententiæ, cui ut antiquitati et canonibus conformiori, majoribusque rationibus suffultæ adhærendum existimo.

Ast in Galliâ nunc quid dicendum de dote altaris ministris assignatâ? estne bonum ecclesiasticum? Doctioribus relinquo decidendum, sicut et alias multas quæstiones quæ ex novo rerum ecclesiasticarum ordine apud nos ortæ sunt.

Hæc dos in concordato anni 1801 assignatur titulis erigendis, ut servetur, inquit Bulla, quantùm possibile, modus titulos erigendi, et locum tenet bonorum ecclesiasticorum. Strictè tamen huic doti applicari non posse videtur definitio bonorum ecclesiasticorum. D. Bouvier suam circà hoc punctum sententiam dereliquit, et ait S. Pœnitentiariam ad sacerdotem Belgii scripsisse dotem hanc esse bonum ecclesiasticum.

Bona quæ à clericis acquiruntur cantu, etc., quæ dicuntur quasi-patrimonialia (ad quæ referunt aliqui quæ ex beneficio superflua non habente ob victum parcum supersunt) ad clericos probabiliùs plenè pertinere docent multi; et quamvis multi item, inter quos Habert, Collet, Bailly, etc., contrarium sentiant, id tamen ut certum tradunt P. Thomas et Billuart; quia bona hæc non meræ oblationes sunt, sed justum laboris stipendium, seu potiùs compensatio juris quod habet clericus occupandi se pro se. Nec enim clerici minùs quàm advocati, medici, etc., jus habent ad stipendium.

Ad rationem adversariorum, quòd nempè bona hæc vota sint fidelium, et oblationes priorum temporum imitar videantur; respondent quòd non ipsi Ecclesiæ offerantur et appropientur, sed particulari, ratione nempè personalis ministerii ecclesiastici.

Hic sat forsan remanet dubii ut ad minus consulatur horum superflua impendere in pias causas, saltem quoàd partem. Nollem tamen hìc scrupulosiùs agi, nec inquietare qui suam hìc formassent conscientiam, et eò minùs, quòd moveat me adhùc multùm ratio quam apud nullum inveni, nempè sequi videri ex sententiâ Haberti et Collet, quòd qui beneficium habet ad congruam sustentationem sufficiens, non posset pro missis, concionibus, cantu, etc., stipendium accipere, sicut non posset beneficium aliud licitè adipisci, quam tamen consequentiam nescio an quis admittat.

Bona verò alia minùs adhùc ecclesiastica, ut quæ proveniunt ex munere

docendi theologiam, pauci, si qui sint, ea non habent ut quasi patrimonialia.

(e) Hic ergò delinquunt qui in tituli loco non resident, nisi relicto vicario, justâ absint de causâ, gravi quidem et ab Episcopo approbandâ necessariò, si saltem ultrà duos menses, sive continuos sivè interruptos, absentia extendatur.

Causæ autem graves, sunt christiana charitas, urgens necessitas, ut persecutio (nisi tamen in populum sicut in pastorem ferveat), debita obedientia, et evidens Ecclesiæ aut rei publicæ utilitas.

Honesta recreatio causa est legitima ultrà aliquot dies discedendi, vicario relicto.

Hic notat theologus Pictaviensis Tridentinum nullum tempus concedere parochis, ità ut indigeant licentiâ ad absentiam infrà duos menses, nisi de quinque solùm aut sex diebus agatur, et relicto semper vicario. Attamen attentè legenti Tridentinum, (Ses. 23, Cap. 1, de reformatione) apparebit quòd contineat ferè eadem de parochis ac de Episcopis, quibus, justâ de causâ duo menses conceduntur, et ultrà, ex licentiâ.

Quidquid sit, residentia juris est divini, ad restitutionemque tenentur, qui absunt saltem ultra duos menses, cùm desint suo muneri.

Ast quanta requiritur sine causâ legitimâ absentia ad peccatum mortale? Non nisi prudentum arbitrio determinari potest. Duo aut tres dies, etiam nullo infirmante, ad mortale sufficere videntur aliquibus, maximè in villis, ubi nullus est alius sacerdos. In urbibus verò, ubi alii sunt sacerdotes, plùs minusve absentiæ ad mortale requirunt, ratione periculi possibiliter eventuri. Hinc minùs est culpabilis qui abest habens vicinum præmonitum, quàm qui talem non habet, quanquàm non semper fidendum his auxiliis. Timorati absunt rariùs quàm possunt, noctu præsertim.

Continuæ tamen residentiæ non obstat, si parochus divertat ad funus vel anniversarium in vicinâ parochiâ, vel recreationis causâ, eodem die reversurus; sed id sæpiùs non fiat.

ADDITAMENTUM II.

De magis particularibus discipulorum et magistrorum officiis et peccatis.

344. Discipuli, præter amorem et reverentiam, magistris assiduitatem debent et animum benè memorem.

Magistri verò discipulis doctrinam sanam, competentem, captui eorum accommodatam et, ad finem intentum, utilem.

Insuper nimis studiosos moderentur, segnes excitent, adjuvent ingenio tardos (a).

(a) Peccant ergò magistri, peccato *ex genere suo gravi*, et ad restitutionem ob violatum quasi-contractum, ut plurimùm obligante, si non satis studeant ut erga discipulos officium rectè impleant, si falsa nocivave doceant, si in-

capaces et crassioris Minervæ subalternos habeant, nec sedulò discipulorum profectum promoveant, scholam, sine causâ, continuò statis horis non teneant, pravos admittant aut non ejiciant.

Tandem si indoctos, ad doctoratûs lauream, in theologiâ præsertim, jure et medicinâ promoveant, undè damna multorum, ipsisque magistris insuper avaritiæ labes.

ADDITAMENTUM III.

De magis particularibus subditorum et superiorum civilium officiis et peccatis.

345. Præter amorem et reverentiam, principibus fidem et subsidia debent subditi;

Cæteraque, cum proportione, aliis infrà superioribus(*a*).

Principes verò, et qui sub eis rem administrant publicam, suis subditis debent curam temporalem (*b*), et curam spiritualem per bonum exemplum, religionisque et Ecclesiæ protectionem(*c*).

(*a*) Undè mortaliter peccant, si, in re gravi ad superiorum munus spectante, non obediant.

Si eos graviter contemnant, odiososque reddant et contemptibiles.

Quæ peccata graviora sunt quàm ergà privatos.

(*b*) Peccatum ergò admittunt *ex genere suo* mortale (et sæpè in actu tale) ergà rempublicam et particulares ad restitutionem obligans

Principes qui subditos ab hostibus iniquisve vexationibus et oneribus non tuentur, justitiæ observantiam non curant, judices imperitos aut probitatis dubiæ constituunt vel non destituunt;

Magistratus qui curâ prudenti non vigilant ut politiæ leges observentur, ità ut ex suâ ignorantiâ et incuriâ gravi damna eveniant, v. g., si populus necessaria non habeat, vel pretio majori emere cogatur ob mercantium fraudes;

Qui privilegia nociva, contrà leges sibi constituunt;

Qui de reditibus communibus retinent ultrà impensas utiles; vel si inutiles faciant;

Qui non manifestant subalternos plùs exigentes quàm sibi legibus permissum, saltem si injustitiæ eorum graves sint aut frequentes; si his non invigilent aliterve justitiam violent, sive vindicativam, sive distributivam.

(*c*) Ità ut graviter peccent adhùc superiores civiles qui non curant, quantùm possunt, ut viri ecclesiastici honorentur immunitatesque justas conservent; ut dies sacræ observentur; tabernæ, choreæ, ludi scenici et alii periculosi vitentur, loca infamia, etc., claudantur, ni timor prudens malorum majorum hæc et similia eos tolerare cogat. Sed semper memores sint esse judicium.

A fortiori graviter peccant qui Ecclesiæ jurisdictionem usurpant, impediunt, aut minuunt; injurias religioni factas, blasphemias, libros contrà fidem aut bonos mores quasi tuentur, etc., nedùm, etc.

ADDITAMENTUM IV.

De magis particularibus famulorum et dominorum officiis et peccatis.

§ I.

346. Heris famuli debent, præter amorem et reverentiam,

Obedientiam in iis quæ pertinent ad servitium, et quidem ex justitiâ ob pactum(*a*),

Et fidelitatem linguæ, ut aiunt, oris et manûs (*b*).

(*a*) Peccant igitur peccato *ex genere suo* gravi restituendique obligationem ordinariè inducente, qui invito domino et sine causâ justâ antè tempus famulatûs discedunt;

Et qui salarium integrum recipiunt pro officio quo malè functi sunt, vel ad oculum servientes, tempus in domini absentiâ malè terunt aliosque famulos et operarios à labore impediunt.

(*b*) Peccant ergò itidem et restituere tenentur,

Qui de heris detrahunt; peccata familiæ et defectus aliis referunt, et à fortiori si, ut sæpè, calumnientur, ità defectus augentes ut non raró causa sint injusta cur famulos heri non, aut non nisi malos inveniant;

Qui esculenta, poculenta, etc., furtìm pro se, uxoribus, filiisve aut aliis accipiunt, contrà voluntatem domini prudenter præsumptam.

Ut autem judicetur de voluntate dominorum, ac proindè an gravia vel levia sint hæc famulorum furta, ad restitutionemque obligent necne, attendendum an domini tenaces sint et rigidi, ut sunt ordinariè quandò agitur de furtis pecuniæ, vini, linteorum, etc.; an verò generosi et liberales.

Priores concedere solùm censentur levia esculenta, modò non dilapidanda, eaque accipere sibi permittunt famuli etiam timoratissimi.

Posteriores verò paulò majora, ciborum reliquias, famulorum parentibus in domum domini advenientibus apponendas.

Sed arguendi sæpè, et venialiter peccant quoàd modum hi famuli; nec faciliùs à restitutione aut condonatione petendâ eximendi sunt qui se quasi dominos dicunt constitutos, et ob longum famulatum, condonationem præsumere, etc., quamvis post factum, imò è domo exitum, sæpissimè et quasi ordinariè, petentibus heri hæredesve eorum condonent.

Nec excusandi qui ultrà voluntatem dominorum, nisi sint avarissimi, furtìm jumentis eorum pabulum præbent.

Et hìc nota operarios et opifices, famulorum furti esse sæpè participes, qui et vanioribus prætextibus se defendunt.

Et injusti sunt famuli qui occultè sibi compensant sub obtentu quòd salarium non accipiant congruum.

Et qui ex rebus dominorum opera solvunt sibi propria, aut dominorum quidem, sed quæ facere potuissent et debuissent.

Tandem qui bona dominorum non custodiunt, nec ab injustis invasoribus defendunt, etiamsi probabiliùs saltem, ab aliis famulis damnum inferatur.

Si tamen res non sit specialiter eorum custodiæ commissa, multi, quorum sententiam communiorem dicit D. Dens, eos à restitutione eximunt; sed contrà multi sentiunt, ut Delugo, Lessius, Habert, P. Gab. Antoine, quia famuli alicujus familiæ omnes eo generali pacto conducti sunt ut rem herorum custodiant. Ad minùs ad amicabilem cum heris compositionem obligarem tunc.

§ II.

347. Præter amorem, instructionem, etc., heri debent famulis directionem charitativam (*a*); et, ex justitiâ, fidelitatem pactis (*b*).

Utrùm autem teneantur, ante sententiam judicis, de damnis ab iis illatis, vide 336, *e*.

(*a*) Peccant ergò mortaliter in re gravi qui famulis non invigilant in iis quæ ad salutem pertinent, vel eos malè agentes charitativè non corripiunt.

A fortiori qui famulos sub naturali suâ quasi tutelâ collocatos scandalizant aut ad malum incitant, quam circumstantiam sæpè in confessione tacent heri et dominæ. Petenda semper proindè maximè cùm de impudicitiis agitur, quamvis nonnunquàm ipsi famuli et famulæ priores sollicitaverint.

Et peccant itidem qui famulos quibus inutilis, ut sæpè, correctio fuit, non dimittunt, undè alii domestici, imò filii familiæ corrumpuntur.

Si tamen absint hæc pericula et grave non fuerit famuli crimen: si ejus expulsio è famulatu magna allatura sit domino perniciem, vel si verisimiliùs sit eum expulsum non meliorem, sed forsan potiùs deteriorem fore, secluso scandalo, consultiùs retinebitur.

(*b*) Jam 1° peccant hìc qui famulos quibus indigent, infrà pretium infimum conducunt.

Justum autem pretium locationis famulorum (et operariorum) censetur quod communiter locis in illis dari solet, vel quod uno recusante, statìm ab alio admittitur; habet latitudinem. Quòd si nulla facta sit conventio, sed arbitrio domini pretium relictum sit, infimum saltem dari debet. Sed locans ex misericordiâ famulum quo non indiget, tenetur solùm ad alimenta; si tamen famulus utiliter ultrà valorem alimentorum laboret, illi dandum pretium infimum aut labori proportionatum, quia conductus intendit suam operam vendere justo pretio ex æquitate constituendo, quamvis se obtulerit. Sic P. Gab. Ant.

Mihi videtur hìc applicanda principia circà emptionem, venditionem et locationem. Qui nihil petit ultrà alimenta, nihil ampliùs fortè alibi invenire potest, et tunc operæ vilescunt, sicut vilescerent aliæ merces quandò abundant et pauci sunt emptores. Vel iste famulus dat gratìs, quod ex circumstantiis dijudicandum.

Pueris sæpè non datur nisi ad studia hyemis aut artem parvam ediscendam.

2° Peccant qui famulos antè tempus sine causâ justâ dimittunt invitos, et totum debent stipendium, inquit Pothier. Non puto jurisprudentiam esse nunc contrariam.

Item videtur si ob causam justam quidem, sed ex parte famuli non se tenentem, nisi alteri eodem tempore servierit, aut aliter tantumdem lucratus sit; quia conductor pretium solvere tenetur, quandò re vel operâ conductâ usus non est ob causam se tenentem ex parte suâ.

Si autem famulus expulsus sit ob causam se, etsi inculpabiliter, tenentem ex sua parte, sufficit illi dare pro ratâ servitii. Et pro hâc ratâ dandum videtur ei qui antè tempus, sine causâ et invito domino discedit, modò dominum indemnem præstet, quia opus præstitum pretio dignum est.

Excipe: si per sententiam judicis damnetur ad totum perdendum. P. Gab. Ant., ut, inquit, ferunt jura. Nunc fortè ad id non damnaretur, sed ad indemnem præstandum dominum, si locus sit.

Et debere dominum indemnem præstare videtur famulus quem ob culpam dimittere herus coactus est, quod tamen rarò exiget iste. Sed sæpè in his et similibus casibus amicabilis compositio facienda est, eò quòd discedens sæpè rationes qualescumque alleget in sui favorem de quarum æquitate non facile est judicare.

Nota : Juxtà eumdem D. Pothier, famuli civium in urbibus, et ruri nobilium personæ inservientium, possunt ad voluntatem dimitti, licèt terminus servitii sit præfixus. Ità etiam Merlin, verbo *domestique*, sui Repertorii jurisprudentiæ. Quid judicaretur, nescio.

Et peccant qui famulos non convenienter nutriunt, vel immoderatis onerant laboribus, de quibus nequidem implicitè conventum est;

Et qui salarium cùm damno famulorum protrahunt, aut ipsis aliquid de eo sub vanis prætextibus retinent, v. g., pro damnificationibus involuntariis ad quas vitandas speciali pacto se non obligaverunt, nec ex jure tenentur [558].

Tandem peccant, saltem contrà charitatem, qui famulos ægrotantes statim dimittunt.

Ast, seclusâ pactione aut consuetudine, heri tenenturne ex justitiâ ad alimenta et stipendium vel ad majores medicorum expensas, toto tempore morbi diuturni ? Negant meritò multi, quia stipendium et alimenta debentur solùm propter operas, et quia conductor nihil tenetur solvere, cùm re aut operâ sibi locatâ uti nequit ob causam provenientem ex parte locatoris vel rei locatæ. Adderem quòd ex usu tales conditiones subaudiantur, multis saltem in locis.

Heri tamen ex charitate tenentur minores morbi impensas solvere. *P. Gab. Ant.*, *Collet.*

Sed contrà justitiam peccare videntur, qui ægrotantem statim dimittunt, nisi morbus diuturnus fore prævideatur, quia hæc dimissio non fuit in pacto subintellecta, et saltem crudele esset aliquid illis tunc de stipendio deducere : nec enim reor, cum P. Gab. Ant., propter operas quotidianas ut quotidianas conductum esse famulum, et tutiùs, cum P. Ant. à Goritiâ, ibi injustitiam video si morbus sit solùm aliquot dierum.

ADDITAMENTUM V.

De magis particularibus militarium officiis et peccatis.

348. In genere peccant mortaliter qui jussi inscribi ad bellum, renuunt; aut jàm inscripti bellare recusant, quia in re gravi sunt ergà principem inobedientes,

Nisi tamen bellum sit evidenter injustum (*a*).

Duces belli, etiam subalterni, in multis peccare possunt et quidem gravissimè sæpiùsque contrà justitiam (*b*).

Item milites (*c*),

Et provisores rerum ad militiam spectantium (*d*).

(*a*) Qualia habentur communiter quæ ab initio belli hispanici ad abdicationem Napoleonis, à Gallis mota sunt, et forsan jam aliqua anteà. *D. Bouvier.*

Ast tenenturne restituere qui in bello non evidenter injusto inscribi renuunt, aut inscripti fugiunt? Affirmat Coll. Ant. Sunt enim causa injusta cur alii loco ipsorum inscripti sint aut proficisci coacti, nam inscriptio videtur quasi tributum personale, per sortem distributum. Qui autem tributa sibi advenientia non solvunt, suntque causa cur alii magìs graventur, ergà eos restituere tenentur.

Nec movet ratio D. Bouvier, theologi Cenomanensis, sententiam contrariam adoptantis, eum nempè qui fugientis loco proficiscitur jus non habere ut alter proficiscatur; jus enim illud habet fundatum in justitià distributivà quæ hìc ad commutativam reducitur, et in pacto implicito inter cives inito onera publica proportionatè ad vires sustinendi, secundùm modum distributionis à principe statuendum.

Si dicatur obligationem militandi non esse justitiæ strictæ, sed solùm obedientiæ et justitiæ legalis; respondebo: *Transeat.* Sed justitia legalis mihi videtur hìc transire statìm in distributivam, istamque in commutativam.

Magìs movet altera ejusdem theologi ratio, nempè quòd in foro externo, militi fugienti restitutio non præcipiatur, vel etiam quòd si ad militiam iret, alter qui loco ipsius profectus est, non dimitteretur. Sed nonnè indè solùm concludi potest omnes injustitias non coerceri, aut coerceri non posse nec reparari? Alioquin dicendum legem inscriptionis esse legem purè coactivam et arbitrario modo exequendam.

Saltem certum videtur, et fatetur dictus theologus quòd si per fraudem, favorem, etc., ut fit sæpè, exemptionem obtinuerit miles vocatus, restituere teneatur. Equidem innuit idem eum ad restitutionem non obligari, nisi in defectum eorum qui eum exemerunt. Ast, præterquàm quòd isti non restituent, id æquum saltem non videtur, cùm miles inscriptus commodum solus ex injustitià reportet.

Si plures dictam injustitiam commiserint successivè, restitutio facienda

videtur ei qui primò ad militiam profectus est injustè, et non fuisset profectus, quia circulus esset inutilis dare primo injustè appellato et non profecto, ut iste det sequenti et hic subsequenti usquè ad eum qui profectus est.

(b) Cùm non servant fidelitatem ergà principem, charitatem et mansuetudinem ergà populos, fidem et justitiam ergà hostes.

Non licet victori, inquit P. Gab. Ant., retinere immobilia, urbesve hostium, nisi ad securitatem in posterùm contrà victos stabiliendam, aut quatenùs debitam compensationem aut satisfactionem non excedunt. Hæc decidant in jure belli periti.

Bona bello justo capta, principis sunt, si immobilia; capientium verò, si mobilia, nisi cum principe dividi debeant, aut ex consuetudine inter milites. *Idem.*

Iterum peccant duces cùm clericos aut religiosos in milites suscipiunt, aut ut tales cognitos non expellunt;

Cùm per vim ad militiam cogunt, aut expleto tempore, abire non sinunt;

Cùm temerè ineunt prælia, aut, nullâ cogente necessitate, milites internecioni certæ exponunt;

Cùm sub obtentu non semper veri ex poetâ adagii: *dolus an virtus quis in hoste requirat?* ad occidendum principem sollicitant, aut ad civitatem prodendam, ad hostium agentes excubias inebriandos, etc;

Cùm fortiter non pugnant aut fugiendi præbent exemplum;

Cùm militibus justa stipendia non dant, minuuntve, aut integrum à gubernio recipiunt pro militibus, non completo eorum numero, v. g., pro centum, si centum constet cohors, quamvis tamen non sint nisi octoginta, et sibi reliquum retinent. Excipe si, ut passim dicitur, rex tacitè consentiat. Quòd si verum sit, applicari posset à fortiori, superstites cibos (*les restes des rations*) sine fraude retinentibus;

Cùm non curant suis militibus cibum, potum et vestes provideri, vel vitiata præbent. Undè morbi et furta, quæ in duces cadunt, saltem si in terrâ non hostili;

Cùm non invigilant ne subalterni, aut provisores sibi retineant quæ sunt gubernii, vestes, arma, equos;

Cùm spolia non justè distribuunt:

Cùm milites injuriosè percutiunt, injusto carcere detinent, etc.;

Cùm pagos aliquos, majori quàm par est militum copiâ, onerant, vel pecuniâ acceptâ injustove favore, militum hospitio eximunt, vel ad impediendas exactiones aliquid accipiunt;

Tandem cùm non impediunt, quantùm possunt, damna quæ ex officio tenentur impedire, ut militum furta, concussiones stupra, duella, eosve non puniunt, nec furta reddere cogunt.

(c) Cùm nempè ad hostes transeunt; stationem, etiam cum vitæ periculo, non servant; secreta revelant; non desperatâ victoriâ fugiunt; è castris sine licentiâ exeunt, vel abeunt antè tempus;

Cùm extrà casus permissos, et exceptis infrà excipiendis damna hostibus inferunt, aut contributiones jàm redemptas exigunt;

Cùm non contenti jure hostes spoliandi, effreni licentiâ, quæcumque, vel gravissima exercent in eos;

Cùm ecclesias spoliant; possunt tamen, inquit Coll. Andeg., urbis in potestatem redactæ templa spoliari, ut ad alias ecclesias vasa, etc., transferantur. Possunt et destrui templa cùm operationes militares exigunt;

Et bonæ capturæ sunt in iis deposita. *Idem.*

Notandum restitutionem domino à militibus fieri debere pro furtis, damnificationibus, etc.; et si ignoretur, multitudini læsæ, nempè per manus Episcoporum et parochorum; si tamen res sat magni sit momenti ut in exteras regiones mittenda præsumatur, potiùs quàm pauperibus indigenis distribuenda.

Cùm autem milites gregarii (*en garnison*) sunt in terrà non hostili, peccant etiam peccato *ex genere suo mortali*, cùm præter tectum, lectum, paleas, etc., ut fert consuetudo, pecunias, etc., extorquent. Nec eos excusaret ducum auctoritas vel dissimulatio.

Ad restitutionem tamen non obligantur milites qui in necessitate surripiunt, modò solùm in quantum fert necessitas, vel quantum permittunt duces. Alioquin sæpiùs inedià morerentur. Sic pro casu necessitatis etiam in bellis quæ habebantur ut injusta deciderunt Episcopi deportati, tempore subversionis rerum Galliæ.

Nec in bello justo tenentur restituere, si prohibitio furandi facta sit solùm ad servandam disciplinam, non verò ut damnum hostibus non inferatur. *Varii.* Cùm non solùm puniuntur fures, sed ablata reddere coguntur, signum est, etc., sunt et alia.

(*d*) Quoquo nomine hi provisores donentur, peccant contrà justitiam, cùm monopolium faciunt, taxam excedunt, duces muneribus circumveniunt, aut magistratus, ut fraudibus eorum consentiant, ut milites cogant emere apud se, ut granum, etc., viliori taxent pretio, aut privatos prohibeant ab emendo.

Et cùm diariorum, aut instructuum inspectores muneribus excæcant, ut fraudes non detegant;

Et cùm de indebito diariorum (*rations*) numero cum belli ducibus conveniunt;

Et cùm non provident necessaria, vel vitiata et malæ virtutis dant militibus, aut non debito tempore, undè fame et miserià conficiuntur, ut dictum est de ducibus.

Nota: Idem de thesaurisariis militiæ qui fingunt se non habere pecuniam, ut munera à militibus accipiant; solutionem differunt, ut mutuò dent pecuniam gubernii; utuntur cambiis usurariis, etc.

QUINTUM
DECALOGI PRÆCEPTUM.

Præcepto *non occides* prohibentur non solùm homicidium corporale, et quæ ad illud tendunt, percussio, vulneratio, mutilatio, incarceratio; sed et omnis læsio in bonis animi injusta, quam homicidium spirituale vocant.

CAPUT I.

DE HOMICIDIO CORPORALI, MUTILATIONE, etc.

349. Homicidium aliud simplex et aliud qualificatum :

Qualificatum multiplex, specie diversum :

Parricidium nempè, seu ascendentium aut descendentium occisio, ad quod reducitur suicidium, aliorumque consanguineorum, etc., cædes, imò regicidium;

Sacrilegium, cùm persona sacra occiditur, vel quicumque in loco sacro;

Latrocinium, cum animo prædandi;

Assassinium, cum pretio conducto;

Proditorium, cùm sub amicitiæ specie, vel insidiis, ad quod revocant procurationem abortûs fœtûs animati;

Veneficum, sive naturale, cum veneno, sive magicum, cùm magiâ aliquis interficitur.

Insuper homicidium aliud voluntarium est, scilicet cùm sive directè, sive indirectè intenditur [173]. Indirectè quidem, id est, in causâ de se natâ mortem dare, seu cum effectu adeò conjunctâ et cognitâ ut tali, ut non possit quis eam velle, nisi homicidium velle censeatur; ut si quis, etsi solùm ad extinguendum fœtum inanimatum, mulieri det potionem ex quâ scit ipsius mulieris mortem non raro evenire. Hæc mors voluntaria est, etsi in se non intenta.

Aliud casuale, cùm nec ipsum, nec illius causa intenditur.

Quod si inculpabiliter eveniat, purè casuale vocatur.

Mixtum vérò, si culpabiliter.

Mutilatio est membri munus proprium habentis abscissio aut imminutio.

Hæcque omnia, sive physicè fiant, sive moraliter, mandando, etc., vel etiam omittendo impedire cùm ex justitiâ seu officio impedire quis debet.

SECTIO I.

De sui ipsius occisione et mutilatione

350. Non licet, quâcumque de causâ, absente impulsu divino, seipsum directè aut occidere aut exponere morti,

Nec seipsum mutilare extrà casum necessitatis, v. g., ad conservationem corporis (*a*).

Sed mortem suam permittere, ipsi se exponere, vitam per jejunia moderata, etc., abbreviare indirectè; justâ de causâ, licitum et sæpè virtuosum (*b*).

(*a*) Illicita ergò eviratio causâ vitandæ libidinis, quam aliundè auget. Et illicita videtur praxis in quibusdam regionibus usitata evirandi pueros consentientes, ut vocem sonoram servent.

(*b*) Hinc peccant graviter funambuli, gladiatores, cæterique equestri ludo se exercentes; circulatores qui se vulnerant aut venena sumunt, etc., nisi saltem in arte suâ excellant, sciantque longâ experientiâ se non periclitari;

Et martyres, sine necessitate aut utilitate se exponentes;

Et periculosè graviter ægrotantes, qui ex avaritiâ medicum non accersunt, remedia ordinaria sumere nolunt, vel alimentis utuntur mortem aut morbum graviorem adducentibus aut accelerantibus. Absolutione indigni sunt.

A fortiori qui crapulâ et ebrietate vitam abbreviant; et quoties mortem accelerant, si eò usquè pervenerint ut quælibet potatio hunc habeat effectum, toties peccant mortaliter.

E contrà non peccant qui seipsos præbent occidendos pro patriâ, principe, patre, matre, uxore, filiis innocentibus damnatis. Aliundè non certum quòd non evadent.

Nec qui se ex alto, domo incensâ, projiciunt, et verisimilius, inquit D. Dens, quamvis ad vitandam mortem in flammis acerbiorem;

Nec milites qui primi murum ascendunt aut ignem pulveri tormentario injiciunt (*à la mine*) ad turrim evertendam:

Nec probabiliter, addit idem, qui in navim hostis ingressi, illam explodere faciunt certò cum hostibus perituri, si indè sequatur patriæ libertas.

Secùs si hostis alias habeat naves. Sed milites id non possunt facere in suâ navi, ut non incidant cum eâ in manus hostium;

Nec qui è carcere non exeunt, nisi innocenti id suadeat bonum religionis, etc.;

Nec qui remanent in patriâ cùm pro fide vita periclitatur;

Nec ægrotantes qui, ad mortem vitandam sibi non procurant remedia insolita, aut multùm, attentâ conditione, pretiosa; vel multùm difficilia, ut acerbos cruciatus; vel remedia à quibus, inquit Theol. Pictav., pudicitia valdè abhorret, nisi tamen sint personæ publicæ bono communi valdè utiles et quasi necessariæ.

Secùs si moderati debeant esse dolores. Quin et tunc invitus potest cogi, de mandato eorum qui illius curam gerunt. *Collet.*

SECTIO II.

De occisione aut mutilatione aliorum.

351. PUBLICA auctoritate malefactores occidere licitum, sed graviter peccaret judex qui ultrà debitum puniret notabiliter, restituereque teneretur [527].

Ast nunquàm licet, etiam auctoritate publicâ, directè innocentem occidere; non ergò rabiosos suffocare, etiam brevì morituros; non tradere directè (*a*) tyranno innocentem occidendum, etsi ad salvandam patriam.

Auctoritate verò privatâ occidere (etiam malefactorem publicum (*b*), nisi permiserit judex), gravissimum scelus, cujus, cum proportione, indirectè rei sunt

Medici, obstetrices, etc., custodes infirmorum, cùm ex inscitiâ, negligentiâ, etc., graviter culpabili, vel solùm ægris nociva præbentes, mortem eorum pariunt;

Et qui vacando rei etiam licitæ, sed periculosæ, non adhibent tantam, quantam, ne noceant, gravitas periculi requirit diligentiam.

Et eadem cum proportione dicenda de mutilatione, verberatione et incarceratione ab iis factâ qui potestatem non habent.

Habent autem pater, mater, tutor, magister, superior religiosorum (*c*).

Hìc nota peccare saltem venialiter qui bestias occidendo, non abstinent à crudelitate, quia ibi est inordinatus dominii abusus.

(a) Juxtà plures tradi potest præcisè. Alii ut quid tutius et probabilius dicunt præcipi posse ei ut se tradat; quòd si non fecerit, reus erit et tradi poterit.

(b) Aut tyrannum, quamvis regni invasorem, nisi à legitimo principe data sit unicuique et ubique eum occidendi potestas.

(c) Et maritus in uxorem, inquiunt Germani; et fit in illâ regione. Faciunt et apud nos rudes. Sed alii id barbarum habent, dicuntque risu potiùsquàm baculo uxorem malam esse castigandam; mulier enim non est serva sed socia.

Moderatè tamen, inquit D. Dens, pro graviori culpâ castigari potest, si non melius viâ aliâ prævideatur corrigenda.

Item, patre mortuo, frater minor à majore castigari potest. *Idem.*

APPENDICULA I.

De procuratione abortûs.

352. Hæc verum homicidium est (complectens et spirituale,) si fœtus animatus sit [762, 2ª].

Si inanimatus, ad homicidium attinet.

Attinet item procurata sterilitas.

Et detestabile Onani peccatum, in matrimonio adhùc gravius et specie diversum. *Homo est qui et futurus est.*

Hinc, quamvis gravida versetur in certo mortis periculo, non licet illi dare medicinam de se ordinatam ad dejectionem fœtûs etiam inanimati, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona.

Nec etiam, quamvis remedium de se non ordinaretur ad abortum, si verè periculosum sit pro vitâ prolis aliundè probabiliter nasciturae et baptismo donandæ, quia tenetur mater vitam infantis spiritualem vitæ suæ naturali præferre.

Secùs, in hoc ultimo casu, si fœtus certò animatus non esset (*a*) et medici prudenter judicent, remedio non dato, matrem morituram; quia tunc solùm permittitur abortus (*b*).

Secùs adhùc (etiamsi fœtus animatus sit), æquali existente pro eo periculo, sive remedium sumatur, sive non (*c*).

Nota : Cùm confitentes audiuntur puellæ, nunc, aut quæ fuerunt gravidæ, sedulò, sed non abruptìm, interrogandæ de vel tentato abortu, sive potionibus, sive saltibus, oneribus, etc., et quoties pravam hanc habuerint voluntatem; insuper quorum operam adhibuerint. Item hìc interrogandi amasii qui fornicati sunt. Sæpè abortum consuluerunt, etc.

(*a*) Juxtà aliquos à 40, juxtà alios à 20, 30 die fœtus animatus est. Juxtà communiorem, à 40 si mas, ab 80 si fœmina. (In dubio mas præsumitur) hæcque est praxis sacræ pœnitentiariæ, cui, quoàd pœnarum incursum conformare se possunt confessarii. Sed hodiè non desunt medici qui fœtum animari dicant statìm ac formatus est, et cur non? Undè vix in praxi dari potest remedium curativum matris, undè abortus, licèt indirectè, prævidetur secuturus.

Fœtûs concepti indicium dat Hippocrates sic : « Mulieri dormituræ incœnatæ, mulsam aquam frigidam præbeto : si ventris tormina passa fuerit, » concepit; sin minùs non concepit. » *Comitolus*.

(*b*) Cùm enim, inquit D. Thomas, unius actûs sunt duo effectus æquè immediati, unus bonus et alter malus, potest, justâ ratione (nempè si bonus prævaleat malo, aut saltem illum compenset) intendi bonus et permitti malus.

Hinc aiunt non licere secare matrem vivam, ut baptizetur infans. Sed arbitror in hâc conclusione supponi sectionem esse valdè periculosam, alioquin malè deduceretur conclusio. Imò, extrà periculum, mater videtur potiùs teneri pati operationem, et feliciter factam non nunquàm audivi. Vide [236 *a*]

(*c*) Aut si certò constet, non dato remedio, et matrem alioqui morituram et fœtum sine baptismo extinguendum. Quia uterque juvatur meliori modo quo potest. *Collet*. Sed, inquiunt Dens et Daelman, non constabit, mortuâ matre, fœtum non posse exscindi vivum; imò nec certò sciri potest matrem morituram si non sumat remedium, quia in similibus expertissimi medici falluntur.

Nota. Quisque videt supponi in his casibus periculum imminere matri ex morbo naturali, non à causâ extrinsecâ, v. g., si prævideatur à patre furibundo occidenda puella gravida, vel mater quævis in partu moritura.

APPENDICULA II.

De Duello.

353. Duellum propriè dictum, et ut est pœnis obnoxium, est duorum vel paucorum numero determinato (*a*) certamen, privatâ auctoritate, ex condicto, seu provocatione unius et acceptatione alterius, cum designatione (*b*) loci et temporis, et cum vitæ aut gravis vulneris periculo, quibusvis armis ad hos effectus natis, initum (*c*).

Non ergò duellum esset prompta, ex irâ subitâ vel inimici occurrentiâ, armorum assumptio; neque si simpliciter dicant : *pugnemus*, et pugnent;

Nec probabiliùs si honoris solùm defendendi animo se provocarent et comparerent, convenientes secretò, et certi moraliter quòd neuter alteri nocebit; quamvis hoc simulatum duellum graviter illicitum sit, pœnisque in foro externo obnoxium.

Benè verò si, incipientes rixari dicant invicem : *Locus non est idoneus, egrediamur in plateam proximam.*

Item quamvis fieret solùm ad monstrandam dexteritatem, quia nedùm minùs tunc fortè, magis periculosum est.

Cæterùm parùm refert an fiat cum aut sine solemnitate, qualis adhibitio testium, patrinorum et secundantium.

(*a*) Singulorum contrà singulos. *Billuart. Collet.*

(*b*) Saltem generali modo. *Manuale genevense. Collet.*

(*c*) Non ergò si baculis levibus. Secùs probabiliùs, si grandioribus, quamvis contrà sentiant quidam.

---

354. Duellum omni jure prohibitum pœnis insuper gravissimis punitur [759] (*a*).

Non videtur tamen illicitum, si auctoritate publicâ fiat ad bellum compescendum. Imò tunc nec duellum est (*b*).

Nota : A militaribus inquirendum semper, si non accusent ipsi, an duello et quoties conflixerint. An ipsi provocantes fuerint, et non quasi coegerint. An occiderint aut graviter vulneraverint. An odium conservaverint. Imò an obtulerint, acceptaverintve, effectu non secuto. An alios incitaverint. An pugnare nolentes irriserint. An arma paraverint. An testes, secundantes patrinive fuerint. An Ecclesiæ pœnas, excommunicationem, v. g., penitùs ignoraverint. Quod sæpè (*c*).

(*a*) Pluribus tamen contrà alios, duellum non videtur esse contrà justitiam, cùm ambo æquè liberè in arenam descendunt, quia renunciare possunt juri suo; secùs si unus invitus descenderit.

Sed duellum estne contrà justitiam ergà eos quos occisus sustentare debebat ? Credit D. Dens.

Et ergà ejus creditores ? Plures existimant. Vide 358, 359.

Et sunt qui autumant licitum esse duellum acceptare, quandò licet occidere injustum vitæ invasorem, modò ad hunc finem acceptetur; sed offerens non videtur actualis invasor. Vide mox dicenda.

Quidam adhùc existimant posse, ne ignaviæ nota incurratur, offerenti duellum responderi : *Non accepto ; sed paratus sum contrà invasorem, quisquis sit, me defendere.* Imò hæc : *Nolo tecum congredi ; sed aliquò iturus sum, qui me in itinere adortus fuerit, virum inveniet.*

Hæc ultima apage ! Sed et priora dubia valdè nec consulenda, etiamsi adderetur : *quia Deum timeo.* Vide mox dicenda.

(*b*) Illicitum illud habent Billuart et P. Ant. à Goritiâ, nisi in casibus inutiliter hìc exponendis; quia, inquiunt, non est medium à naturâ institutum ad finiendas controversias inter principes. Quod esset probandum.

(c) Ob pravam offerendi aut acceptandi duelli voluntatem, absolutione indigni sunt plerique viri militares. *Bailly*. Certè, ac proindè iis fortiter exponenda duelli gravitas, periculumque pro vitâ æternâ magis adhùc quàm pro præsenti, omnique motivo alio confortandi tales, ne de cætero quid simile audeant. *Dens*, qui addit (et jàm hùc inclinantes vidi notæ bonæ confessarios) non expedire ut confessarius exigat singulariter et nominatim duellum nunquàm acceptandi propositum à viro militari toto corde ad Deum revertenti et facinora gravissima confitenti, duellaque fasso. Ast praxis hæc cum principiis de contritione difficilè conciliatur, saltem si vir ille sit adhuc duello expositus.

APPENDICULA III.

De defensione occisivâ.

355. Communiùs docent licere, pro tuendâ propriâ aut proximi vitâ, occidere injustum aggressorem vitæ, actu, moraliter loquendo, invadentem (*a*).

Imò solùm mutilantem, si ex mutilatione sequi debeat mors aut ejus periculum proximum.

Modò tamen, in his casibus servetur, ut aiunt, moderamen inculpatæ tutelæ;

Et nisi invasoris vita sit bono communi valdè utilis, in quo tamen casu non contrà justitiam, sed contrà bonum commune peccaretur.

Ut autem servetur moderamen inculpatæ tutelæ, habenda, non vindictæ, sed vitæ servandæ intentio; nec plùs faciendum quàm ad hoc necesse (*b*).

Ergò requiritur ut non aliâ viâ, fugâ, v. g., invasori debilitatione, etc., vita conservari possit. Undè rarò hìc abest omnis culpa.

Malè tamen, ex eo quòd ad vitam saltem propriam (*c*) conservandam quisque teneatur, concluderetur obligatio invasorem injustum occidendi; non occidere enim est actus virtutis.

Excipe tamen, si invasus sit bono communi aut suis valdè utilis.

Et excipe à fortiori, si proximus cujus vita injustè invaditur, sit in iisdem circumstantiis, aut sit persona cujus vita specialiter defendi debeat, ut pater, etc.; tunc enim vita ejus tuenda, maximè si in peccato mortali existere cognoscatur.

(a) Etiamsi innocenter invadat, ut ebrius, amens. *Billuart, et alii plures.* Facilè in sententiam hanc inclinarer, quia occidens utitur jure naturali: nec ut occidat, sed ne occidatur, occidit. Cum eodem tamen casum exciperem in quo ebrius aut amens esset in peccato mortali et ejus speraretur pœnitentia, esset enim in necessitate extremâ spirituali, cui, cum dispendio vitæ succurrendum, nisi invasus in eâdem necessitate ipse existat [237]. Quam exceptionem non admitterem, si esset tempus considerandi.

Et communiter docent invasorem occidi posse ab invaso, etsi hic culpâ suâ se constituerit in casu vitam perdendi, committendo, v. g., adulterium cum uxore, aut stuprum cum filiâ invasoris.

(b) Juxtà communiorem ad restitutionem tenetur occidens, si moderamen, aliter quàm affectu merè interno excesserit. Sed aliter alii ut quid probabilius censent, in hoc fundati quòd invasor sciebat invasum defensurum se pro posse et quòd scienti et volenti non fiat injuria. Sic Billuart, etc.

Saltem difficilè determinari posset an reverà fuerit excessus liberè gravis, quia tempus tunc non suppetit pensandi omnia.

Juxtà non paucos, si invasus solùm non fugerit, dùm poterat fugiendo non occidere, contrà justitiam non peccavit; saltem si ignaviæ notam timebat; invadens enim (si potuit) cessit jure suo [358, 359].

(c) Varii enim contrà sentiunt, si agatur de servandâ vitâ proximi, quia eum non tuendo, non fit actus virtutis sicut cùm vita propria non tuetur. Vis hujus argumenti accrescit, si ratio sit, ut sæpè, præsumendi proximum ab invasore occidendum non esse in statu gratiæ.

---

356. Et licet, repellendo, percutiendo, imò lædendo, citrà mortis periculum saltem (a), et proportionatè ad rei pretium, rem suam conservare, quia magìs quàm levis vulneratio reputantur bona fortunæ magni momenti.

Et si in actu eorum defensionis vitæ incurratur proximum periculum, occidere, si nulla alia suppetat via vitam conservandi.

Quæ à fortiori dicenda sunt, si agatur de tuendâ pudicitiâ (b).

Imò et furem nocturnum occidere, si periculum sit quòd veniat ad occidendum.

Quin ad hæc tenemur, secluso incommodo gravi, pro tuendis bonis proximi;

Et pro tuendâ virgine facere quisque potest et debet quod et ipsa posset et deberet facere.

Sed ex communi sententiâ non licet alapam pro alapâ, fustem pro fuste, convicia pro conviciis, etc., repetere.

(a) Sed nùm occidere? Si bona quæ aufert fur, sint hìc et nunc ad vitam conservandam necessaria, videtur; secùs, non videtur quòd possit occidere

etiamsi bona hæc sint magni momenti, etsi S. Antoninus, et forsan pars major recentiorum contrà sentiant; quia in lege veteri, ut homidicii reus habendus erat qui furem diurnum occidisset; et quia vita hominis bonis his multò præstat. Imò sunt qui pro tuendâ famâ et honore occidere licitum putant; sed evidenter sibilandi.

Majores pro tuendâ pudicitiâ rationes militarent, qualis magna voluptati non consentiendi difficultas, pluresque starent auctoritates. Attamen cum D. Augustino dicendum pudicitiam in corde esse, ibique semper servari posse, adjuvante Deo. Aliundè notant aliqui meritò, rarò in praxi oppressionem esse adeò violentam ut non possit mulier satis defendere se, pugnis, morsu, etc., ad servandam integritatem, vitandumque voluptati consensum. Nec semper credendum mulieribus oppressis quæ contrarium asserunt.

(b) Quamvis ageretur solùm de tactibus aut osculis violenter illatis. Imò nec culpandæ videntur quæ statim pòst dant alapam, non quidem in vindictam, sed ut aggressor ampliùs non aggrediatur.

CAPUT II.

DE HOMICIDIO SPIRITUALI.

357. Hujus rei sunt contrà justitiam qui vi, fraude, aliove medio injusto proximo nocent in bonis animi naturalibus aut supernaturalibus, quales

Qui potione nocivâ adimerent memoriam;

Qui inducunt in errorem; et si aliis error nocivus sit, et ergà eos injusti sunt;

Qui ab acquisitione aut usu alicujus scientiæ fraudulenter avertunt;

Qui per vim, aliudve medium injustum ad peccatum inducunt vel à virtute retrahunt; aut etiam sine vi, si ad virtutem ex officio justitiæ informare teneantur;

Et qui iisdem mediis injustis aliquem à religione avertunt;

A fortiori si jam professum. Tunc enim saltem et contrà aversum et contrà religionem injusti sunt (a).

(a) Si nullum medium injustum adhibeatur, nequidem ergà religionem injustus foret probabiliùs, saltem quoàd damna realia, qui etiam professum averteret, etsi multi contrà sentiant. Religio enim non habet jus proprietatis in professum, sed solùm jus jurisdictionis in ipsius utilitatem. Neque enim, inquiunt, religiosus ex justitiâ strictâ tenetur laborare in utilitatem conventûs, sicut filius non tenetur ex justitiâ strictâ laborare in domo paternâ. *Billuart*, etc. Juxtà alios totus pertinet ad religionem sicut servus ad dominum.

APPENDIX

DE RESTITUTIONE PROPTER INJUSTITIAM IN BONIS CORPORIS ET ANIMI.

§ I.

358. Injustè occidens, mutilans, vulneransve (*a*) reparare tenetur omnia damna realia indè provenientia, ad arbitrium viri prudentis æstimata, nisi, quod potius et satius, fiat æqua compositio [358].

Et spiritualia, orando pro ipso, etc.;

Et naturalia, ut dolor, difformitas, etc.;

Et quæ strictiùs dicuntur personalia, ut contumelia, saltem per petitionem veniæ, honoris signa, etc., (*b*).

Sed si mors evenerit ex alio morbo, aut ex vulnere quidem, sed quod non nisi ex medici incuriâ negligentiâve vulnerati, mortale evaserit, ad mortis sequelas non tenetur vulnerans.

Imò ad nihil, saltem ergà vulneratum (*c*), si hic antè mortem non solùm injuriam sed et damna condonârit [359, *a*].

Quòd si occisus hæredes reliquerit necessarios, seu qui non possent totaliter ab hæreditate repelli, faciebantque cum occiso quasi unam personam, putà patrem, matrem, filios aut uxorem (*d*), iis restituere tenetur occisor, vulnerans, etc. :

1° Sumptus medicorum delicatiorumque ciborum, deductis quos aliundè sumpsisset.

2° Lucrum quod, tempore morbi, vulneratus fecisset, non deducto labore, benè verò expensis quas fecisset et non fecit.

Et si vixerit mutilatus vulneratusve, totum lucrum quod in vitâ fecisset, pro ratione spei; nihil proindè, si tantumdem in arte aliâ lucratus sit.

3° Impensas majores funeris, si quæ convenienter fieri debuerunt.

Quæ omnia æstimanda sunt ad arbitrium viri prudentis (*e*), si non fiat, ordinariè consulenda æqua compositio.

Si verò hæredes relicti ab occiso, etc., non sint hæredes necessarii, sed fratres, v. g., aut alii propinqui, debet occisor illis restituere expensas saltem(f) et alia ad quæ jus acquisitum jam habebat vulneratus tempore mortis suæ, quia jus hoc ad hæredes etiam non necessarios transivit.

(a) Etiam antè sententiam judicis, juxtà sententiam communem, et, probabiliùs, etsi pœnas luat.

(b) Totaliter dissident melioris etiam notæ theologi circà obligationem reparandi, per summam, v. g., damna naturalia et personalia ex vulnere provenientia, generaliterque, circà obligationem restituendi in alio genere bonorum, cùm restitutio fieri nequit in genere bonorum in quo facta est injustitia. Ad restitutionem obligant Sylvius, Grandin, P. Gabriel Ant., Collet, Bailly, etc., qui habent pro se D. Thomam. Ratio eorum est quòd qui non potest facere totum, teneatur facere quod potest, et quòd bona unius generis possint, prudentùm arbitrio, æstimari, et, per bona alterius generis, compensari. Sic libertas pro pecuniâ venditur; et addunt sic judicare solere tribunalia.

Ab omni verò restitutione, præter reparationes honorarias, etc., eximunt Magister sententiarum, Navarrus, Lessius, Delugo, etc., quia bona diversi generis non habent communem mensuram, nec potest tunc reponi æqualitas quam intendit virtus justitiæ, cùm res aliena reddi nequeat neque in se, neque in æquivalenti.

Sed si, citra mulctam, ad aliquid obligarent tribunalia, fatentur fore parendum.

Hæc sententia principiis ubi de restitutione enunciandis videtur conformior. Sed non displiceret sententia Billuart, ad priorem accedens, quòd nempè non sit obligatio restitutionis strictæ quæ sit ad æqualitatem, cùm impossibilis sit, sed obligatio recompensationis qualis possibilis est, juxtà arbitrium viri boni, sive in pecuniâ, sive in aliquo honore, sive etiam in bonis spiritualibus, eleemosynâ, sacrificiis, precibus, etc., consideratâ læsi et lædentis conditione. Justitia enim, inquit, ad hoc inclinat per accidens, quia injuriæ illatio et reparationis obligatio sunt duo correlativa, et damnum est aliquo modo compensabile.

Ergò in praxi ad summam obligarem divitem, v. g., qui pauperem fecisset luscum.

Aliundè ad mulctam saltem obligarent tribunalia quorum sententia per compositionem amicabilem præveniretur.

(c) Tunc (si nempè mortuus damna omnia tam præsentia quàm futura remiserit) occisor ad nihil ergà hæredes etiam necessarios occisi teneri videtur probabiliùs; quia hi hæredes non videntur habere nisi jus cui occisus renunciare potuit. Remissione factâ, læsus non censetur ampliùs læsus; ergò nec hæredes qui cum eo una sunt persona.

Multi tamen contrà sentiunt dicentes non posse vulneratum ad mortem renunciare juri suo, et deesse officio alendi familiam. Undè D. Dens et P. Gab. Ant. ad restitutionem obligarent, si bona ab occiso derelicta non sufficerent ad familiam ejus sustentandam.

Prior sententia magis placet. Attamen occisorem ad summam fortunæ proportionatam obligarem in pœnitentiam saltem, præsertìm si hæredes necessarii defuncti pauperes sint.

(d) Nisi hæc, juxtà aliquos quorum non repugnat sententia, tantumdem quantum amisit ab alio marito receperit; quia uxor non est hæres necessaria, sed solùm quasi una persona cum marito. Si ergò cum alio viro æquè sibi proficuo eadem persona fiat, cessare videtur jus quod habebat ratione prioris, aliter jus duplex haberet; et si secundus maritus ipse occideretur, jus ad duplex subsidium. Quæ tamen meliùs meditanti relinquo.

(e) Omnia in hâc æstimatione pensanda sunt : 1° incertitudo temporis quod vixisset occisus ; nùm ergò juvenis erat aut senex; nùm robustus aut infirmus; et fieri jàm indè potest, ut occisor ad parùm teneatur. 2° Lucri et sæpiùs damni incertitudo, attentâ occisi conditione, arte, indole, ingenio, etc., an, v. g., simplex artifex sit, an jurisconsultus, medicus, an mercator, an in arte peritus, vigilans aut segnis, an è contrà non æquales et forsan majores impensæ ipsius quàm lucra, an non inutilis et noxius potiusquàm utilis familiæ, in quo casu iterùm nihil deberetur.

Ast ex restituendis nihil deduci potest pro labore ad quod dispositus erat occisus.

(f) Multi enim sentiunt quod et iis restituere debeat etiam alia quæ ab occiso accepissent, v. g., augmentum hæreditatis, etc.; quia per medium injustum iis bonis privati sunt. Ast probabiliùs ad id non tenetur, nec ad aliquid ergà alios quibus occisus beneficia conferre solebat, nisi saltem occiderit ex intentione eos privandi, quod non verisimile unquàm. Et verò hæredes non necessarii non habent jus aliùd quàm quod jam acquisitum habebat occisus, cùm mortuus est. Ad hanc autem restitutionem jus nunquàm habuit, quia ex morte nata est restitutionis obligatio; et si transit ad hæredes necessarios, id fit quia cùm faciant quasi unam personam cum occiso, in propriis læsi sunt.

Ad rationem suprà allatam responderem homicidium non esse medium injustum ergà hæredes non necessarios, nisi saltem occisor intenderit eos privare, etc. Tunc enim in communi hominum sensu et æstimatione occisor ut causa, non ut simplex occasio damnorum illorum habetur; ac proindè hìc et in similibus casibus restringendum videtur principium : *Intentio non facit quòd injustus sit actus qui sine intentione injustus non fuisset realiter.*

Nec magìs movet alia ratio quam affert Henno, nempè occisum posse antè mortem pacisci de damnis hæredibus suis non necessariis post mortem suam eventuris, aut ea condonare. Istud enim non fit directè, sed ratione injuriæ illatæ, ex quâ sequentur. Cùm enim ad damnorum illorum reparationem jus non habeat dùm vivit, nec post mortem habere possit, de illis directè pacisci nequit.

Nota : Sunt ex utrâque parte auctores qui suam in hâc materiâ sententiam communem dicunt. Quidquid sit, sententia negans rationibus firmioribus fulta videtur. Attamen, saltem in pœnitentiam, tutiùs restitutio aliqua præcipienda, præsertìm ergà fratres juniores quos alebat occisus.

Quoàd creditores occisi, si nulla bona, aut non sufficientia reliquerit, aut reliquerit equidem, sed ex quibus solutionem accipere nequeant illi creditores, quia debitum probare non possunt, noluntque solvere hæredes, videtur pluribus, quorum probabilior mihi apparet sententia, eis restituere non teneri occisorem, nisi occiderit intentione eos privandi, quia per accidens fit quòd solutionem non accipiant, sicut si occisus morte naturali obiisset. Nec enim, inquiunt, jus habet creditor ut debitor non occidatur. Videtur tamen facienda differentia inter creditores et alios de quibus modò, saltem pro casu in quo occisus nulla bona reliquit, quia creditores jus ha-

bere videntur in operas occisi, quo jure eos privat occisor, si, moraliter loquendo, hanc occisionis sequelam prævidere potuerit.

Sed nec tunc restituendum foret nisi pro ratione spei quòd occisus solvisset. Facienda compositio.

§ II.

359. Qui damnum spirituale, sive naturale, sive supernaturale intulit injustè, illud reparare tenetur meliori modo possibili,

1° Tollendo detrimenti causam injustam, vim nempè, fraudem, etc., virus seductionis.

2° Reparando damna, saltem realia, indè provenientia, modo quo aliter illata reparantur (*a*);

Et quæ indè causaliter alii itidem paterentur.

Imò, qui injustè seu per vim, etc., nocuit in supernaturalibus, amotâ jam causâ injustâ, tenetur, saltem ex charitate (*b*), quæ tunc strictiùs obligat, removere causas alterius lapsûs, orando, ad pœnitentiam inducendo, etc.

(*a*) Et spiritualia, si possibile. Hinc seductor per vim, etc., videtur ex justitiâ obligari ad allaborandum cohortationibus, precibus; per se aut per alium conversioni seducti peccato hærenti tenaci consuetudine aut animi pusillanimitate ex vi aut fraude contractâ. *Dens.*

Sed qui, non prælatus, aut aliter ex officio obligatus promovere bonum spirituale suorum, alium sine vi, etc., ad peccatum induxit quod non sit injustitiæ, ad nullam restitutionem tenetur; quia scienti et volenti non fit injuria. Sic plures contrà Collet. Sed ex charitate plusquàm alii curare debet ut peccator convertatur. *Dens.*

(*b*) Ex justitiâ, ait P. Gab. Ant.

Præceptum hoc charitatis, quamvis strictiùs, non obligat sub gravi, nisi in necessitate, quandò alii ad correctionem obligarentur. *Billuart.*

SEXTUM ET NONUM

DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non mœchaberis. = *Non concupisces uxorem proximi tui.*

Hic lectionem præcedat recta intentio, timor prudens et fervens oratio. Comitetur diffidentia, frequens cordis ad Deum elevatio et confidentia.

PRÆNOTANDA.

360. His præceptis, non mœchia strictè sumpta tantùm prohibetur, sed et quæcumque luxuria, seu inordinatus appetitus vel usus voluptatis venereæ, omnisque impudicitia et immunditia mentis et corporis.

Voluptas autem venerea, quæ et libidinosa appellatur, ea est quæ involvit complacentiam in rebus quæ ex se aut communi hominum sensu ad generationem tendunt, consistitque, si corporalis sit, in alteratione et exscensione humoris genitalis, erectioneque membrorum ad generationem inservientum, quæ omnia sunt saltem præparatio ad pollutionem (*a*).

Sentitur ergò, cùm corporalis est, præsertìm circà partes ad generationem destinatas, et aliquandò, in fœminis præsertìm, totum corpus invadit.

Hinc, physicè sumpta, alia levis, quæ longè, et alia notabilis, quæ parùm à pollutione distat, si nondum adsit, proximumque in homine robusto ejus periculum involvit.

Differt voluptas venerea à voluptate merè organicâ seu sensibili, quæ oritur ex proportione objecti ad sensus, seu ex conformitate rei cum organo sensûs, tactûs, visûs, etc., v. g., ex tactu rei mollis; ità ut homo non delectetur de re, nisi tanquàm blandâ, leni, tenerâ, pulchrâ, ut in osculo dato puero, in aspectu mulieris pulchræ (*b*).

Et differt ab eâ quæ oritur ex naturali quâdam dilectione honestâ.

Luxuria alia perfecta quæ progreditur usquè ad ultimum venereorum terminum, seminis nempè effusionem, et alia imperfecta quæ anteà sistit.

Utraque, vel ob periculum consensûs, *ex toto genere suo* mortalis est, cùm directè est intenta vel volita in se (*c*).

(*a*) Alii dicunt hæc omnia esse jam pollutionem inchoatam. Negant alii, quamvis ista supponant levem ex lumbis descensum humoris spermatici; quia hoc longè distat à pollutione completâ, sicut jurgium non est homicidium inchoatum. Hæc sententia quæ est Collet et Billuart, non parùm inservit ad plurium casuum benigniorem decisionem, præsertìm in materiis debiti conjugalis.

(*b*) Delectatio organica multùm periculosa, si non sit brevissima. A mortali non facilè eam excusaret Billuart, si morosè fiat, quia cum venereâ confunditur propter sympathiam et affinitatem.

(*c*) Aliter communiùs sentiunt de indirectè volitâ, ut vidimus et videbimus [173].

Nota : Delectatio carnalis seu in appetitu sensitivo orta ex applicatione sensûs ad objectum extrà ullam commotionem in partibus genitalibus, quæque sentitur communiter circa pectus, cum aliquo calore ac emotione sanguinis, juxtà communem, secluso periculo consensûs in delectationem veneream, non excedit veniale, inquit P. Ant. à Goritiâ; præsertìm respectu illius qui post quæsitam et admissam talem delectationem, non est expertus periculum delectationis venereæ. Sed fatetur hic abbreviator alios non paucos velle quòd quærere et deliberatè admittere talem delectationem sit respectu omnium peccatum mortale, quia ipsis non videtur possibile quòd, cum tali delectatione sensibili quæsitâ et admissâ deliberatè, non adsit periculum proximum delectationis venereæ, præsertìm in animabus tepidis.

Si motus et calor cordis veniant ex cogitatu, etc., rei ad venerem pertinentis, sunt mortales, si liberi ; quia includunt affectum ad venerem. Voluntas enim admittens motum hunc cordis sensibilem, hoc ipso videtur rem ipsam circa quam versatur, amare. Motio enim cordis grata est amoris signum et sequela.

Aliter plùs minùsve saltem periculosi.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIÆ PERFECTÆ.

Septem horum sunt species, peccatum nempè contrà naturam, fornicatio, adulterium, raptus, stuprum, incestus et sacrilegium.

SECTIO I.

De peccato contrà naturam.

Peccatum hoc, sic dictum, quia est contrà finem ad quem semen à naturâ destinatur, quodque gravius cæteris est in ratione luxuriæ, sed sæpè levius in ratione circumstantiarum, triplicis adhùc speciei est subalternæ, pollutio nempè, sodomia et bestialitas.

ARTICULUS I.

De pollutione.

361. **Pollutio** est voluntaria seminis emissio extrà copulam quamcumque.

Differet à distillatione, quæ est alterius humoris semen comitantis, aut ab eo separati, levis et quasi guttatìm facta effusio.

Pollutio et distillatio cognoscuntur ex hoc quòd semen ordinariè cum vehementi delectatione, carnisque commotione magnâ ejaculetur in pollutione; distillatio autem cum nullâ aut solùm parvâ commotione et delectatione fiat (*a*).

Pollutionem, etiam mortis vitandæ causâ, directè procurare, semper graviter illicitum (*b*);

Peccatum per se gravius fornicatione;

Gravius, si alienâ manu;

Species varias sumens ex qualitate vel personæ se polluentis aut adjuvantis; vel instrumenti quo procuratur pollutio, vel personæ aut objecti cogitati (*c*) (*d*).

De pollutione motibusque carnalibus indirectè procuratis, vide [173, *e*].

(*a*) In fœminis nullum propriè dictum semen vident, nunc saltem sat generaliter medici in humore qui ad intrà vel extrà in eis effunditur; et theologi sat unanimiter dicunt semen illud impropriè dictum non esse ad generationem necessarium. Humor ille ex glandulis internis manans, potest aliquatenùs comparari humori qui in viris semen comitatur et qui aliquandò sine semine distillat.

Quidquid sit: pollutæ cognoscuntur fœminæ cùm, etiam sine ullâ effusione,

magnum, plus minùsve ratione complexionis, experiuntur sensum voluptatis, quâ completâ satiantur et quiescunt. Sensus hic qui incipit in partibus venereis est spasmi et collapsûs majoris vel minoris species proprièque seminatio in fœminis, seu ejus indicium; sed ad conceptionem non necessaria.

In pluribus iteratur, sæpè multoties, iteratâ causâ.

Quoàd motus majores vel minores, sed non completos seu usquè ad satietatem et quietem saltem momentaneam quos experiuntur, de iis videtur ratiocinandum sicut de motibus carnalibus qui in viris ad pollutionem non perveniunt. [173, c, d,]. Illos motus graviter malos, si non veram pollutionem, sibi non rarò procurant etiam juniores puellæ non solum tactibus sed variis corporis positionibus, compressione partium pudendarum, tibiarum extensione, etc.

Cæterùm modi se solitariè, vel se cum alio, vel alium tantùm polluendi præcisè, non videntur necessariò declarandi, nisi bestiales sint aut sodomitici, quia malitiam sumunt ex intenta pollutione. *Billuart.* Si tamen locus sit suspicandi fuisse in modo malitiam notabiliter majorem, vide n° 720, *b*.

Nota polluentes se sive viros, sive fœminas, præsertìm juvenes, actum, v. g., tactum solùm accusare, ac de pollutione tacere sæpiùs, sive quia ignorant hanc esse præcipuè peccatum quod committunt, sive quia nesciunt modum illam declarandi, sive, etc. Undè de pollutione subsecutâ sunt prudenter interrogandi [718, *a*].

Et interrogandi an tunc delectati in cogitatu vel desiderio peccati cujusvis cum altero, et cum quali. Sæpè enim sic, sive cùm pollutio solitaria est, sive cùm venit ex amplexibus aut tactibus præsertìm cum corporum ad invicem compressione, maximè si ab antè. Et si intenta non fuerit pollutio, quærendum per quem actum evenerit. Nam actus illam procurantes possunt esse specie diversi et sunt alii aliis notabiliter graviores sæpissimè et à pollutione tunc distincti.

Tandem de pollutione interrogandi, sed cautè semper, qui solos aspectus, solas cogitationes confitentur, si hæc voluntaria fuerint.

(*b*) Nec incœpta in somno continuari potest post evigilationem juxtà multos contrà non paucos qui dicunt, ob incommoda ex cohibitione forsan eventura posse simpliciter permitti continuationem, cor ad Deum elevando. Ità Gerson, Billuart, etc., quia, inquiunt, præter incommoda et corporis gravamen, pollutio in somno inchoata ulteriùs non subjacet voluntati. Sed hæc ratio ad assensum non rapit. His ergò theologis assentirer tantùm cùm, quod rarum, verum adest sibi graviter nocendi periculum, sine periculo consensûs in re tam lubricâ : aliundè non sat efficax fortè foret displicentia si pollutio non cohiberetur per aliquem saltem conatum, v. g., retinendo ejaculationem, quærendo locum lecti frigidum, è lecto prosiliendo : idem dic si accidat in vigiliâ.

Nota : Licitum est per medicamenta semen corruptum ejicere modò non ope ejaculationis, quia tunc vivum primùm ejiceretur, *Continuator Tournely* post medicos. Medicus mihi dixit non corrumpi semen, sed potiùs non elaborari.

(*c*) Sæpè nihil cogitant nisi suam voluptatem. Imò sunt plures qui polluunt se et ignorant sexuum unionem.

(*d*) Addo, quia sat frequens, præsertim in fœminis, ob causam sufficientem excusari posse pollutionem, absente consensûs periculo, in iis qui moderatè fricant partes inhonestas, ad abigendum molestissimum in iis pruritum, quia hoc est medicamentum, et pollutio sequitur indirectè. Contrà tamen sentit continuator Tournely, quia inquit, confricatio hæc est directa mali

hujus causa; quod non reor, nisi pruritus sit non propriè dictus, seu sanguinis vel humorum, sed venereus seu vehemens se polluendi desiderium et quasi necessitas alleviandi naturam ex abundantiâ seminis laborantem. Sed tunc directè procuraretur pollutio, etsi non intuitu voluptatis. Venereus reputandus videtur pruritus, cùm factâ pollutione cessat. Sed, ut accuratiùs dignoscatur, quærendum an multùm dissimilis sit ab eo quem sæpè et aliquandò vehementer in aliis corporis partibus experimur; vel an aliquo morbo in iis partibus laborent.

Consulendum iis qui pruritu humorum laborant, ut alia adhibeant media, v. g., aquam, vel simplicem vel medicatam; et illarum partium munditiem.

---

362. Distillationem, etiam sine motu venereo, utpotè quid turpe, directè procurare, mortaliter illicitum.

Si indirectè, vide N° 173, *a*.

Et si cum sensu delectationis venereæ fiat, idem de eâ ferè sentiendum ac de pollutione.

Si verò sine commotione spirituum generationi inservientium et absque ullâ carnali delectatione eveniat, de eâ non aut parùm curandum est.

Quæ omnia de effusione humoris suprà dicti in fœminis ad minùs dicenda videntur.

ARTICULUS II.

De sodomiâ.

363. Abominabile crimen hoc est concubitus cum personâ ejusdem, aut diversi quidem sexûs, sed in vase indebito.

In priori casu perfecta, in posteriori imperfectâ dicitur (*a*).

Utraque diversæ speciei est, sed prior communiùs nomine sodomiæ venit, in pluribusque diœcesibus sola reservatur. Imò in aliquibus reservantur solùm nefariæ virorum in vase præpostero commixtiones.

Utraque iterùm participat de malitiâ incestûs, adulterii, etc., etiam inter virum et uxorem, quia carnem dividunt, sodomiticè coeundo. Caro enim unius non est caro alterius, ut sic commisceantur (*b*).

(*a*) Aliqui sodomiam perfectam solùm appellant cùm est congressus duorum virorum in vase præpostero, imò et seminis effusio intrà. Sed hæc consummatam potiùs et in gradu ultimo completam sodomiam, quàm perfectam indicat. Rectius ergò sentire videtur P. Gab. Ant. dicendo ad perfectam so-

domiam non referre quo in vase vel in quâ corporis parte, in anteriori vel in posteriori, duo ejusdem sexûs mares vel fœminæ commisceantur; quia ad sodomiam referunt aliqui simplices tactus impudicos cum eodem sexu, quia sodomiæ perfectæ malitia consistit in affectu ad sexum indebitum.

Ad imperfectam sufficit item ut mas et fœmina coeant, non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus. Imò ut sit affectus ad præposteras partes. *Lacroix.*

Quoàd reservationem, etc., vide statuta tuæ diœcesis.

In jure puniuntur solùm exercentes Sodomiam perfectam et completam [768]. Ut ergò incurratur pœna in foro externo, requiritur non solùm notorietas, sed actuum frequentia. *P. Ant. à Goritiâ.* Saltem aliud statuere possunt leges particulares.

(*b*) Pluribus videtur declarandum esse in confessione circumstantia agentis aut patientis, et si uterque vicissim agens et patiens fuerit. Attamen, juxtà Billuart, circumstantia agentis nec mutat speciem, nec multùm auget malitiam. Tutior priorum sententia; et nullum dubium quin si uterque agentis et patientis scelus commiserit etiam sine intermissione notabili, crimen longè saltem gravius fuerit.

Item, si solas patientis vices gerens fuerit pollutus, hoc declaret; quia et sodomiæ et pollutionis propriæ scelus perpetravit.

ARTICULUS III.

De bestialitate.

364. Horrendum hoc est coitus cum bestiâ.

Ad quod reducitur concubitus cum dæmone, si quis fiat. In quo casu affectus ad personam quam dæmon repræsentaret bestialitati adderetur.

Undè petendum à bestialitatis criminis reo, an tunc et cum quali muliere coitum intenderit(*a*).

(*a*) Juxtà multos, Bonacinam, Sylvium, Billuart, Theol. Pict., [768.] Collet, etc., non est necessariò declaranda species bestiæ, quia id non mutat speciem in genere moris, nec multùm aggravat, nisi, aiunt aliqui, adeò sit sordida species, ut immanem denotet libidinem.

Sed neque sexus, neque vas necessariò declaranda, inquit P. Ant. à Goritiâ contrà Lacroix. Saltem rarò coitus fit sodomiticè cum bestiâ femellâ. Si cum mare, censerem cum Lacroix.

Nota : De bestialitate cautè sed tamen semper interrogandi libidini multùm, et sæpè etiam parùm dediti, quia istorum plures æstimant illud sufficienter in pollutione declarari. Aliundè quot inveniuntur qui cùm illud semel aut iterùm commiserint, forsan solùm in primâ adolescentiâ, et potiùs ex quâdam pueritiâ quàm ex vehementi, quam ordinariè supponit, libidine, de illo diutissimè in confessione taceant.

Crimen hoc sæpè pœnis de facto non subjacet, quia sæpè ex quodam horrore non consummatur, sed semen extrà fundit libidinosus. Imò non raro medio hoc utitur ad excitandam pollutionem, sine affectu ad bestialitatem.

Forsan ad bestialitatem refertur (sed tamen propriè non videtur bestialitas), quòd quis mediante jumenti aut (ut sæpè mulieres) minoris bestiæ linguâ voluptatem veneream capiat, pollutionemque excitet. Attamen, etsi hæ circumstantiæ non forent necessariò declarandæ, inquirendæ tamen in confessionibus saltem generalibus, à mulieribus præsertìm, quamvis libidini non fuerint multùm deditæ, quia iis cruciantur. Nùm quid turpe tibi permisisti cum bestiâ? Ubi? Quid? Dic saltem parùm et cætera petam. Aliquandò, sed rarò, coitus cum bestiâ tentatus invenitur à mulieribus.

Nota : Bestialitas, quamvis horribilis, non rarò in habitum degenerat, difficile eradicandum, ità ut cæteræ libidinis species, præsertìm naturales, omninò ferè quiescant. Et idem dicendum de sodomitis, quos consequenter matrimonium sæpè minùs adhùc sanat quam alteri libidini deditos.

SECTIO II.

De fornicatione.

365. Fornicatio, quæ latè sumpta includit quemlibet concubitum illicitum extrà matrimonium, est, strictè loquendo, concubitus ex mutuo consensu soluti cum solutâ, jam saltem defloratâ (*a*).

Si ergò peccantes aliquo, matrimonii, v. g., voti, consanguinitatis, etc., vinculo ligentur, jam non simplex fornicatio est.

Fornicatio continuata cum eâdem, concubinatus vocatur, et ab eâdem cum pluribus, meretricium; utraque in confessione ob continuatum affectum et statum peccati actualis, exprimenda, etsi non sint diversæ speciei (*b*).

Et gravior desponsati vel desponsatæ, ob jam datam fidem.

Et tutoris cum pupillâ, ob specialem quam de eâ curam habere debet (*c*).

Imò, in christianis, specialem habet difformitatem (*d*).

Nota : Licet in fornicationis actu copulam abrumpere ex displicentiâ et odio peccati, quamvis quasi necessariò tunc semen effundatur extrà vas.

Sed si ex timore prolis, peccatum duplex. De quo, sed cautè interrogandi fornicarii, præsertim fornicarius (*e*).

Interrogandi insuper fornicarii an antequàm ad copulam pervenerint, de eâ et quoties delectati. An desideraverint?

An proposuerint, quamvis passi repulsam? An et quoties iterârint in eâdem occasione?

An cum violentiâ aut precibus blanditiisque adeò importunis, ut, etc.(*f*)?

An abortum procuraverint, procurare tentârint, aut eum tentanti consenserint?

An (si multùm libidini dediti) actus sodomiticos exercuerint, vel (quod non frequens) tactus, etc., adhùc habuerint post copulam?

An matrimonium promiserint? An pluribus? An cum juramento?

An proles nata sit, et suum ergà eam officium impleverint?

Tandem de circumstantiis consanguinitatis, etc., matrimonii præsertim, quod sæpè non distinguunt, dicentes simpliciter quòd rem habuerint cum mulieribus, cum viris. Aliqui viduas aut viduos in specie conjugum in accusatione malè reponunt.

(*a*) De hac circumstantiâ non conveniunt. Vide infrà, 368, *a*.

(*b*) Et si cum meretrice. Varii contrà Sylvium, etc.

(*c*) Gravior ergò videtur fornicatio inter heros et ancillas, ob naturalem quasi tutelam.

(*d*) Gravior adhùc, juxta plures contrà paucos, fornicatio cum falsam religionem profitente, et ob gravem veræ religionis despectum, et ob impedimentum disparitatis cultûs, et ob periculum ne proles, si quæ nascatur, in religione falsâ educetur.

(*e*) Raró, quod mirum, fornicariæ semen ejicere conantur post copulam, quamvis prolem timeant. Minùs raró mulieres nuptæ.

(*f*) Non tenetur fornicans accusare quòd prior proposuerit, si paratam et facilè consentientem, invenerit, quia ex communiter contingentibus id præsumitur. *Billuart.* Benè quidem; sed quoties ipsæ puellæ priores proponunt, aut saltem ità alliciunt ut tacitè proponere censeantur, nec tamen unquàm ferè hoc confitentur. Cautè ergò circà hoc sunt interrogandæ eæ de quibus locus est suspicandi quòd proposuerint, ut ancillæ quæ peccaverunt cum herorum filiis junioribus. *Nùm semper prior proponebas?*

SECTIO III.

De adulterio.

366. Adulterium est illicitus concubitus liberi cum conjugatâ, aut vice versâ, et tunc simplex; vel conjugis cum conjuge alterius, et tunc duplex appellatur.

Gravitatem hujus criminis non auferret conjugis in conjugis adulterium consensus; quia non potest cedere jure suo, quippè quod sit jus statûs conjugii.

De cætero gravius, evidenter, ob duplicem injuriam, adulterium duplex quàm simplex, et conjugatæ cum soluto quàm conjugati cum solutâ, vel ob incertitudinem prolis.

Et licèt adulterium cum infideli minus sit, ob non violatum sacramentum, majus est sub aliis respectibus.

Nota : Præter interrogationes fornicariis faciendas, interrogandi insuper adulteri, nùm uterque conjugatus; nùm bona mariti innocentis dilapidârint; nùm in consuetudine adulterii fuerint; nùm notoriè; nùm mulier concipere potuerit; et si ità, nùm nata proles; et si nata, nùm certum aut dubium cujus sit; nùm educata ex bonis patris putativi; nùm successerit aut successura sit hæreditati, etc. [375, *b*].

SECTIO IV.

De raptu.

367. Raptus sumptus, non proùt matrimonii impedimentum, sed proùt peccatum luxuriæ speciale, est cujusvis personæ abductio è loco tuto in locum non tutum, per vim aut metum gravem, ipsi aut ejus parentibus illata, libidinis explendæ causâ (*a*).

Ergò si quis lubenter cum amasio vel amasiâ, etsi parentes ignorent, dissentiantve, ierit præcisè, fuga est, non raptus.

Sed raptûs malitiam, saltem in voluntate admissam, non aufert circumstantia quòd non fuerit expleta libido (*b*).

Gravior raptus monialis solemniter professæ quàm simplici voto ligatæ; consanguineæ quàm affinis; conjugatæ quàm virginis; viduæ quàm meretricis; et multò gravior masculi à masculo, intuitu sodomiæ perfectæ.

(*a*) Sentire meritò videtur Billuart haud necesse esse abductionem fieri in locum moraliter distantem, ut multi dicunt; sed sufficere ut persona rapta auferatur à dominio custodum.

Fornicatio cum dormiente, aut puellâ antè usum rationis, vel ignarâ, est raptus reductivè. *Billuart.*

Si sponsa consentiens à sponso, etiam renuentibus parentibus, abducatur, non est raptus; quia sponsalia jam dant sponso quoddam jus in ipsam. *P. Thomas. P. Jos. Ant.*

(*b*) Nec hoc impedit quin reale fuerit crimen raptûs, etsi non completum. Ità probabiliùs Sanchez, Billuart, etc., contrà plures.

SECTIO V.

De stupro.

368. STUPRUM (quod varii (*a*) variè definiunt) est defloratio virginis illicita.

Puellæ quidem, per virginalis claustri, mediante copulâ primâ, rupturam (*b*).

Viri verò, sed in sensu lato, per primum coitum illicitum (*c*).

Virginitas ergò, sumpta pro integritate, amittitur per stuprum (*d*).

Sed sumpta pro speciali virtute, amittitur per pollutionem lethalem.

(*a*) Juxtà multos enim recentiores, ad stuprum requiritur violentia, saltem per timorem reverentialem aut preces importunas et extraordinarias. Ast magis arridet sententia D. Thomæ dicentis ad stuprum sufficere congressum cum virgine quæ integritatem servaverat, quamvis non pudicitiam. Statuta quæ hoc peccatum pœnis, v. g., reservatione afficiunt, explicare debent in quo sensu sumant stuprum. Explicant Bisuntina [768].

Quidquid sit, nulli dubium quin stuprum violenter illatum, superaddat fornicationi malitiam mortalem specie distinctam, non solùm ratione violentiæ (quæ et fieri potest jam corruptæ) tùm virgini, tùm ejus patri, in cujus custodiâ est; sed et ratione integritatis naturalis quæ invitæ rapitur, utpotè quæ magni sit momenti.

Est et species luxuriæ distincta, si virgò liberè consentiat ob specialem difformitatem ex hoc exurgentem, quòd virgo corrupta sit sub custodiâ patris, impediatur à legitimo matrimonio et ponatur in viâ meretricandi, à quâ, ne perderet integritatem, retrahebatur.

Sed estne hoc sufficiens ad constituendam circumstantiam gravem in confessione declarandam, sive à stupratore si sciverit, sive à stupratâ, ità ut cùm hæc fornicationem aliam (imò forsan solas delectationes morosas) confitetur, teneatur dicere : *Eram, aut non eram virgo*; debeatque confessarius super hoc, si taceat, eam interrogare? Autumant multi, Collet, Bailly, P. Thomas, P. Gab. Ant., etc., ob rationes hìc relatas. Sed unum video Collet qui quasi hæsitanter dicat interrogandam de servatâ vel non servatâ virginitate, eam quæ accusat solùm cogitationes morosas. Alii de hoc tacent aut nolunt usquè hùc interrogandum.

Alii verò, inter quos Billuart, has circumstantias autumant non addere nisi venialem malitiam specialem, quia rationes allatæ non sunt gravis momenti, et indicant solùm peccatum prodigalitatis in virgine, quæ quasi habet dominium sui corporis, sui statûs; et levem injuriam ergà parentes; cùm notabilis non videatur differentia inter custodiam naturalem parentum ergà filias suas virgines, et custodiam itidem naturalem ergà jam perditas.

In hâc sententiarum oppositione tutiùs à stupratore quæritur an virgo fuerit puella à se cognita, quamvis sæpissimè respondebit se nescire. Sed ab ipsâ puellâ id non quærerem nisi cautissimè, dicendo, v. g.; *prima vice quâ peccatum hoc commisisti, non cogitasti dicere quòd virgo eras.* Sed nec hoc quærerem, si timendi locum haberem ne mentiatur, quia integritas materialis confessionis non obligat cum tanto periculo. Quoàd eas quæ confitentur cogitationes malas, nescio an sint confessarii qui eas de circumstantiâ virginitatis interrogent, quamvis tales confessarios se novisse dicat Collet.

(b) Et stuprum committunt quæ primâ vice se tangunt, intromittendo. *Billuart.*

(c) PP. Thomas et Gab. Ant. hìc verum stuprum agnoscunt, quia vir integer virgo est.

(d) Virgo mente et corpore, sive voluntariè, sive involuntariè (nisi per solam pollutionem) corrupta, nequit, sub mortali, inter virgines consecrari seu velum consecrationis accipere aut petere. *Layman. P. Ant. à Goritiâ* ex can. *acutiùs*, dist. 26. Sed potest vota solita emittere, etiam solemnia. Ast si profiteri velit in monasterio ubi mos sit quòd Episcopus consecret virgines, contenta esse debet velo continentiæ et observantiæ

SECTIO VI.

De incestu.

369. Incestus (cujus malitiam in iisdem gradibus contrahunt aliæ impudicitiæ) est concubitus cum personâ naturaliter, spiritualiter aut legaliter conjunctâ cognatione aut affinitate intrà gradus prohibitos.

Gravior est in consanguinitate quàm in affinitate; in lineâ rectâ quàm in collaterali; in gradu propinquiori quàm in remotiori; et in digniori quàm in minùs digno, cum matre, v. g., quàm cum filiâ.

Quæ omnia, quamvis forsan specie non diversa, in confessione distinguenda sunt, ob notabiliorem difformitatem, saltem in primis gradibus.

Nota : In cognatione spirituali (ubi duplex malitia, incestûs nempè et sacrilegii ob injuriam factam sacramento) dicendum insuper an inter levantem et levatum [768] (*a*).

(a) Etsi plures incestum saltem similitudinarium inveniant in copulâ cor-

fessarii cum pœnitente suâ, probabiliùs tamen non est, quia jus statuit cognationem spiritualem in baptismo et confirmatione solùm; non ergò necessariò declaranda hæc circumstantia, excepto casu sollicitationis in tribunali, et excepto si confessarius sit etiam pastor, quia defuit officio suo.

Ast in hâc copulâ horribili, præsertim habituali, tot sunt gradus malitiæ ob officium judicis, medici, patris, etc. in eâ adeò refulget sacrilegii species sacrilegio personali superaddita, ut cur has omnes circumstantias miser verò pœnitens possit non declarare, nesciam. Aliundè fuerunt forsan crebri aditus sub prætextu fortè pietatis. Forsan secretum confessionis non mansit intactum, etc.

SECTIO VII.

De sacrilegio venereo.

370. Hoc est personæ (*a*) vel rei sacræ per venerem violatio [293, *b*; 768].

Nota : His omnibus addi potest lenocinium, seu quæstus ex scortorum, et horribilius ex propriæ filiæ aut uxoris prostitutione quæsitus.

(*a*) Violatio castitatis respectu personæ voto solemni ligatæ, triplici virtuti juxtà probabiliorem opponitur, castitati, religioni et fidelitati. *P. Ant. à Goritiâ.*

APPENDIX

DE RESTITUTIONE OB PECCATA LUXURIÆ, STUPRUM PRÆCIPUE ET ADULTERIUM.

SECTIO I.

De restitutione ob stuprum et simplicem fornicationem.

371. Cum quis per vim, fraudem, etc. (*a*), virginem, aut talem existimatam, vel honestam viduam induxit in crimen, tenetur reparare damna omnia hinc resultantia (*b*), injuriamque sive ipsi factam, sive parentibus sub quorum custodia est; et solus alere prolem [358, *b*].

Imò deceptam ducere, ni longè graviora obstent, si aliter damna reparare nequeat.

Sed obligatio damna realia reparandi cessat, si crimen remanserit occultum, aut puella moriatur, religionemve pro-

fiteatur, aut nubat æquè feliciter alteri (c), aut condonet (d), aut stupratori nubere liberè velit.

Nota : Si stuprator non deflorârit quidem virginem, etc., sed per vim, etc., ità sollicitârit, ut indè fuerit diffamata et alteri nubere non potuerit, aut non æquè feliciter, præter honoris et famæ reparationem ad eadem damna resarcienda tenebitur, augendo dotem, etc.

(a) Ad metum referunt quidam minas à benefico factas beneficia ulteriùs non concedendi; quia libertatem valdè minuunt. Alii observant meritò raró evenire ut preces à minis separatæ, vi æquivaleant. Secùs metus magnus reverentialis, aiunt Billuart et Dens.

Æquivalent tamen, juxtà aliquos, quandò eas comitantur amplexus, oscula, quibus excitata puella invita, tandem cedit. Fraus est et dolus, inquit Billuart, quandò seductor promittit se solis tactibus hæsurum, et semen intra effundit, et cùm promittit fictè matrimonium, magnam dotem, magnas remunerationes, etc.; qui enim fingit id, sine quo alter non consentiret, ipsi facit injuriam. Ità etiam ferè P. Gab. Ant. Collet, etc.

(b) Etiam pro parentibus, inquiunt P. Gab. Ant., Collet, Bailly. Imò damna quæ patietur puella nubendo alteri rem ignoranti, sed qui posteà eam cognoscet. *P. Gab. Ant.*

Addunt stupratorem difficilè posse aliter quàm per matrimonium, si exigat puella, reparare omnia damna realia et à fortiori damna famæ. Vir enim cui, etiam auctâ dote, nubet, in eam probabiliter vindicabit fastidia quæ patietur ob publicum contemptum, etc.

(c) Contrà sentit Collet, quia nuptiæ æquales non impediunt quin stuprator fuerit verus damnificator. Sic incendiarius restituere tenetur, etsi amicus incendium passi domum ejus dono reædificet. Sed hìc apparet differentia; incendiarius enim damnum realiter causat. Stuprator verò solum illius causam ponit, quam tollit qui vitiatam ducit.

(d) Nisi sit adhùc sub curâ parentum. Parentes enim aliquid indè ordinariè patientur, etiam pro augmento dotis. *Theol. Pict.* Sed nùm immeritò videtur eam huic augmento renunciare posse, et quandò sui juris erit, indemnitati pro eo à stupratore debitæ? Vide 373, *a*.

Nota : Quamvis puella per vim, etc., seducta, virgo reputata non fuerit, imò jàm prolem habuerit, attamen ad damna realia reparanda tenetur seductor : et sæpè fit ut puella, post alteram prolem, minùs benè nubat quàm post unam. Excipe, si sit meretrix publica; nulla enim damna realia patitur.

---

372. Puellam ducere tenetur qui eam, sub promissione, etiam fictâ, matrimonii, etsi sine vi, etc., ad crimen induxit, nisi

1° Stuprator alteri jam promiserit, vel voto religionis fuerit ligatus, hæcque saltem non ignoraverit puella (*a*).

Nisi 2° dissentiat pater tutorve stupratæ, vel ipsa : nec tenetur tunc eam dotare, si sint æqualis conditionis.

Sed si eò recuset quòd non possit stupratorem ducere sine novo suî aut familiæ opprobrio, quia conditionis est multùm superioris, èt æqualis tamen se finxit stuprator, hic tunc non eximitur ab obligatione damna aliter reparandi (*b*).

Nisi 3° seductor seductam ducere nequeat sine gravibus scandalis, rixis inter familias, discordiis inter nuptos, aut similibus quæ ex matrimonio prævidentur(*c*).

Nisi 4° puella virginem se, aut nobilem, divitemve falsò dixerit(*d*).

Nisi 5° peccet dein cum alio(*e*).

Nisi 6° tandem promissionis fictionem clarè debuerit agnoscere, ob verborum viri ambiguitatem, exaggerationem, vel ob enormem conditionis disparitatem, ut si vir officio aut dignitate conspicuus, puella verò famula sit, aut rustici, opificisve filia (*f*).

(*a*) Nam, si ignoraverit, tenetur stuprator eam ducere, quia prior promissio aut votum non obligat cùm impleri nequit sine gravi alterius detrimento. Ità multi qui opinionem suam communiorem dicunt. Alii verò existimant sufficere ut stuprator damna compenset, quia promissio est invalida, quæ opinio probabilior videtur. Sed meliùs petenda promissionis prioris relaxatio, vel voti dispensatio.

Imò seductor debet suis impensis petere dispensationem ab impedimento consanguinitatis, si quod fuerit sibi soli notum; secùs si puella illud noverit. Tunc æquè petenda, si stuprator eam facilè obtinendam ipsi persuaserit.

Quòd si ambo impedimentum ignoraverint, obtinenda est dispensatio, inquit Bailly, ut sic damnum resarciatur. Sed tunc sumptibus communibus nisi vir metu aut dolo consensum puellæ obtinuerit, nec possit aliter damna reparare.

Sed quid, si superveniat impedimentum? Petenda adhùc dispensatio, si impedimentum sit *dispensabile*, nec adeò notabilis fiat mutatio rerum, ut cesset promissio. Si autem non sit *dispensabile*, tenetur vir dotare puellam, ut æqualem ducat, si suâ culpâ impedimentum non sit *dispensabile*, ut si alteri nupserit.

Theol. tamen Pictaviensis simpliciter à matrimonio ineundo excusat, si antè crimen existat, vel superveniat impedimentum, modò damna reparet stuprator in casibus in quibus ad ea reparanda tenetur.

(*b*) Si autem conditionum inæqualitatem cognoverit puella, nihil damni fuit ipsi injustè illatum : tenetur tamen stuprator eam dotare, inquit Panormitanus, quod verum existimat P. Gab. Ant., cùm damnum et dedecus familiæ indè sequeretur. Videtur idem casus ac n° 373, *a*.

(*c*) Sed tunc, juxtà multos, damna reparare debet.

(*d*) Imò, juxtà multos, si vir falsò crediderit eam fuisse virginem. Sponsalia enim tunc possent dissolvi. Sufficit, juxtà alios, ut corrupta habita fuerit ut virgo.

In praxi : nunquàm virginem certò credere potest vir eam quam sub promissione matrimonii deflorat.

saltem damna forent reparanda. *P. Gab. Ant. Billuart.*

(*e*) Aut alia eveniant ob quæ sponsalia possent dissolvi. *Sanchez.*

(*f*) Si autem puella ignoraverit conditionum inæqualitatem, eam tamen ducere non tenetur, juxtà multos, sed aliter damna reparare.

Sed ducere teneri posset, si sit bonæ indolis puella à parentibus malè tractata, quæ, ut vindicem quæreret, fictæ promissioni consensit, etsi non teneretur ducere aliam quæ in scelus expedita, excepisset promissionem ut crimen occultaret. *Collet.* Imò juxtà P. Gab. Ant., puella, etsi promissionis fictionem debuerit clarè cognoscere, aliquam injuriam passa est, quia promissio illa aliquod voluntarium efficit. Nam si puella certò fraudem novisset non consensisset, undè damnum reparare tenetur etiam tunc fictè promittens ut puella æquali nubat, aut si nubere nolit, reponatur in statu in quo decenter vivere queat.

Quidquid sit de his fortè rigidioribus sententiis, si, non obstante cognitâ à puellâ conditionum inæqualitate, vir sincerè promiserit, eam probabiliùs ducere tenetur, nisi grave scandalum indè timeatur. Ità Sanchez, Delugo, Azor, Lessius, etc. Undè si alteram duxerit, damna compenset, faciendo ut puella, etsi nupta sit, nihil patiatur ex violatâ promissione.

In casu autem in quo ignoravit conditionum inæqualitatem, reparatio debet esse sufficiens ut nubere possit aut potuerit viro ejusdem conditionis cujus esse existimabat promissorem. Tunc enim reponitur æqualitas.

Nota : Hæc omnia redegimus meliori nobis possibili modo. Nec enim semper hìc sibi concordant autores. Quin D. Dens existimat in omnibus, præter primum, casibus in hoc articulo exceptis, non esse obligationem raparandi damna, si non sit obligatio puellam ducendi.

In praxi sæpè fieri potest æqua et amicabilis compositio, sicque difficultates tolluntur aliquandò inextricabiles.

---

373. Qui sine vi, etc., aut matrimonii promissione, virginem, aut reputatam talem, honestamve viduam cognovit, nihil tenetur illi restituere, saltem in foro conscientiæ; neque parentibus, si res maneat occulta, nec nata sit proles. Scienti enim et volenti non fit injuria.

Sed si crimen innotuerit parentibus, sitque adhùc puella sub eorum potestate, saltem tenetur, meliori modo quo poterit, v. g., per honorariam satisfactionem, injuriam illis illatam reparare (*a*), et ipsius seductæ familiæque famam cum damnis sequentibus, si crimen ejus injustè, ut quidam nebulones, manifestaverit (*b*).

Et si nata sit proles, tenetur, saltem ex pietate paternâ, ad suam educationis partem (*c*),

Quam inter se divident pro ratione dubii, si plures cum eâdem, eodem circiter tempore, habuerint rem, ignoreturque cujus sit proles.

(*a*) Nisi fortè scienter periculum proximum committendi stupri negligant permittendo, v. g.. familiaritates, etc. *Dens.*

Et infamiam, si parentibus eveniat, reparare. *Idem. Billuart. P. Gab. Ant.*

Ast teneturne vir in foro interno et antè judicis sententiam, restituere parentibus pro necessario augmento dotis, ut filia secundùm conditionem suam nubat? Non pauci ità censent, quia stuprator est hujus necessarii augmenti causa. Ast alii probabiliùs negant, quia parentes jus non habent ut filia decenter nubat, nisi dependenter à jure ipsius filiæ et voluntate ejus, cui juri renunciare potest vel manens innupta, vel nubendo non pari.

Sunt tamen hujus sententiæ patroni qui, ob probabilitatem, licèt minorem prioris sententiæ, practicè obligant stupratorem ad aliquod dotis augmentum, juxtà arbitrium prudentis, maximè si sit dives, et corrupta pauper. Ad id certò ex lege charitatis tenetur si deflorata in periculo sit se prostituendi.

In pœnitentiam saltem, etiam extrà hoc periculum, ad aliquid, plùs minùsve, pro ratione divitiarum suarum paupertatisque puellæ, stupratorem prudenter obligabit confessarius.

Nota : Ubi vi legum stuprator ad augmentum dotis obligaretur, non posset puella quæ liberè consensit illud augmentum acceptare, si sententia fundata esset in præsumptione quòd erat virgo, si reverà non erat; quin ad litis impensas teneretur. *Collet.*

Nunc in Galliâ casus inutiliter discuteretur, cum jura paternitatem inquiri vetent.

(*b*) Etiam solùm per nimias familiaritates. *Theol. Pict.*

(*c*) Et legitimare, si possit, nec obstent mala majora : in defectu ipsius, mater ad id tenetur.

Attento solo jure naturali, ex justitiâ strictâ parentes non videntur obligari ad alendos filios, quia inter patrem et filium spectatos quà tales non datur justitia stricta. Sed quidquid sit, jure canonico et civili, saltem multis in locis, usuque tenentur parentes illegitimorum tribuere pro suâ parte, ad eorum educationem, etiam ubi leges, ut nunc in Galliâ, vetant paternitatem eorum inquirere; ità ut ad refundendum obligandi sint fornicantes qui partes suas in educatione non impleverunt, sed matri, ut ordinariè, aut xenedochiis onus totum reliquerunt. Pro pauperibus enim sunt xenodochia, etsi nunc multi contrà sentiant si sint ditia.

Sed quænam sit pars patris, quænam matris ? Communiter illam definiebant sicut ergà legitimos [335].

Ast nonne juri cæsareo et canonico (quibus olim apud nos non ubique conformis erat jurisprudentia, respectu saltem illegitimorum) derogatum est quoàd partitionem oneris per art. 203 Cod. civ. ? « Les époux contractent » ensemble par le seul fait du mariage, l'obligation de nourrir, entretenir » et élever leurs enfans. » Et per art. 303 ? « Quelque soit la personne à qui » les enfans sont confiés (en cas de divorce) les père et mère conservent » respectivement le droit de surveiller l'entretien et l'éducation de leurs » enfans, et seront tenus d'y contribuer à proportion de leurs facultés. » Videtur. Et auctor commentarii in dispositiones Cod. civ. relatè ad matrimonium (ad calcem tractatûs D. Pothier de eâdem materiâ), ait convenire eamdem sequi regulam ergà filios naturales recognitos. Sed id non probat dictos articulos qui spectant ad filios legitimos, spectare ad filios illegitimos, præsertìm non recognitos, ac proindè illi articuli non clarè excipiunt juri naturæ juxta quod mater, præter lac, nihil debere videtur filio, nisi in defectum patris. Nihil tamen pronunciare audeo.

Cæterùm, sive observetur usus antiquus, sive inductiones quas ex jure novo deducunt quidam hodierni, ità ut ex æquo, vel pro facultatibus onera totius educationis sustineantur, parva erit in praxi differentia. Nam si fiat compositio cum matre, parvâ contenta erit summâ quæ educationis sumptuum medietatem vix æquabit; et si pater jussu confessarii restituat, summa à confessario designanda tantum habebit latitudinem, ut de eâ idem ferè dici possit. Hìc ergò quasi medium tenerem, attendendo partìm ad facultates parentum spurii.

Sed quæ summa restituenda? Ex circumstantiis judicandum, ut dicetur infrà pro educatione prolis adulterinæ. Aliter enim procedendum cùm statìm summa datur, si proles jam educata sit, et aliter si sit adhùc tenera. In hoc ultimo casu dari posset matri circùm circà quæ exigeret xenodochium, demptâ parte educationis quæ cadit in matrem. (Vesuntionense xenodochium ab extraneis provinciæ Dubis exigit 400 francos). Xenodochia parvas adeò summas solùm exigunt ob mortis probabilitates, quæ multò minores sunt, cùm proles, præsertìm ruri, à matre nutritur: sed ex aliâ parte multò minores sunt impensæ nutritionis, ruri præsertìm, cùm à matre fiunt, quàm cùm à xenodochiis.

Nota: Juberem eleemosynas, casu quo mendicando proles spuria fuisset enutrita. Hoc enim æquum est. Sed eleemosynæ hæ demendæ à summâ quæ matri deberetur, si proles non mendicasset.

Nota iterùm: Si unus ex spurii parentibus totum onus educationis expressâ conventione susceperit, alter à suâ parte refundendâ eximitur. Sed sine ratione sufficienti hæc conventio tacitè facta supponeretur, ex eo quod paternitatem jura, saltem in Gallia, inquirere vetent, quod non ignorabat mater; vel ex eo quod prior ad crimen allexerit. Hujus ultimæ rationis nullitas patet. Prioris autem apparet, ex eo quòd aliud sit vetare paternitatem inquirere, et aliud eximere patrem ab onere naturali educationis prolis. Et reverà jam in Belgio extabat olìm lex paternitatem vetans inquirere. Attamen theologi Belgæ, Billuart et Dens, patres spuriorum adigunt ad onus educationis, et quidem ad normam juris cæsarei.

SECTIO II.

De restitutione propter adulterium.

374. Si certum sit moraliter nullam ex adulterio natam esse prolem, nec marito aut aliis adulterium innotuerit, adulteri ergà eum ad nihil tenentur.

Ad honorariam verò satisfactionem, si ipsi innotuerit, et eam cupere putetur [371] (*a*).

Si autem per vim, fraudem, etc., vide suprà dicta, quæ hìc applicari possunt.

(*a*) Si, quamvis non natâ prole, facta sit transactio pecuniaria cum marito (quod lex, ob lenocinii præsumptionem, forsan prohibet) censent non pauci transactionem valere, quia reipsà nullum est lenocinium. *Collet*. Aliundè possent sequi per se alia damna.

375. Si ex adulterio nata sit proles (*a*), adulter et adultera tenentur, pro suâ parte [373, *c*] ad illius educationem usquè dùm sibi providere possit, et unus ad partem alterius in ejus defectum (*b*), ità ut si maritus impensas educationis fecerit, ipsi refundantur.

Et uterque pro parte æquali, in solidum tamen semper, ad reparanda ergà maritum, filios ejus legitimos hæredesve, omnia alia damna redundantia ex portione hæreditatis, et accuratiori longiorive spurii educatione, saltem si eam status ejus putativus poposcerit (*c*).

Excipe, si unus alterum vi, fraude, etc., in crimen induxerit, aut alteri acceptanti damnorum omnium reparationem promiserit. Ad omnia enim antè eum tunc tenetur.

Imò tenetur adulter ad lucrum quod non fecit adultera tempore prægnationis et ad partûs impensas, si eò usquè promissionem censeatur extendisse (*d*).

(*a*) Vel solùm probabiliùs. *P. Gab. Ant.*

(*b*) Sæpè adultera partem suam restituere nequit, si ultrà triennium lactis extendatur. Sæpè etiam adulter nequit aut non vult restituere: ità ut sæpissimè unus teneatur pro alio.

(*c*) Si impensas educationis majores conditio spurii putativa non exegerit; aut si ipsi donationes liberales fecerit pater putativus, ejusve aut matris consanguinei, quæ prolibus legitimis alioqui cessissent, juxtà P. Gab. Ant., qui sententiam suam dicit communem, hæc adulterantes resarcire debent, quia horum damnorum causa sunt injusta. Ità jàm Molina.

In hâc ergò sententiâ si donationes consanguineorum patris aut matris spurii aliis cessissent, ipsis forent restituendæ, quia nullæ sunt ob errorem circà personam, inquit Molina.

Sed quibusnam jure cessissent? In hoc inveniendo non parva sæpè difficultas ad quam enucleandam in vanum multos grandiores tractatus revolvi.

Nodum difficultatum solvit Delugo contrariam Molinæ, etc. opinioni sententiam amplectèndo, juxtà quam adulterantes vera causa non sunt erroris donantium spurio, ac proindè donationes et successiones collaterales ipsi advenientes resarcire non tenentur. Ratio ejus est quòd hæc prævidere non potuerint (debilis ratio) et quòd per accidens ac præter illorum intentionem hæc eveniant. Aliundè, addit Delugo, restitutio foret extendenda ad munuscula, invitationes ad mensam, etc., quæ cognati putativi fecissent illi spurio, quia sibi propinquum eum crediderunt, quod durum videtur.

Hæc arrident. Damna enim hìc per se non sequuntur, sicut quæ sequuntur ex adeptâ illegitimè hæreditate necessariâ [358, *f*.] Possunt aliundè donatores suspicari parumper illegitimitatem donatarii, et donationem non facere; dùm è contrà etsi pater putativus de filii legitimitate dubitaret, non posset spurium ab hæreditate repellere. Equidem valet ratio Molinæ contrà spurium ipsum, qui se sciens spurium, restituere teneretur donationes sibi

factas, saltem à consanguineis patris sui putativi, imò et totam hæreditatem; sed non valet contrà adulterantes qui prolem supposuerunt. Ex suppositione enim prolis non ut causâ, sed ut occasione fluunt donationes, nisi forsan supposita fuerit ut illas donationes haberet [571, b]. Donatores sciebant se aleam aliquòusquè jacere, nisi tamen dicatur quòd fidei matrimonii debebant credere, quam fidem adulteri everterant causaque sic fuerunt erroris.

Fortè sat magna sunt utrinque momenta, ut aliqua pro ratione dubii fiat restitutio, in casu in quo adulterantes potuerunt prævidere illegitimas donationes; et fortè sæpè potuerunt.

(d) Si mulier fuerit invita solùm *secundùm quid*, antè eam ad damna tenetur adulter. *P. Thomas*, etc. Imò, juxtà Sylvium, qui prior induxit ad crimen, prior ad damna tenetur, quia onus censetur in se suscepisse et principalis causa est. Quamvis hanc sententiam non ut indubiam habeat Collet, ad majorem damnorum partem obligaret provocantem, quia non solùm exequens est, sed consulens. Sed hæc ratio nulla videtur, quia consulens non est causa principalis respectu exequentis, et non tenetur nisi in ejus defectum. Meliùs ergò sentire videtur P. Gab. Ant., nullam hìc faciens principiis exceptionem. Sed saltem æquum est ut adulter antè adulteram restituat, si hæc fuerit *secundùm quid* multùm invita; et cum proportione vice versâ.

Quòd si non consentiente, à fortiori dissuadente et renitente adultero, adultera prolem supponat, id est, possit eam à legitimis separare absque dispendio famæ, rixis, vitæ periculo (quod est ordinariè impossibile), et nolit, sola tenetur de damnis, juxtà multos: quia horum causa sola videtur, cùm in hoc casu possit et teneatur ea impedire, quod extendunt Soto et alii, etiam ad casum in quo mulier non posset illegitimum à legitimis separare. Ast contrà hos omnes est communis sententia quam amplectitur Delugo.

In casu admodum raro possibilitatis separationis, adultera videtur teneri antè adulterum.

---

376. In dubio an nata proles ex adulterio sit, restituendum pro ratione dubii (*a*).

Et si plures sint prolis dubiè spuriæ dubii patres, partem patris ut dubiam inter se dividere debent (*b*), pro ratione respectivi dubii.

(*a*) Probabilistæ, quibus alii hìc adhærent, volunt rationem dubitandi ad restituendi obligationem inducendam non sufficere, sed requiri ad hoc certitudinem moralem, quia in dubio præsumendum pro legitimitate prolis. Alii, in dubio, adulterum eximunt, si adultera totum restituerit. Sed non video cur, nisi id liberè fecerit pro adultero, et facere potuerit.

(*b*) Si duo sint adulteri, et ignoretur ex cujus operà nata sit proles certò adulterina, unus in defectum alterius restituere tenetur, quia uterque posuit causam sufficientem damni. *Theol. Pict.* Sed hoc non videtur conforme principiis, nisi dicatur conceptionem non fieri unico actu. Equidem uterque posuit causam sufficientem damni, sed ignoratur quis fuerit causa efficax. Casus ergò non est idem ac cùm duo alicui mortales ictus inferunt ex communi cooperatione.

Nota : Sæpissimè cùm confitentes audiuntur adulteri vel adulteræ, in-

certa invenitur paternitas. Omnibus aliundè æqualibus, fortè potiùs, sed non certò, tribuenda foret marito, quia sine repugnantià ac proindè majori affectu fit actus conjugalis quàm adulterium, etsi tamen contrarium sæpè eveniat. Quamvis ergò de majori ergà maritum quàm ergà adulterum affectu constaret, dubium saltem omne non tolleretur. Aliqui volunt conceptum esse fœtum ex eo qui prior, post menstrua, mulierem cognovit, raròque concipere mulieres dùm tempus menstruorum appropinquat. Sed quidquid sit, neque adulter, neque ipsa adultera aliquid de menstruorum ciscumstantià ordinariè affirmare possunt. Forsan aliquid conjici potest ex similitudine inter esse physicum aut morale prolis et physicum aut morale esse patris et ejus consanguineorum, et ad notam hanc attendere semper fui inclinatus; sed ex imagitatione et affectu mulieris, etiam extrà actum, hæc similitudo aliquandò forsan evenire potest. Generatio mysterium est. Sola ergò conceptûs et nativitatis tempora dubium omne, quamvis aliquandò non totaliter, tollunt. Interdùm tamen adulteræ etiam verè pœnitentes, tam firmiter affirmant paternitatem, ut crederem facilè quædam esse signa ex quibus illam cognoscant aliquandò, v. g., per insolitam perturbationem et voluptuosam horripilationem, si sint exquisità sensibilitate donatæ. Hæc conceptionis signa dat Aristoteles : Os uteri fit siccius et asperius. Nonnullis statùm turgescunt ilia (latera infima). Si verò septimum diem semen susceptum continuerit mulier, concepisse certum est.... Corpus fit gravius, oculi caligine, caput tentatur doloribus, et aliis hæc celeriùs, quæ tamen decimo die contingunt. Nonnullis etiam et nauseæ et vomitus sunt infesti. *Comitolus.*

Signum ordinarium habent mulieres cessationem fluxûs menstrui, sed præterquàm quòd signum istud sæpè non æquè promptè ac præcedentia eveniat, est fallibile; ex alià enim causà fluxus cessare potest. Aliquandò non cessat in gravidis nisi post plures menses. Multùm minuitur dubium cùm adulter raró, maritus sæpè mulierem cognovit. Sed non illud semper totaliter tollit, quòd adulter frequentiùs quam maritus mulierem cognoscens, fuerit onanista.

---

377. Media partìm saltem restituendi adulteræ suppetunt

Bona paraphernalia, si habeat.

Pars bonorum quæ dicitur disponibilis (*a*).

Rei familiaris administratio diligentior.

Sumptuum, quos legitimè facere posset, substractio.

Prolis spuriæ ad statum religiosum aut clericalem, si apta; vel ad lucrandum ex arte aut famulatu, inductio (*b*).

Prudens, si possibilis; adductio ut bona sibi adventura, aliis filiis vel mariti hæredibus derelinquat.

Cauta suasio marito facta, ut legitimis de parte bonorum disponibili faveat.

Sed timere debet ne se diffamet odiaque gravia suscitet; ad hoc enim non tenetur, nec à fortiori marito aut spurio re-

velare rem, cum ordinariè non inutiliter solùm, sed cum magno et suî, et familiæ detrimento faceret (*c*).

Excipe, si fortè adulterium sit publicum, aut adultera jam anteà diffamata, famam non recuperaverit, nec gravia alia (quod raro supponi potest) timeat; vel nisi bonum publicum revelationem exigat, ut si spuria proles, indolis pessimæ, in magnum reipublicæ detrimentum, regno sit successura; vel, etc.

(*a*) Videtur insuper adulteram sic ratiocinari posse : tertiam, quartam partem bonorum meorum dare possem extraneo. Eam filiis relinquo. Ex tunc de tanto indemnes erunt pro parte bonorum quæ spurio ex patre advenient. Si filiis legitimis possit sine gravi familiæ perturbatione, infamiâ suâ, etc., totam partem disponibilem relinquere, augebitur adhùc indemnitas, et fieri posset quòd perveniat vel ultrà æqualitatem, etiam in suppositione quòd restituat pro parte adulteri, qui fortè, imò probabiliter, non restituet.

Si objiciatur quòd spurio jam relinquet quod ei dari vetant leges; respondebo quòd ipsi saltem debeantur alimenta, undè partim ruit objectio.

(*b*) De facto spurius hæc dando patri putativo augebit rem familiæ, sicque partim saltem faciet indemnes filios legitimos pro parte sibi obventurâ in hæreditate eorum paternâ, nisi tamen tantùm ipsi lucrentur. In tantùm ergò pro suâ parte restitutionis, relatè ad damna, alleviabitur et pater adulter.

Sed numquid iste à restitutione pro sumptibus educationis filii sui liberabitur, si proles adulterina tantùm lucretur in domo patris putativi quanti fuerunt hi sumptus, præter lucrum correspondens parti hæreditatis quæ sibi obveniet, aut solùm quanti fuerunt hi sumptus, si nihil, ut sæpè, à patre putativo præter educationem accipiat ? (nam non rarò filius adulterinus tantùm patri putativo, imò plùs præstat quàm valuit educatio, ità ut meliùs sit pro patre putativo fuisse illi quàm non fuisse suppositum filium). Non audeo affirmare, quia debitum educationis filii à patre vero contractum ergà patrem putativum non videtur extingui per ea quæ pater putativus accipit à spurio; nàm sunt donatio libera vel ex errore facta à spurio, qui si sciret suam conditionem, illam non faceret, aut solùm ex gratitudine, et onus restituendi patri vero relinqueret.

Nec negare audeo, quia de facto pater putativus indemnis præstatur quasi per se, et non merè per accidens; nam in ordine naturæ est, et volunt jura ut filii parentibus succurrant, ità ut si ad restituendum teneatur adhùc pater adulter, ergà filium, non ergà patrem putativum obligatus videatur, nisi jure præsumendum quòd vero patri, cujus sumptibus educatus, operas dedisset, ut sæpè debuisset; et hoc mihi verisimilius videtur, notando nullum me reperire potuisse auctorem qui hunc restituendi modum expenderit.

(*c*) Possent tamen reperiri mariti adeo boni, ut crimen condonarent et ejus sequelas. Sed hìc prudentiâ magnâ opus esset.

Quoàd spurium, communis sententia est eum credere non teneri matri suam turpitudinem ipsi revelanti, nisi fortè indiciis certis rem probet, aut

nisi conscientiæ rectæ, probatæque virtutis per pœnitentiam facta, sub juramento, præsertìm in horâ mortis affirmet. Sed nec certum quòd ei etiam tunc credere teneretur filius, et à fortiori abdicare ut spurius hæreditatem cum suo et familiæ dedecore, si vitari nequeat; sed si vitari possit, nùm sat timoratæ erit conscientiæ, ut sub alio respectu renunciet? Non diffiteor tamen omnia hæc incommoda mihi videri abesse posse aliquandò sufficienter, ut consideratâ saltem hæreditatis gravitate, medium hoc tentari possit et forsan debeat. Nam non omni probabilitate caret quod aiunt plures, amissionem nempè famæ nocentis apud unum aut alterum minùs habere incommodi quàm gravissima innocentum damna.

Nota pro praxi : Adulter qui paratus est hìc et nunc restituere, inquirat quid hucusquè pater putativus expenderit in alimentis, educatione aut etiam dotatione prolis, si dotatio jam facta sit; et restituat totum, ni adultera suam dotationis partem jam restituerit aut probabiliter sit restitutura aliquo ex suprà dictis modo.

Quantùm verò ad ea quæ proles legitimæ pati poterunt, si proles spuria supervivat patri putativo, debet concipere propositum firmum et res disponere ut restituat, suo tempore, cui oportuerit, quod proli spuriæ de bonis patris putativi adveniet.

Sed quid, si fortè adulter sit morti proximus, nec possit aliquo modo, v. g., mediante amico, differre restitutionem? Non tenetur restituere totum damnum quod paterentur legitimi, si spurius jam accepisset hæreditatis partem, quia fortè non accipiet; sed cum proportione ad dubium, juxtà arbitrium viri prudentis. Hæc Billuart post Navarrum, Pontas, etc.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIÆ IMPERFECTÆ.

378. Peccata hæc (quibus adjungenda, sed non assimilanda quæ præcisè castimoniam lædunt) sunt omnes actus sive interni, sive externi in se vel in alios exerciti, qui in materiâ luxuriæ infrà pollutionem sistunt; qui non aliò quàm ad impudicitiam ex agentis intentione referuntur; veniuntque sub nomine impudicitiæ quæ excludit à regno Dei (*a*).

Speciem habent actûs consummati ad quem tendunt, ità ut exprimenda sit in confessione circumstantia et personæ propriæ, et aliquibus fortè exceptis, personæ etiam innocentis, quæ eorum objectum fuerit [200, *c*].

Non sunt tamen peccata secundùm suam speciem, quia licitè aliquandò fieri possunt; sed cùm sunt libidinosa ex fine, objecto, affectu et complacentiâ in turpitudinibus explicatis infrà explicandis.

Et tunc, ut docent communiter, non admittunt levitatem materiæ, sive quia, ut multi volunt, levis etiam delectatio venerea includit inchoatam pollutionem, sive quia actus malitiam suam sumit à formâ ad quam disponit, motus à termino. Hæc autem ad pollutionem aut concubitum tendunt, et ex naturâ suâ disponunt, commotioque quam excitant est ejusdem rationis ac moris, etsi levis sit; sive tandem quia difficillimum est, et moraliter impossibile in re tam lubricâ determinare materiam levem, et sistere in certâ delectationis parvitate, si quæ sit hìc, ut gravior certò moraliter non appetatur nec admittatur.

Et sunt mortales actus prædicti, cùm grave involvunt sive pro se, sive pro aliis quibuscum, aut coram quibus fiunt, periculum complacendi in venereis, quamvis horum absit affectus omnis.

Hinc deducendæ pro singulis resolutiones nimis, heu! practicæ, quæ hæc principia clariùs exponent (*b*).

(*a*) Impudicitia, inquit D. Thomas, pertinet ad quosdam actus circumstantes actum venereum, quamvis non ex intentione concubitûs aut pollutionis.

(*b*) Sed nota priùs sæpè, in praxi, circà omnia hæc esse dubium, præsertìm cùm voluptas capta est ex tactu, osculo, aspectu in partibus honestis. Difficilè enim sæpè dignoscitur an venerea fuerit, vel solùm sensibilis, organica aut ex amicitiâ vel inclinatione merè naturali, quia pœnitentes malè intentionem suam exponunt, nec etiam interrogati rectè respondere possunt. Personæ etiam sibi attentiores et magìs cultæ nesciunt quid de talibus quæ sibi acciderunt, debeant sentire. Sed in dubio liberè agere, peccatum est ejus gravitatis de quâ dubitatur [172, *d*].

RESOLUTIONES

Circà tactus, oscula et amplexus.

379. Ergo tactus in pudendis aut vicinis partibus, alieni (*a*) præsertim corporis, sine causâ rationabili facti aut admissi (*b*), mortales sunt; quia non possunt esse non libidinosi, et quia si supponuntur non libidinosi, sed ex merâ curiositate, grave et pro tangente et pro patiente, involvunt ordinariè periculum, præsertim inter personas grandiores (*c*).

(*a*) Etiamsi intersint vestes, præsertìm solum indusium : etiam ex joco, levitate, curiositate, si personæ sint diversi sexûs. *Billuart*. Et ordinariè, quicumque sexus sit, etiamsi hæc simulatè fiant, quia graviter provocant ad libidinem quod ut ordinarium non facilè crederem, si jocosè et leviter fiant inter personas, ejusdem sexus. *Collet*.

Attactus uberum fœminæ, præsertìm jam puberis, inter inhonesta et libidinosa computantur, et damnatus est à Benedicto XIV liber qui dicebat hoc esse de se veniale. Mortales sunt, inquit P. Ant. à Goritiâ, cùm sunt pressi et mòrosi, veniales verò si leves et transeunter. Sanè addendum saltem : nisi fiant affectu libidinoso.

Tactus faciei, compressio manuum inter personas diversi sexûs ex amore sexûs vel ex voluptate excitandâ, practicè inter libidinosa recensenda sunt, etiam propter periculum carnalium commotionum in utroque. *Dens*. [360, *c*.] Ast si ex amore sexûs præcisè, seu ex illâ naturali ad alterum sexum inclinatione, sine ullo affectu libidinoso et solùm transeunter, equidem hæc plena sunt periculi ; sed non auderem affirmare D. Dens non esse hìc ullatenùs rigidiorem, saltem si absit periculum, etc.

Juxtà plures à mortali excusantur, ex levitate et sine malo fine tangentes (et à fortiori aspicientes), crura, collum, humeros, pectora quoàd partem superiorem, juxtà morem patriæ visui exposita ; quia hæc non solent graviter commovere. Sat verè : sed hi tactus semper periculosi maximè si in crura.

Ut veniale habet Billuart quòd ancillæ et nutrices, lavando, induendo et aliàs, infantium pudenda ex curiositate aut levitate tangant. An hoc mortale sit dubitat Collet, ob aliquem libidinis sensum qui facilè potest hìc irrepere. Ratio dubitandi major accederet, imò fortè ut mortaliter reæ censendæ forent si hæc morosè, vel iterando faciant, licèt, ut putant, ex levitate, saltem ob periculum, etc.

Sed faciliùs à mortali excusantur matres quæ hæc stulto sæpè potiùs quàm obsceno amore sibi permittunt.

Proprii corporis tactus, à fortiori aspectus, non ità movent, inquiunt Billuart, pater Thomas et P. Ant, post Sanchez ; et si fiant ex curiositate, levitate, absque libidine et absque prævisâ delectatione venereâ, quæ statìm reprimatur, si exurgat, actusque deseratur, non sunt mortales ; quia non intervenit eadem turpitudo, nec idem periculum quàm in corporis alieni partibus.

Sed cùm difficilè aliquandò dignoscatur quo animo hæc fiant, et sint periculosa, ab his deterrendi juvenes, imò et infantes, quia ad majora ducere possunt, et pudorem, pudicitiæ murum, auferunt.

Tactus pudendorum pecorum grandiorum, mortales sunt, ob naturalem nempè indecentiam, objecti obscenitatem magnam, et inflammationem libidinis. Potest et esse ibi bestialitatis malitia. *Billuart*, etc.

Sed absente malâ intentione, periculoque consentiendi voluptati venereæ, omnia hæc excusat causa legitima, ut medendi, ægrotos juvandi, in balneis serviendi, quamvis motus exurgant. Satiùs tamen utuntur tunc personis ejusdem sexûs.

(*b*) Saltem tunc ratione cooperationis peccato agentis. Graviter ergo tenetur patiens impedire hæc, et inutiles, cognitos ut tales, tactus aspectusve medicorum.

(*c*) Hæc ultima verba sunt theol. Pict. Sed et Billuart à mortali excusat infantes impuberes ejusdem sexûs impudicè se tangentes ex joco et levitate, +

+ voyez une feuille plus haut

quia non solent moveri carnaliter. Contrarium non rarò reperi, præcipuè in puellis.

Ergò multùm ab his deterreantur, et eò magis quòd sæpè jam in iis sit animus libidinosus et affectus ad rem turpem. Imò aliquandò fœminæ, rarò mares, multò antè ordinariam pubertatis ætatem, veram pollutionem experiri videntur et sibi procurant.

Nota : Cùm quis sæpè in somno aut semi-vigiliâ se tangit impudicè, saltem ex consilio manus alliget à collo, ità ut ad pudenda descendere nequeant.

---

380. De osculis et amplexibus idem speculativè dicendum ac de tactibus in partibus honestis, si objectivè solùm considerentur ; sed multò faciliùs et frequentiùs fiunt animo libidinoso ; magìs ad libidinem excitant, majorique exponunt periculo consensûs (*a*).

Quandò dantur aut recipiuntur oscula secundùm patriæ consuetudinem, amicitiæ et urbanitatis causâ, servandum est personæ decorum, vitandum scandalum et abjiciendus omnis venereus sensus.

Quòd si adesset proximum in delectationem veneream, si exurgat, consentiendi periculum, nec tunc permitti possent.

Imò quæ adverteret se, sub honestatis specie, animo libidinoso osculari, tangi, etc. (et non æquivoca sunt sæpè signa), debet viri contactum declinare, quin repellere, ne cooperetur peccato illius.

Si tamen sint præsentes qui pravam de viro suspicionem probabiliter concipient, mulier dissimulare posse videtur, cùm aliunde non sit de malâ intentione omninò certa.

(*a*) Practicè ut mortalia reputanda sunt oscula inter personas sexûs diversi grandiores facta cum ardore et morâ, vel replicata sæpè, maximè si ore ad os, et à fortiori si gustatis labiis, vel linguâ in os introductâ. Adest enim tunc animus libidinosus aut saltem præsentissimum consensûs in delectationem veneream periculum, quamvis eam producere hæc de se nata non essent. Imò circumstantiam linguæ (mutuatìm sæpè) introductæ, ut necessariò declarandam multæ credunt accusantque : sæpissimè tunc polluuntur.

Quin et in amplexibus morosis per compressionem corporis ad corpus ab antè, sæpissimè est copulæ cogitatio, desiderium et pollutio vel motus carnales, de quibus interrogandi qui et quæ amplexus simpliciter declarant, ut fit ordinariè.

Sed solùm venialia reputant plures et, ut videtur meritò, oscula, amplexus ex merâ levitate, joco, aut amoris honesti significandi vel fovendi causâ, secluso gravi periculo tùm in se, tùm in alio, quod reverà abest, sal-

tem sæpissimè, cum hæc non fiunt morosè ; nec ordinariè reperitur nisi in iis qui sunt aut multùm ad venerem inclinati, aut, ut quædam nervis ità mobilibus donatæ, ut ex nihilo ferè motus venereos, imò et pollutionem experiantur. Sed cùm timorem Dei habent, iis non consentiunt. Quòusquè autem peccent hæ, oscula et amplexus ex levitate, etc., permittendo, vide numeris 173, *d;* 180, *a.*

Sed semper adverte nescire fortè sæpè juvenes quo spiritu moveantur; illà omnia plena esse periculi, vixque certò à mortali excusari posse, cùm crebrò fiunt inter easdem personas jàm libidinis capaces; et quamvis non desint (quorum sententiam quidam communem dicunt) qui ea omni culpâ vacare opinentur, cùm agitur de fovendâ amicitiâ intuitu futuri matrimonii etsi motus excitent qui statìm reprimuntur, experientia docet esse hæc tunc in pluribus venerea, et in aliis multùm periculosa, cùm ab his paulatìm et sæpè brevi ad turpia descendant. Undè ob hæc, etsi nondùm venerea, non imprudenter differtur absolutio assuefactis.

Aliundè unus alterius complexionem non novit, ejusque fragilitas ipsi ignota non subest suæ voluntati, quæ ratio certè non est spernenda, etiam cùm raró, et non cum eâdem oscula fiunt.

Fateor tamen difficilè multis in casibus videri hìc peccatum mortale. Faciliùs de his in casibus particularibus quàm generatìm judicatur, et què quis est infirmior, eò magìs sibi cavere debet. Unus aliquandò mortaliter reus invenitur ubi non alius. Equidem damnata est ab Alexandro VII propositio hæc : *Est probabilis opinio quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum propter delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris.* Sed ob ultima verba : *secluso periculo, etc.*, damnata videtur, quia supponit quod non est. Delectatio enim carnalis et sensibilis seu organica, si non esset periculum consensûs ulterioris, non esset mortalis, cùm non sit venerea; vel quia per verba *carnalem et sensibilem*, intelligitur *venerea.* In praxi talia oscula, saltem morosa, habenda sunt ut mortalia.

RESOLUTIONES

Circà aspectus.

381. Dᴇ aspectibus eadem ferè dicenda ac de tactibus.

Igitur ut mortales habent aspectus in pudendis partibusve vicinis (*a*) corporis personæ alterius sexûs, nisi forsan sit ætatis valdè puerilis (*b*).

Et aspectus, etiam ex solâ curiositate aut levitate, etsi à remoto, concubitûs viri cum fœminâ.

Ut veniales verò habentur communiter propriorum pudendorum aspectus cùm obiter fiunt, vel ex levitate aut curiositate merâ, nec morosè aut studiosè (*c*).

Et aspectus coitûs brutorum,

Et pudendorum infantium à matribus, imò ab ancillis facti leviter aut ex curiositate, dùm eos lavant.

voyez 2 feuilles avant

Et à fortiori aspectus non turpes ; ut aspectus manuum mulieris, qui sæpissimè nequidem sunt peccata.

Sed in his omnibus absit semper animus libidinosus, nec adsit speciale quod aliquandò ob magnam ad venerea propensionem, adest delectationi venereæ consentiendi periculum proximum; quod facit sæpè morositas.

(a) Etiam pictis aut sculptis, si grandiorum personarum. Veniale tamen solùm, ut quid probabilius, id habet Billuart, quia hæc non commovent sicut naturalia; sed supponit quòd obiter tantùm ex curiositate aut levitate fiant tales aspectus. Certò non excedit veniale si quis picturas nudas infantium quæ in templis exponuntur sic aspiciat. Expositio tamen harum picturarum vituperanda ob periculum quod imaginationibus vividis objicitur, præcipuè si nec leviter pudenda tegantur, et à fortiori si sint fæminei sexûs.

Quòd autem picta minùs moveant quàm naturalia faterer, præsertìm si artem abolevit aut multùm minuit vetustas. Sed extrà hunc casum ratio hæc non videtur peremptoria, saltem pro omni casu.

Si virorum minùs quàm fœminarum teguntur statuæ aut picturæ, indè venit, puto, quòd cùm à naturâ ad curam corporis videantur magìs destinatæ fœminæ quàm viri, minùs per hæc moveantur, quamvis per alia magìs; vel ex consueto, à quo non fit passio.

(b) Aut si solùm aspiciantur ejus ubera, *P. Ant. à Goritiâ.* Quæ exceptio posset esse vera, si sit vetula aut non nuper nupta, aut puella junior nondùm formata, aut si aspectus fiat non nimis morosè, præsertim si non totaliter discooperta sint ubera. Sed quis hìc terminum inter mortale et veniale ponere potest ? Quot eheu ! juvenes per solum etiam coopertorum uberum aspectum vividè afficiuntur ! Quot in eo mortem inveniunt, quia ad ea aspicienda libidinosè moventur voluntariè.

Hinc ob periculum, à gravi peccato non excusat Collet eos qui in viis, plateis, templis sine attentione oculos quoquoversùm intendunt. Certè multùm sese exponunt, præsertìm si ad venerem inclinati. Sed quandonam mortaliter revera peccent, determinare mihi videtur impossibile generaliter loquendo. Meritò igitur suam conclusionem temperat Collet, addendo non teneri sæcularem quemlibet demissis oculis incedere, nec mulierem non alloqui. Addo : nec alloquendo non videre in faciem, modò oculi non figantur, sed vagè moveantur, dimittendo sæpè, maximè si persona ad libidinem excitandam apta sit. Imò timor excessivus tentationes augere potest, et juvenem anxium à quocumque ferè aspectu deterrere.

(c) Item dicunt multi contrà alios de aspectibus pudendorum personæ ejusdem sexûs : reverà tunc plerosque ad libidinem non provocant saltem notabiliter. Faciliùs ex tactu, inquiunt, quàm ex aspectu oritur delectatio venerea. Sed iterùm mihi videtur impossibile generaliter et certò hìc determinare limitem mortalis et venialis, quandò abest omnis animus libidinosus, cùm limes hìc pendeat à majori vel minori periculo. Sæpè ergò aspectus pudendorum etiam proprii corporis, licèt supponantur facti sine animo libidinoso, ut mortalia dubia declaranda sunt, inquit Collet, cùm nempè ex magnâ deliberatione et ex proposito fiunt.

Ex his conclude mortaliter peccare, 1° ob periculum in quod alios conji-

cjunt, qui se in aquis lavantes aut natantes non abscondunt se ab aliorum, præsertìm fœminarum aspectibus, nisi ità à longè sint, ut absit periculum.

Nec magistratus permittere possunt natationes publicas adolescentibus, nisi coopertis partes secretas, ut volunt politiæ leges.

A mortali tamen excusandi videntur infantes qui initio rationis usûs, et, ob rationes superiùs allatas, juniores qui alii ab aliis non abscondunt se. Ast aliquandò ratione balnei, impudicè imò venereè se tangunt, et libidinoso animo se aspiciunt invicem. Ergò hæ simultationes pro viribus impediendæ.

Magìs adhùc hìc fœminæ, saltem grandiores, peccarent quàm viri. Indè severiores ergà eas politiæ leges.

Hic notandi locus est pudicos, vel propriæ familiæ, oculos lædere matres quæ, lactando ubera non tegunt, puerulos nudos coràm omnibus tenent aut curant, aut quasi nudos ubique vagare permittunt, aut coràm eis à fortiori discoopertæ apparent.

Conclude 2° mortaliter peccare fœminas quæ nudatis mammis (vel scapulis, inquiunt Coll. Andeg. et alii), aut linteo opertis rariore prodeunt, vel quarum vestium forma idonea est quæ libidinem excitet, graviùsque si hoc ex animo faciant aut ex lasciviâ.

Imò emendandæ quarum brachia et pectus nimìs aperta.

Reprehendendæ quoque quæ fuco utuntur, nisi ad occultandam turpitudinem vultûs ex morbo provenientem.

Sed et hæ mortaliter peccant, si hæc faciant ad lasciviam aut in Dei contemptum.

Et quæ itidem ad excitandam concupiscentiam ornant se aut cum prævisione talis effectûs.

Secùs si ut viris placeant præcisè. Imò potest ibi non esse peccatum.

Excusant multi puellas quæ ornant se ut placeant amasiis qui eas in matrimonium postulant : imò non damnandæ videntur quæ ornant se ut maritos sibi procurent præcisè. Peccant tamen et periculosè pro se et pro aliis agunt quæ ex vanâ gloriâ ornant se ut videantur.

Sit hìc per transennam dictum peccare ex genere suo graviter quæ ità suprà statum ornant se ut debita solvere, aliisque gravibus officiis, educationi prolis, etc., subvenire nequeant, aut in ornando se magnam temporis jacturam faciunt.

Sed quid de iis quæ, ut nunc, quasi glutinatam habent in pectore vestem, ità ut formæ totaliter appareant. Aiunt casuistas Lugdunenses nuper decidisse hoc esse solùm veniale. Quidquid sit, et quamvis ab assuetis non fiat passio, quot sunt, saltem talia videre non assueti, quibus usus hic diaboli laqueus est, præsertìm cùm protuberantes multùm sunt mammæ. Rigidiores ergò, hactenùs saltem, non arbitror confessarios qui exigunt ut vestes tales amplo tegant mamillari (*mouchoir de cou*). Sufficit enim, vel ad denegandam absolutionem, ut quis sine causâ proportionatâ laqueus pluribus esse possit, aut sit solùm vel veniali assuetus, maximè quandò agitur de usu periculoso.

Quoàd puellas quæ mammas augent, sine intentione lasciviæ sed præcisè ut appareant jam aut magìs formatæ, mihi videntur à mortali excusandæ; saltem si hæ mammæ fictæ non sint multùm, et præsertìm separatìm, protuberantes : plures tamen, cùm ad cor redeunt, hoc confitentur.

Nota : Quæ de fœminarum, et de virorum circà pudenda vestibus cum proportione dicta sunto.

Nota iterùm : Graviùs peccant quæ novas ornatûs inverecundi formas in- X

X voyez 2 pr feuilles-audela

veniunt aut primæ sectantur, quia tunc periculosior: et de suentibus vestes ornatûs inverecundi, vide dicta, N° 261.

3°. Conclude mortaliter peccare mercatores qui picturas statuasve obscenas personarum præsertìm grandiorum vendunt exponuntve, et à fortiori qui faciunt eas. Nec hi omnes absolvendi, nisi quod obscenum deleverint, ità ut ad statum pristinum reduci nequeat.

4° Tandem larvas facientes aut vendentes, ubi earum prævidere possunt et debent usum mortalem.

Mortalis est autem larvarum usus ubi intentio lasciviæ, aut quod sæpè, proximum ejus periculum.

Et idem dic de utentibus, sine causâ justâ, vestibus alterius sexûs.

Sed juxtà plures contrà alios, seclusis malâ intentione et scandalo gravi, hæc non videntur nisi venialia graviora, et faciliùs mortalia, si mutationi vestium larva jungatur.

RESOLUTIONES

Circà turpes loquelas, gestus, cantilenas et lectiones.

382. Ex communi sententiâ, hæc omnia extrà necessitatem, aut conjugium proprium, in praxi ordinariè habenda sunt ut mortalia, quia, etiamsi supponatur in loquente omnis ad rem turpem affectûs et ejus periculi absentia, sed solùm curiositas, vanitas, levitas, recreatio propria aut aliena (quod in libidinosis vix supponi potest, nam *ex abundantiâ cordis os loquitur*), sæpè saltem pro audientibus adest tale periculum; quin et sæpissimè affectus ipse, maximè si juvenes sint et infirmi, verbaque sint valdè turpia.

Non raró in hâc materiâ nocent magìs sermones acuti quàm simplices, et velo tecti rariore, quàm aperti.

Nec excusat quòd audientes nupti sint, aut jam ea quæ dicuntur aliter edocti; quamvis tamen non tam facilè scandalizentur; et ubique attendi debeat periculum et fragilitas audientium.

Undè graviùs et enormiter peccant qui, coràm venerem ignorantibus, venerea dicunt, ut sæpè incauti conjugati. A fortiori qui ex intento venerem edocent.

Et qui libros cantilenasve turpes, aut solùm qui romantii dicuntur, componunt, vendunt, transcribunt, commodant.

Si tamen, quod rarò forsan supponi potest, secluderetur omnis ad rem turpem per loquelam apprehensam affectus aut ejus periculum, sive in loquente, sive in audientibus,

utpotè gravibus, benè moratis, et qui non nisi, sicut loquens, de verborum artificio aut æquivocatione delectabuntur, veniale solùm ibi esset. Ità communiter post D. Antoninum, quia non est hìc gravis deordinatio.

Item, à mortali saltem, excusari posse videntur viri graves et pudici, qui, lepores dictionis quærentes unicè, libros legunt *romanenses,* amores profanos, amasiorum et amasiarum colloquia casusque libidine intricatos, continentes. Sed eos non quibusvis post obitum relinquant.

Quantùm autem eos legere possint alii ex intentione purâ ut non censendi sint, ob periculum, mortaliter peccare, non potest nisi ex circumstantiis libri, vel libri loci qui legitur, et propensionis, infirmitatis, etc., legentis, dijudicari.

Sed libros omninò obscenos, nec ob sermonis lepores, cuiquam legere fas est.

In epistolis verò, cantilenis, munusculis purè amatoriis latet saltem anguis perfidus.

---

383. Audientes itidem graviter peccant, si ex, vel cum affectu ad turpia.

A fortiori qui excitant, et illi nebulones qui quæque obvia in verbis, gestibus, etc., ad sensum flectunt impurum.

Imò qui simpliciter approbant.

Secùs si absque affectu turpi, nec ullatenùs excitando, de æquivocatione ipsâ solùm, etc. (*a*), rideant, modò non dent locum rem pensandi.

Attamen, si non omninò inadvertenter, ibi veniale est.

Quin et pudicitiæ amator rubore suffunditur, ad aliaque, si impedire nequeat aliter, tenetur ex charitate sermonem convertere.

Undè increpandæ multùm et puellæ et mulieres recenter nuptæ, quæ licèt castitatis amatrices, verba vel æquivoca, quæ ad se diriguntur, etiam sine malo affectu audiunt, animo apparenter quasi indifferenti, magìsque quæ innuunt se intelligere; quin istæ non absolvendæ videntur, si sic ex consuetudine; approbant enim. A fortiori si in eodem sensu respondeant.

(u) Aut ex respectu humano, aiunt aliqui. Sed si diù saltem aut vicibus repetitis rideant, licèt non de turpitudine, difficilè id crederem solùm veniale, quia ibi est externa saltem approbatio, imò quasi adhortatio. Mortale est, inquit Coll. Andeg., per externum habitum ostendere approbari talia.

RESOLUTIONES

Circà peccata luxuriæ mentis et cordis.

384. Hæc peccata revocantur ad cogitationes et desideria.

Cogitationes sunt repræsentationes in mente. Cùm sint aspectus interiores, de iis cum proportione dicenda quæ de aspectibus (*a*).

Si habeantur cum complacentiâ, vide n° 200.

Desideria sunt affectus efficaciter, quantùm est de se, ad operis executionem ordinati.

Medium tenent inter volitiones efficaces quibus voluntas vult adhibere media quæ sunt in suâ potestate ad exequendum, et meram complacentiam de re apprehensâ.

Totam operis malitiam sicut et speciem continent.

Nono autem præcepto, non solùm adulteria et alia desideria turpia prohibentur, sed et libido quâ quis alterius uxorem, alterive desponsatam, aut Deo sacram, in matrimonium ducere concupiscit, ob periculum nempè mortem proximi aut adulterium desiderandi, imò committendi (*b*).

Nota : Quandò desideria contrà castitatem confitentur pœnitentes, videndum qualia, et an non simplices fuerint delectationes morosæ aut vicissìm.

(*a*) Si voluntariè et directè admittatur aut retineatur cogitatio turpis, mortale est ob præsentissimum periculum cadendi in delectationem et consensum aut in ipsum opus. Item ex D. Thomâ et juxtà probabiliorem, si, nec approbando nec repellendo, sine justâ causâ permittatur cum advertentiâ, 2, 2, q. 14, art. 6. Ità P. Ant. à Goritiâ.

In materiâ luxuriæ, semper censeri debet peccatum mortale, quoties aliquis sine bono fine vult deliberatè imaginari vel cogitare turpia, quia propter sympathicam et connexionem potentiarum animæ nunquàm sistitur in hujus modi cogitationibus vel imaginationibus, sed ex se inducunt ad turpes motus et effectus quos nunquàm procurare licet. *Theol. Pict.* [173.]

Minùs universaliter et forsan veriùs dicit P. Gab. Ant., à cogitatione voluntariâ raro aut complacentiam, aut complacentiæ consensûs in re cogitatâ proximum abesse periculum, quia materia est multùm lubrica, ac proindè

rarò, cum deliberatè et sine causâ, sed ex curiositate, talia cogitant, peccatum non esse nisi veniale.

Et verò addere me posse reor quòd cum cogitatio sit quasi aspectus internus, multò minùs moveat quàm externus. Porrò, secluso animo libidinoso periculoque ejus, multi turpes aspectus non habentur communiter ut mortales, quandò nempè obiter, etc. Cur non idem diceretur de cogitationibus circà eadem objecta sic obiter, etc., habitis [381, c].

Imò non auderem de mortali statim arguere hominem timoratæ conscientiæ, sed imaginationis vividæ, qui sine complacentiâ malâ, sine affectu aut motu venereo, instanti quasi physico, quo brevius nullum, liberè adhæret cogitationi turpiori.

Nota : Varia, pro variè tentatis, contra cogitationes turpes remedia sunt.

Si ex imaginatione aut memoriâ veniant, mens ad nonnulla quæ totam ipsius attentionem absumant, computa intricata, v. g., ad orationem fervidam (quæ aliquandò tunc et de præcepto est) aut ad meditationem novissimorum convertatur.

Si ex temperamento, abundantiâ humoris spermatici, etc., remedia sunt jejunia, carnis maceratio, sitis, fames, frigus, inflictio alicujus doloris, vigiliæ, fugere è lecto, si multum importunæ. Sed cavendum ne ex vigiliis aut jejuniis sanguis, ut sæpè, inflammetur, tentationesque augeantur, nec ad extrema hæc veniendum necessariò, nisi alia media non sufficiant.

Sæpissimè per simplicem contemptum, super cogitationes non reflectendo, cum iis non disputando, modò adsit displicentia positiva, meliùs, inquit Salesius, quàm per alia media, præsertìm directa, dæmon vincitur.

Nec expedit, quin periculosum, recogitare an consensus iis datus, inquit D. Thomas.

Maximè timendus consensus, sed timor nimius cogitationes turpes habendi aliquandò posset eas adducere.

Nota iterùm : Cùm pœnitentes confitentur cogitationes turpes, inquirendum 1° an voluntariæ fuerint et cum complacentiâ ; et si sic, 2° quales? quia delectatio morosa speciem sumit ab objecto ; 3° an subsecutum desiderium ; 4° an effectus ordinarii, commotiones nempè carnales, imò et pollutio anteiverint, comitati sint aut subsecuti? an tactus, vel et qui aspectus? sæpè in faciem, etc. fœminæ, etc.; 5° inquirenda qualitas personæ, si non cognoscatur. An autem inquirenda qualitas personæ morosè cogitatæ, vide n° 200. c. Tandem duratio.

(b) Catechismus Romanus et theol. Pict., qui transgressionem istam enumerant, quale sit peccatum non expendunt : Collet illud dicit mortale, sed sanè solùm ob periculum de quo suprà, quod semper proximum non existimarem ; nam pravitas videtur hìc à re separabilis : igitur extrà periculum proximum de quo modò, non video hìc nisi desiderium cum conditione, semper equidem sed plùs minùsve periculosum, graviter sæpissimè forsan, et ideò nono præcepto vetitum [195].

APPENDIX

DE LUDIS SCENICIS ALIISVE TURPIBUS, ET CHOREIS.

385. MORTALITER peccant qui hæc exhibent permittuntve, cùm turpia sunt verbis, gestibus aut factis.

Et ordinariè qui iis adsunt; quia sunt multùm libidinis incentiva.

Si non turpia : quamvis in se non mala, sunt tamen periculis plena ob circumstantias, et pro non paucis occasiones proximæ peccati mortalis (*a*).

Idem, et sæpè à fortiori dicendum de ludis inter personas diversi sexûs, præsertìm juvenes, ubi res occultatæ inveniri debent, aut amasii amasiæque indicandi, pignora danda, et osculis redimenda, etc.

(*a*) Intolerabiles ergò sunt quales ordinariè aut saltem sæpiùs nunc habentur ludi scenici, aliaque spectacula publica, ubi impura, aut saltem amatoria audiuntur; videnturque viri et mulieres qui cultu et gestu lasciviam spirantibus, amoris impuri dolos oculis, auribus cordique spectatorum objiciunt. Undè absolutione indigni et auctores dramatum in his scenis recitandorum, et actores et artifices qui conficiunt ad theatra proximè spectantia; quia proximè cooperantur iis quæ pluribus animæ mortem inferunt.

Secùs videtur dicendum si agatur de comœdiis honestis, ad populi recreationem publicamve lætitiam et civitatis decorem habitis, quamvis adhùc periculosæ sint pro aliquibus saltem. Secùs à fortiori de iis quæ in collegiis habentur, ut juvenes ad declamationem formentur, et quæ à sanæ disciplinæ rectoribus instituuntur.

Ut judicetur autem quale peccatum faciant qui non proximè malis comœdiis cooperantur, ut musici qui non ludunt nisi inter actus, nec musicam lascivam, nec lasciva amatoriave concomitantem, vide dicta numeris 262, 233 [200, *a*] : et hæc applicato cooperationis peccato ludis scenicis assistentium.

Sed quodnam peccatum faciunt per se præcisè qui frequentant ludos scenicos? Non facilè et solùm ex circumstantiis judicari potest. Attendenda enim locus, tempus, natura dramatum, actorum et aliorum spectatorum circumstantiæ, ætas, temperamentum, conditio assistentis. Posset enim pro viro probo et muliere honestâ nullum aut parvum esse periculum. Sed aliundè possent hi teneri specialiter ad præbendum talia fugiendi exemplum. Alii possunt habere graves assistendi causas, alii leves aut nullas. Alii ex consuetudine, alii rarò assistunt. Sicut ergò rigidior videretur qui quamcumque et cujusvis assistentiam ut mortalem haberet, ità certè laxior qui assistentiam ludis scenicis indiscriminatìm permitteret. Medium justum, ordinariè loquendo,

tenere videntur, qui, quamvis increpantes, raram assistentiam non semper mortalem reputant, nec tamen absolvunt eos qui sub prætensâ, licèt forsan aliquandò verâ periculi magni absentiâ, spectacula ex consuetudine frequentant, saltem sine gravi causâ, quæ semper existere vix concipitur.

Quoàd choreas : mortales sunt quæ per se, ob gestus obscenos, impuræ sunt. Periculosissimæ saltem pro juvenibus, quæ *Walz* dicuntur, et pro multis lethales.

Idem dicendum cùm in tabernis, ubi promiscuè juvenes utriusque sexûs bibunt, habentur choreæ. Tunc sunt occasiones proximæ, inquit D. Dens: quod tamen generaliter intelligendum puto.

Aliæ choreæ multi generis periculis plenæ sunt pro pluribus saltem, ob aspectus, verba turpia, cogitationes, desideria, colloquia secreta, amplexus, oscula, inter saltationum intervalla. Occasiones sunt ornatuum, vanitatis, zelotypiæ, amoris profani. Sunt pompæ satanæ; imò pro pluribus occasiones proximæ peccati mortalis. Ab iis raró abest aliquis actus impudicus, inquit theol. Pictaviensis; sed certè de universalitate cœtûs intelligendus. Pro viribus ergò eradicandæ, vel ex eo quod evagationis, malorum omnium radicis, occasiones sint. Rigidior tamen esset, qui absolutione indignam judicaret personam quæ, seclusis specialibus periculis, raró saltaret.

Nota : Sat communiter licitæ dicuntur choreæ tempore lætitiæ publicæ, ni tempore officiorum divinorum, aut diebus fiant quibus ab utrâque potestate prohibentur, modò tamen à saltantibus absit omnis animus venereus aut ejus periculum, gestuque libidinoso choreæ illæ careant.

Ast si solemnitas et spectantium multitudo multa pericula à choreis tunc avertat, aliqua majora pro quibusdam saltem nascuntur ex potationibus his diebus solitis, ex, ex, etc. Ergò ab iis abstinendum, ni statûs decentia gravis aliter exigat.

Nota iterùm : Et minùs periculosæ videntur choreæ quæ dicuntur *bals de famille, de société,* ubi patres et matres præsentes sunt. Sed itidem non vacuæ periculis, aliquandò mortiferis. Ex circumstantiis judicandum an et quandò tolerari possint.

De modo interrogandi in materiâ luxuriæ, vide numeros 718 et sequentes.

SEPTIMUM ET DECIMUM

DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non furtum facies. Non concupisces domum proximi tui, etc.

386. De decimo dicere sufficiat peccare contrà, non solùm qui alienum appetunt injustè, vel cum damno proximi aut incommodo possidendum ; vel qui dispositi sunt abuti ætate proximi ac simplicitate in contrahendis ; vel quos pœnitet elapsæ lucri, quamvis injusti, occasionis ;

Sed et qui divitias, vel rem alterius quamvis justè acquirendam, avidiùs, ut Achab, desiderant; debita ad rigorem juris, sine necessitate à pauperibus repetunt; vel ea eò usquè crescere sinunt donec debitor agrum, etc., cui inhiant, vendere cogatur ;

Et qui penuriam exoptant, ut res suas chariùs vendere; militiam vel bellum, ut furari; morborum frequentiam, si medici; litium exortus, si procuratores, ut lucrari; mortem munere publico fruentis, ut ejus locum obtinere queant.

Tandem qui bonis, potentiæ, etc., alterius invident.

Septimum decalogi præceptum omnem faciendam prohibet, factamque in bonis fortunæ injustitiam reparare præcipit.

De eo ergò proùt negativo et proùt affirmativo in duplici parte dicetur. Sed anteà

NOTIONES GENERALES

DE JURE ET JUSTITIA.

Jus, et justitia seu debitum, sunt duo correlativa *alteritatemque* saltem aliquam important necessariò.

CAPUT PRIMUM.

DE JURE.

Jus, quod multas habet acceptiones, hìc activè sumitur pro potestate de re aliquâ disponendi.

SECTIO I.

De naturâ et divisione juris.

387. Jus est potestas legitima, id est lege divinâ aut humanâ, vel liberâ contrahentium voluntate concessa, ad aliquid vel faciendum vel impediendum, obtinendum vel retinendum, eo utendum vel de eo disponendum; cujus facultatis læsio injustitiam constituit.

Aliud ergò naturale, quod lege naturæ, et aliud positivum, quod lege positivâ, vel liberâ hominis concessione alicui competit.

Dividitur insuper

1° In jurisdictionem, jus proprietatis et jus mixtum.

Jurisdictio est facultas regendi personas, directè in eorum utilitatem ordinata.

Si per solam superioris voluntatem jurisdictio exerceatur, vocatur voluntaria, seu fori gratiosi; contentiosa autem, seu fori contentiosi, si cum apparatu judicii.

Jurisdictio civilis diversa est pro munerum varietate,

fonsque ejus est potestas suprema, quæ, in quocumque gubernio à Deo est, saltem mediatè.

Jus proprietatis est facultas legitimè disponendi de re, vel quasi re (ut de mancipio), directè in utilitatem illam habentis ordinata.

Si facultas hæc proxima sit, seu si res jam habeatur, vocatur *jus in re*, quod dat in judicio actionem realem, facitque rem repeti posse quòcumque transierit.

Si autem facultas hæc remota sit, seu si res nondùm habeatur, vocatur *jus ad rem*, seu jus ut res fiat sua datque solùm actionem personalem, seu jus prosequendi ut res habeatur.

Ad jus *in re* requiruntur existentia rei solùm et titulus, sed aliquandò, per exceptionem, traditio.

Ad jus verò *ad rem* sufficit solus titulus.

Jus *in re* aliquandò à lege restringitur vel quoàd validum, vel quoàd licitum, estque

Vel proprietas perfecta, cùm nempè disponi potest et de re et de ejus fructibus, sine ullo obstaculo proveniente, v. g., ex hypothecâ, vel ex defectu personali, ut si proprietarius inhabilis sit ad contrahendum.

Vel imperfecta, cùm disponi nequit nisi de substantiâ rei, et tunc qui illam habet proprietarius dicitur; vel nisi de ejus fructibus, quo casu qui illam habet appellatur usufructuarius, etc.; vel tandem cùm proprietarius aliquo vinculo ligatur aut ejus proprietas aliquo onere gravatur, etc. (*a*).

Jus mixtum est potestas disponendi de re vel personis tùm in earum, tùm in jus habentis utilitatem, estque paternum, œconomicum vel herile, proùt datur inter patrem et filium, maritum et uxorem, dominum et servum (*esclave*) spectatos quà tales, seu spectatos proùt subsunt legibus quædam bona ordinantibus æquè directè in utriusque utilitatem.

(*a*) Circà varias species dominii utilis, ac proindè dominii directi illi correspondentis, usumfructum, usum, habitationem, etc., vide titulum 3, lib. 2, Cod. civil. et circà servitutes, titulum 4 ejusd. libri.

---

388. 2° Jus dividitur in strictè dictum et latè dictum.

Jus strictè dictum illud est cui correspondet justitia commutativa, de quâ infrà vel alia justitiæ species, quæ in hanc reincidat[409]; cujus proindè violatio importat obligationem restituendi. Oritur ex lege divinâ aut humanâ, ex dominio, proprietate, pacto sive explicito, sive implicito, alterove titulo particulari, ratione cujus habet quis *jus in re* vel *jus ad rem*.

Jus verò latè dictum, cujus violatio simplicem importat obligationem conscientiæ in eo adversùs quem est, illud est cui respondent cæteræ justitiæ species. Nec *in re* est, nec *ad rem*.

Jus strictum aliud est proximum, *jus in re* nempè et *jus ad rem* propriè dictum.

Aliud remotum, jus scilicet ne per vim, fraudem, etc., impediar à consecutione boni mihi non debiti.

389. 3° Jus dividitur in jus altum seu commune, et jus particulare.

Prius est potestas quam habet communitas, vel eam repræsentans, disponendi de bonis privatorum juxtà exigentiam boni communis.

Posterius est vel particulare *secundùm quid*, quod nempè habent privati participandi in quibusdam bonis communibus ordinatis ad communitatis utilitatem, ut jus ad officia publica.

Vel particulare *simpliciter*, illud nimirùm quod habent privati disponendi de suis bonis in suam utilitatem.

SECTIO II.

De modis acquirendi jus proprietatis.

Bona omnia sunt mobilia vel immobilia. Vide cap. 1 et 2, tit. 1, lib. 2, Cod. civ.

Et circà acquisitionem juris per successiones, tit. 1, lib. 3, ubi etiam de partitione hæreditatis et rebus quæ in partitionem referri debent.

De modis jus acquirendi per contractus, etc., dicemus posteà.

ARTICULUS I.

De modo acquirendi jus ad ea quæ nullius sunt, seu de occupatione.

Occupatio est apprehensio alicujus rei cum animo eam faciendi suam.

Principium est : quæ nullius sunt, ni lex obstet, primò occupantis fiunt.

§ I.

De occupatione thesaurorum, etc.

390. « Le trésor est toute chose cachée ou enfouie, sur » laquelle personne ne peut justifier sa propriété, et qui est » découverte par le pur effet du hasard (716). »

Si ergò certis quibusdam indiciis aut præsumptionibus cognosci possit à quo facta fuerit depositio, thesaurus non est, sed res deperdita hæredibus domini præsumpti reddenda (*a*).

(*a*) Ità D. Toullier, quem sæpè citabimus, utpotè qui ut Cod. civ. Gallicani commentator bonus habeatur. Definitio ergò hodierna thesauri coincideret cum veteri quæ sic : *Vetus depositio cujus memoria non extat, ità ut jam dominum non habeat.*

Si depositio sit vetus, quamvis sciri possit à quorum majoribus facta fuerit, juxtà Lessium et P. Thomas thesaurus est, quia, spatio tàm longo, desiit esse in dominio cujusquam. Contrarium sentit Delugo, et videtur meritò si res semper in eâdem remanserit familiâ, quia tunc dominus cognosci potest, et indiciis præsumptionibusque jus hæredum probari.

Si plures fuerint locatores in domo in quâ quis invenit depositionem non veterem, seu quæ non possit haberi ut thesaurus, de eâ faciendum sicut de rebus inventis. *Dens.*

Notent hâc occasione confessarii inquirendum à moribundis de quibus suspicio est quòd pecuniam absconderint, nùm hæredibus declaraverint, ut nempè vitetur suspicio quòd fuerit ablata, etc.

---

391. « La propriété d'un trésor appartient à celui qui le » trouve dans son propre fonds. Si le trésor est trouvé dans » le fonds d'un autre, il appartient pour moitié à celui qui » l'a découvert, et pour l'autre moitié au propriétaire du » fonds. (716) (*a*). »

Hæc quæ juri naturali excipiunt, obligant tamen antè sententiam judicis, quia non pœnalia, sed proprietatis rerum definitiva sunt.

Per fundum autem intelligitur et vestis vetus in quâ sarcinator gemmas; et vetus arca in quâ pecuniam fractor invenit. Sed difficilè non adsunt indicia et præsumptiones quòd ad talem personam vel familiam res inventæ pertineant, saltem si in domo remanserint.

Si ad alterius dominium vestis, arca, transierint, idem semper dicendum ac si in fundo res esset inventa.

(a) Si in loco publico, viâ, plateâ, foro, thesaurus inventus sit, juxtà alios totus est inventoris. Sed rectiùs sentire videntur qui dicunt cum fisco dividendum. Adderem : vel cum communitate, si sit domina loci. Ut dominii publici appendices habentur « les chemins, routes et rues à la charge de » l'état, les fleuves et rivières navigables et flottables, les rivages, lais et » relais de la mer, les ports, les havres, les rades, et généralement toutes » les portions du territoire français qui ne sont pas susceptibles d'une pro» priété privée (538.)

Cùm lex hodierna nihil distinguat, thesaurus videtur dividendus cum Ecclesiâ, religiosove loco, si in eo inventus sit.

---

392. Si non fortuitò, sed datâ operâ, thesaurus inventus sit, tunc vel de consensu domini, vel non.

Si de consensu domini saltem tacito, standum pacto si quod, ad minùs implicitum, intervenerit.

Si autem nullum, juxtà communem olìm, thesaurus totus est inventoris (*a*), nisi fingens aliam fodendi necessitatem, simulaverit se thesaurum nescire, dùm sciret ibi existere. Tunc enim dominus non censetur saltem partem suam donasse (*b*).

Si sine consensu domini, jura vetera (et probabiliùs sic nunc judicaretur, inquiunt Delvincourt et Toullier) totum domino fundi adjudicant.

Notant tamen communiter theologi videri partem mediam retineri posse antè sententiam judicis, quia in hoc lex videtur pœnalis.

Quòd si dominus imperet famulo quærere thesaurum, videtur totum ad dominum pertinere, quia quærens est merum instrumentum (*c*).

Nota. 1° Venæ metallicæ jure naturali pertinent ad dominum fundi, quia illius sunt pars (*d*).

2° Qui scit in fundo latere thesaurum, potest fundum emere pretio currenti, quia thesaurus non est pars fundi; sed nullius est (*e*).

Sed si jam invenerit thesaurum, non videtur posse eum recondere ad emendum fundum, ut toto thesauro potiatur, quia jam inventus pertinet pro mediâ parte ad dominum fundi.

(*a*) Juxtà Collet, tutiùs dividendus est; quia dominus fundi non censetur toto jure suo cessisse. Dividendus *P. Ant. à Goritiâ;* quod conformius videtur juri novo nihil distinguenti.

(*b*) Tunc totus est domini fundi. *P. Ant. à Goritiâ*. Doctoribus casum hunc rarum decidendum relinquo, inclinor tamen in sententiam P. Ant. à Goritiâ, quia cùm dominus ex errore, ab inventore ingesto, consenserit, idem videtur esse ac si non consensisset.

(*c*) Secùs apparet, si non fuerit jussus fodere ad hoc. *Delugo*. Quod conforme videtur Cod. civil. Ità etiam annotator in Col. Andeg. D. Gousset, contrà auctorem. Media pars ergò famulo vel mercenario cederet.

(*d*) Juxtà Molina, Lessium, Delugo et Billuart, si quis fortuitò vel singulari perspicaciâ sciret in fundo latere mineralia, posset nihilominùs illum emere pretio currenti, quia non pluris valet in communi hominum æstimatione [477, *b*]. Alii contrà sentiunt, quia mineralia sunt pars fundi, cui sententiæ adhærerem.

(*e*) Sic communiter. Alii contrà sentiunt, quia fundus est magis utilis. Si enim detegatur thesaurus, erit saltem pro dimidio domino. Sed hæc parum ponderare videntur.

---

393. Aliqualem cum thesauris similitudinem habent aliæ res inventæ.

Et quidem, quæ nullius sunt, fiunt jure naturæ primò occupantis. Tales lapilli, gemmæ, conchilia quæ inveniuntur in littore maris.

Verùm « les droits sur les objets que la mer rejette, de » quelque nature qu'ils puissent être, sur les plantes et » herbages qui croissent sur les rives de la mer, sont réglés » par des lois particulières (717) (*a*). »

(*a*) « Il en est de même des choses perdues dont le maître ne se repré» sente pas. » *Ibidem*. Verùm D. Delvincourt, in suis de jure civili Gallicano institutis, ait se nullas hujusmodi cognoscere leges, et D. Toullier, nullas novas factas, ac proindè ad veteres recurrendum quarum plures dispositiones sunt abrogatæ. Nam abrogatæ sunt saltem quoàd jura toparcharum. Imò jura

fisci extensa videntur per articulos 539 : « Tous les biens vacants et sans maî-
» tres.... appartiennent au domaine public ; » et 713 « les biens qui n'ont
» point de maîtres appartiennent à l'état. » Sed exceptis quæ continet edictum regium mensis Augusti, anni 1681, circà dicta *Epaves marines*. Hæc omnia nunc parùm clara sunt.

Quoàd res amissas [407] : ex articulo 2279 Cod. civ. concludi posse videtur, et de facto concludit D. Delvincourt, saltem ut probabilius eas post annos tres fieri inventoris, si dominus non compareat. Idem etiam docebat D. Proudhon, in academiâ Divionensi juris professor et Decanus. Sed ex articulo 717 videntur, in sententiâ D. Toullier, ad fiscum pro duabus partibus et ad inventorem pro parte tertiâ pertinere in locis ubi sic dividebantur inter toparchas et inventorem, et alibi ad fiscum in totalitate. Alibi, quibusdam exceptis, totum ad inventorem, secundùm jus romanum. Igitur in his non sibi clarè constat codex civilis, sicut nec concordant ejus interpretes.

In tali dubio si, factâ rei gravitati proportionatâ inquisitione, dominus non compareat, tutiùs ad minùs res danda pauperibus, vel in alias pias causas impendenda, juxtà doctrinam D. Thomæ, S. Caroli, Catechismi Romani et majoris partis theologorum, cui doctrinæ praxis, saltem in diœcesi Bisuntinâ, adhùc conformis, et

Si res magni sit momenti, in xenodochio, vel, etc., collocanda, ut vel ipsa vel ejus valor reddatur domino si compareat.

Nota : 1° inventorem posse deducere de re reddendâ impensas quas fecit inquirendo dominum.

Nota 2°. Quòd si non inquisierit quis rem perdiderit eamque consumpserit aut in causas pias impenderit, teneatur æquivalens reddere domino comparenti. Si autem dominus non compareat, pœnitentiâque ductus inventor omnem ad reparandam culpam diligentiam adhibeat inutiliter, ad minùs in causas pias impendat rem, quia ejusdem conditionis videtur ferè ac fur. Sed ulteriùs teneturne ? Vide, si opus, longiorem hujus casûs et ejus sequelarum discussionem apud Collet, de jure, cap. 3, sectione 2, puncto 2.

Nota 3°. Inventor nihil præter impensas in domino inquirendo aut aliter justè factas, exigere potest, ut rem domino reddat. Potest tamen pretium inventori promissum vel aliam quamdam remunerationem acceptare, si libertas domino relinquatur. Sed injustitiæ affectivæ reus esset si in intentione haberet rem, nisi oblato et accepto præmio, non reddere.

§ II.

De occupatione bonorum derelictorum vel vacantium.

394. Bona derelicta ea sunt quæ dominus eo animo abjecit ut non sint sua.

Jure naturæ sunt primò occupantis. Jure civili (713) sunt gubernii (*a*), et legibus particularibus regulantur jura in merces in mare projectas (717) (*b*).

Inter bona derelicta computanda non sunt bona projecta à naufragantibus, nec ea quæ propter incendium ejiciuntur, quia ejiciuntur ut conserventur (*c*).

Reddenda ergò sunt domino, etiam in casu in quo non apprehensa periissent.

Sed dominus solvere debet impensas.

Nota : Tutâ conscientiâ, ab riparum incolis, expiscantur ligna parva quæ intumescente fluvio abripiuntur, et etiam quæ, ex magnâ quantitate in flumen projectorum, aliò transvehendorum, in fundum descendunt (*les plongeons*), aut retinacula (*les arrêts*) transgrediuntur pauca : quia domini ea non curant, sive quia parvi faciunt, sive ob impensas in illis recuperandis faciendas. Præsumuntur ergò derelicta, nec ea requirit fiscus (*d*).

Bona verò vacantia ea sunt quæ sine domino, aut quæ quis relinquit ab intestato, decedens sine hæredibus qui ei, de jure, ab intestato succedere debeant. Sunt dominii publici (539).

(*a*) Fortè ex usu hæc intelliguntur solum de immobilibus. *D. Delvincourt.*

(*b*) Olim, facto naufragio, bona in mare projecta, etc., post factas proclamationes, et annum et diem, dividebantur. Media pars regi, et altera magno amirali dabatur. Si verò à maris fundo vel in summis aquis fluctuantes merces extrahebantur, tertia pars iis qui eas retraxerant et reliquum dabatur proprietario si comparebat. Secùs, post annum et diem regi tertia et tertia magno amirali dabatur.

Nunc, inquit D. Toullier, distinguendum item inter res è fundo maris erutas aut fluctuantes, et res in littus ejectas (échouées sur les grèves et les rivages).

Priores, ut anchoræ, sunt inventoris ex integro, si, intrà duos post factam declarationem menses, dominus eas non reclamet, etc.

Quoàd posteriores, ex jactu nempè, fracturâ, naufragio, provenientes, jussum est inventoribus aut piscatoribus eas in tuto collocare et declarare intrà 24 horas, et debent proclamari. Porrò tertia pars statìm in pecuniâ inventori danda, et aliæ duæ partes servantur ut intrà annum et diem dentur domino reclamanti; et si non reclamet, fisco tribuuntur. Edictum regium 1681.

(*c*) Ex edicto 1669 : quæ inveniuntur in mediis fluminibus navigabilibus, vel quæ aqua in ripis deposuit venduntur pro fisco; et pretium intrà mensem reclamanti datur. Debent statìm tribunali civili denunciari.

(*d*) Numquid nunc ubique sic? Nescio.

§ III.

De occupatione animalium.

395. Animalia sunt ex naturâ suâ mansueta seu domestica, vel fera, ut aves, etc.

Sunt et ex feris mansuefacta, ut apes, etc.

Mansueta nunquàm fiunt primò occupantis ; sed inventa reddi debent domino, cum suis fructibus, deductis impensis; etsi incendio, furis manibus aut lupi faucibus erepta (*a*).

Idem dicendum de animalibus cicuratis ut quidam cervi, quandiù talia sunt.

Si autem libertatem recuperaverint (*b*), fiunt, sicut ex naturâ suâ fera, primò occupantis.

« Les pigeons, lapins, poissons qui passent dans un autre » colombier, garenne ou étang, appartiennent au propriétaire de ces objets, pourvu qu'ils n'y aient point été attirés » par fraude et artifice (*c*). »

Sed melior nutritio, ad conservanda sua, illecebra non est.

(*a*) Animalia mansueta errantia, seu expavefacta (Epaves) alicubi olim toparchis, alicubi inventori et toparchis, sed solùm tertia pars inventori, dabantur.

Nunc, cùm nihil circa hæc dicat jus civile, nisi generaliter (717) sicut de aliis rebus inventis, observantur antiqua decreta, inquit D. Toullier. Vide modò dicta 393, et consule jurisperitos.

(*b*) Prudentibus judicandum relinquitur quale tempus ad hoc requiratur. In genere dicendum ea libertatem recuperasse cùm revertendi consuetudinem amiserunt. Tres aut quatuor dies assignantur pro cuniculis; sed tempus majus requirunt pro cervis; et sunt qui volunt animalia non recuperare libertatem quandiù possunt reduci facilè. Examen apum liberum non est, quandiù est in conspectu domini et non difficilis prosecutionis. Olim apprehendi poterat in fundo alieno, et dominus fundi poterat solùm impedire ingressum fundi sui. Nunc, juxtà D. Toullier, ex articulo 3, sectionis 3, § V, legis 6 octob. 1791, de bonis et usibus ruralibus, cùm dominus examinis apum illud prosequi desiit, pertinet ad proprietarium agri ubi quievit. Undè juxtà eum non est primò occupantis. Contrarium videtur D. Gousset, saltem antè sententiam judicis, quia sic jus romanum, si alter ceperit examinis possessionem, hoc enim conformius naturæ proprietatis animalium quæ libertatem recuperârunt. Annotator in Potier, nullam, inquit, differentiam admittit hìc inter jus romanum et legem gallicam.

(*c*) Hæc non intelligenda de columbis, etc. magis domesticis (*de volière*). Possunt reclamari sicut gallinæ. *Malleville.*

« Les pigeons seront renfermés aux époques fixées par les communautés, » durant lequel temps ils seront regardés comme gibier, et chacun aura droit » de les tuer sur son terrain comme il est permis d'y tuer les volailles. » Art. 12, tit. 2 legis 5 octob. 1791. Potest retineri cadaver, si non reclametur nec habeatur aliud medium indemnitatis obtinendæ.

« Mais hors ce cas on doit observer les anciens règlements, qui défendent » de tirer, même sur son propre fonds, sur les pigeons d'autrui. *Merlin.*

» Si la municipalité négligeoit de fixer le temps de la clôture des colombiers, les pigeons n'en seroient pas moins regardés comme gibier par le » propriétaire qui les trouveroit sur son terrain au temps de la semaille ou » de la moisson. *Toullier.*

APPENDIX

DE VENATIONE ET PISCATIONE.

396. VENATIO et piscatio, jure naturali omnibus permissa, sæpè tamen legibus in conscientiâ (*a*) obligantibus prohibentur, et sunt quandòque injustitiâ polluta.

Prohibentur et ratione temporis (*b*), quandò animalia sunt fœta, aut fœtum alunt.

Et ratione instrumentorum. Sic præscribit lex qualia debeant esse ad piscandum retia. Specialiter prohibitum venenum.

Et ratione loci. Sic ex lege 30 aprilis 1790, quæ in Galliâ viget : « Il est défendu à toute personne de chasser en » quelque temps, et de quelque manière que ce soit, sur » le terrain d'autrui, sans son consentement, sous peine, » etc. (*c*).

» Il est libre en tout temps au propriétaire ou possesseur » et même au fermier de détruire le gibier dans ses récoltes » non closes, en se servant de filets ou autres engins, qui » ne puissent pas nuire aux fruits de la terre, comme aussi » de repousser avec des armes à feu les bêtes fauves qui se » répandroient dans lesdites récoltes. *Ibidem.*

» Déclarons la pêche de la mer libre et commune à tous nos sujets. » Art. 1, tit. 1, lib. 5 decreti regalis anni 1681.

Sed « Nul ne pourra pêcher dans les fleuves et rivières » navigables, s'il n'est muni d'une licence, ou s'il n'est adju» dicataire de la ferme de la pêche..... autrement qu'à la » ligne flottante. » Lex diei 4 florealis, an 10 (*d*).

(*a*) Sufficienter ad mortale, ut videtur D. Bouvier. Plurimi aliter sentiunt, quia non strictè premitur legis executio. Si strictè premeretur, et pœnæ forent graves, ut triremes, peccatum faciliùs mortale æstimaretur. Sed ratione damni cujus vitandi causâ lex facta est, peccatum potest esse grave, inquiunt Billuart, Dens, etc.

(*b*) Ad præfectos provinciarum attinet determinare in suis provinciis tempus quo venatio libera erit proprietariis et possessoribus in terris suis non clausis. Sat ordinariè à primâ martii ad finem julii vetita.

(c) Sub *terrain d'autrui* comprehenduntur sylvæ domaniales, et sylvæ communitatum, hospitiorum aliarumque communium institutionum, quia lege assimilantur prædiis particularibus.

Verùm nemo potest ex officio insecutioni subjacere ob venationem in terreno communi. Ex arresto curiæ *de cassatiòn,* 10 juillet 1807. *Toullier.*

(d) Piscatio in fluviis non navigabilibus pertinet ad proprietarios riparum.

397. Injusta sunt venatio et piscatio, ac proindè ad restitutionem obligant

1° Cùm fiunt in locis clausis, aut in stagnis, tuncque ipsæ feræ, ipsive pisces, aut valor cum damnis, si quæ sint, proprietàrio restituenda sunt.

2° Cùm jus venandi aut piscandi ad aliquem attinens (*a*) graviter læditur, v. g., multa et pretiosiora occidendo, maximè fœmineæ sobolis; magnam piscium quantitatem veneno interficiendo; retibus strictis speciem multùm minuendo; crebrâ nimis piscatione vel fraude, animalia aliò divertere compellendo, ità ut jus venandi aut piscandi, aut facultas illud aliis locandi notabiliter minuatur.

Sed communiter docent non feras ipsas aut valorem restituenda, quia nullius sunt; sed damnum illatum, arbitrio prudentis æstimandum, reparari debet.

Et reparanda damna segetibus, vineis illata.

Et ab habentibus jus venandi reparanda damna quæ patiuntur agricolæ ex nimiâ ferarum multiplicatione.

(*a*) Vel ad rempublicam, quæ ratione publicæ utilitatis venationem vetuit. *Collet, Billuart,* etc.

Idem dicit P. Gab. Ant. de jure communitatis.

398. Fera ità percussa ut effugere ampliùs non valeat, etsi in laqueum alterius incidat, est vulnerantis, si pergat eam insequi, certò moraliter (*a*) eam apprehensurus.

Secùs, si sit solùm excitata, aut leviter vulnerata, aut non ampliùs prosequatur, etc. (*b*).

Laqueo comprehensa pertinet ad eum qui laqueum tetendit, non ad invenientem, nisi facilè potuerit evadere.

(*a*) Hæc addunt plures.

(*b*) Tunc enim est priùs occupantis, etiam in dubio an fuisset apprehensa juxtà, multos, quia melior est apprehendentis conditio. Juxtà alios dividenda

est, quod conformius videtur principiis. Imò, ait Delugo, vulnerans, post vulnus lethale, feræ dominium acquirit.

Nota : Ex edicto Henrici IV, qui in fundo in quo jus habet venandi feram excitavit, potest eam in alieno insequi. Sed non sic videtur nunc, inquit D. Toullier, cùm simpliciter prohibeatur in alieno fundo venatio.

APPENDIX ALTERA

DE LIGNATIONE ET PASCUORUM USU.

399. Nunc, saltem apud nos, nulla ligna aut pascua sunt primò occupantis.

Furantur ergò qui ligna cædunt in sylvâ alienâ, etiam communitatis suæ aut principis (*a*), nisi aliundè jus habeant.

Excipiendi tamen videntur pauperes qui minuta jacentia colligunt, aut quæ sunt quasi nullius valoris cædunt in usum foci proprii, alioquin, sine igne hyemem, etc., transacturi.

Et excipiuntur ii qui, ubi sic fit, ligna in usum aratorium cædunt in sylvis communitatis suæ, modò non ad vendenda instrumenta quæ ex illis conficiunt. Attamen si sylvæ sint divisioni subjectæ, cùm nunc pauperes jus æquale cum aliis ad illarum ligna habeant, ad aliquid porportionatum ergà pauperes, maximè si conquerantur, obligarem (*b*).

Quandò sylvæ inter plures communitates indivisæ sunt, facere unusquisque potest, cum modò dictâ restrictione, quod consuetudine sufficienter introductâ, sibi mutuò condonant, aut aliter justum est.

Et hæc de bonis aliis communibus, pascuis, etc., dicta generaliter sunto, observando solùm quòd « Le propriétaire » qui veut se clore perd son droit au parcours et vaine pâ- » ture en proportion du terrain qu'il y soustrait (648). »

(*a*) Si verum sit dubium an sylva sit communitatis aut toparchæ qui interim sibi eam vindicat, et ad finem controversia deduci non possit, utrinquè manere videntur in suâ possessione, communitas quidem sylvâ utendi ut publicâ, et toparcha mulctis afficiendi. *Steyaert, Dens.* Sed hæc difficilè conciliantur cum principiis. Lis ergò terminanda omni conatu.

(*b*) Si communitas prohibeat lignationem et pascua, longè probabilius videtur contrà Steyaert et alios quòd mortaliter peccent qui notabilem horum quantitatem auferunt, quia leges politiæ usum rerum communium regu-

lando obligant in conscientiâ, et videntur æquivalere contractui quem facerent inter se particulares. Fieri aliundè posset ut legum observatores nihil aut parùm haberent in bonis communibus, dùm violatores è contrà.

Notant tamen auctores, inquit D. Dens, paulò majorem in his quæ naturaliter nascuntur requiri ad mortale quantitatem, quàm in aliis, quia accedunt ad res naturaliter liberas. Imò Theol. Pict. ad restitutionem non obligat qui ligna cædunt in sylvâ communi, nisi indè communitas damnum grave patiatur. Idem sentit P. Thomas ex Charmes, quia jus habent, et communitas censetur remittere contenta mulctà, si quæ imponatur. Ita tandem ferè Delugo.

Nescio quid alibi : olim hæc aliquatenùs saltem ità esse poterant. Sed apud nos odiosi sunt et semper fuerunt sylvarum prædones, cùm, præter ea quæ sibi omninò, sive pro reficiendis instrumentis, sive ob paupertatem (modò de parvis, aridis, etc., agatur) necessaria sunt, accipiunt. Ligna nunc sunt pretiosiora longè quàm olim. Ad levem ergò, non levissimam, restitutionem obligarem ergà Ecclesiam loci, etc., si leve, non levissimum damnum intulerint. Minùs fortè tamen rigidus forem quàm si damnum particulari illatum esset.

Ast quomodò damnum æstimandum? Ad minùs juxtà valorem lignorum priùsquam cæderentur. Durum enim foret restitutionem adæquare valori quem lignum nunc parvum habiturum esset post centum annos arbor magna factum. Si tamen ligna sint essentiæ pretiosæ, aut mox habitura fuissent valorem longè majorem, summam restituendam ultrà valorem actualem extenderem, plùs minùsve, juxtà prudentùm judicium, et qualem dominus sylvæ vel communitatis proceres exigerent, ut rationabilis indemnitas præstetur, nec reor casum hunc, quo multùm confessarii cruciantur, aliter decidi posse.

Difficiliùs adhùc æstimatur damnum illatum à jumentis, etc., in sylvis cæduis nuper exsectis pascentibus. Vidi sæpè damna in hoc casu nimis æstimari; nam si non frequenter, nec multorum, nec in eâdem parte sylvæ jumenta paverint, saltem si sylva jam ab aliquot annis cæsa sit, vix post 25 annos damnum advertitur, comparando partem sylvæ in quâ jumenta non frequenter paverunt cum parte in quâ nullatenùs. Vidi è contrà sylvas ferè destructas, cùm totius ferè communitatis jumenta in eis nuper cæsis paverant.

Quoàd herbas in sylvis nuper cæsis colligentes, longè minus adhùc damnum inferunt, saltem si sint cauti. Imò fortè nullum præter illud quod exurgere potest ob herbas in loco non putrefactas. Peccant tamen, saltem contrà leges politiæ, præsertìm si necessitas eos non excuset.

Nota : Mulctæ quas majores identidem solvunt lignorum fures, à restitutione eos non eximunt, nisi pro indemnitate impositæ sint, ut partìm fit; nam et mulcta imponitur et indemnitas præcipitur. Si ergò indemnitas præcepta damnum excedat, hic excessus deduci potest à summâ restituendâ. Ipsa mulcta, ordinariè saltem, est merè in vindictam et terrorem, nec damnum passo, sed gubernio cedit.

Nota iterùm : Non rigidiores esse debent confessarii ergà famulos, præsertìm juniores, qui jussu dominorum jumenta in pascua vetita duxerunt. Præsumi enim potest voluntas proprietarii eos non obligandi ad apicem. Iis famulis, si heri ab eis moniti non restituant, consulerem remissionem petere, quam sæpissimè obtinerent, si saltem damnum non sit multùm grave.

ARTICULUS II.

De modo acquirendi quæ sunt alterius.

ACQUIRUNTUR per contractus aut dispositiones juris.

QUÆSTIO I.

De modo acquirendi per contractus ea quæ sunt alterius.

400. CUM acquiruntur per contractus ea quæ sunt alterius, jure naturæ, eorum dominium transfertur solo consensu signo externo expresso et acceptato. « Quid enim tàm » conveniens est naturali æquitati quàm voluntatem domini » volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi? » Lib. 9, § 3, ff de acquirendo rerum dominio.

Solo ergò jure naturæ spectato, traditio cum titulo est propriè solum medium acquirendi per contractus.

Traditio autem est actus vel factum quo proprietarius transfert possessionem rei mobilis aut immobilis in alium cum voluntate ejus proprietatem concedendi.

Traditio triplex : alia realis, quâ directè res in manus traditur.

Alia symbolica, quâ res traditur mediante aliâ re quæ eam repræsentet. Sic domus traditur per traditionem clavium.

Et alia ficta, quæ fit solo consensu partium, ut si res tradenda jam ab acquisitore possideatur aliquo titulo, aut si designetur datâ facultate eam auferendi.

Titulus est ratio vel causa virtute cujus actus ille vel factum proprietatem transfert. Olim dabat solum jus *ad rem* et traditio sola seu captio possessionis dabat jus *in re*.

Sed ex jure hodierno civili Gallicano « la propriété des » biens s'acquiert et se transmet par succession, par dona- » tion entre vifs ou testamentaire, et par l'effet des obliga- » tions (711).

» (La vente) est parfaite entre les parties, et la pro- » priété est acquise de droit à l'acheteur à l'égard du ven- » deur, dès qu'on est convenu de la chose et du prix, quoi-

» que la chose n'ait pas encore été livrée ni le prix payé » (1583). »

« La donation dûment acceptée sera parfaite par le seul » consentement des parties, et la propriété des objets donnés » sera transférée au donataire sans qu'il soit besoin d'autre » tradition (938) [447, *b*]. »

» L'obligation de livrer la chose est parfaite par le seul » consentement des parties contractantes. Elle rend le » créancier propriétaire dès l'instant où elle a dû être livrée, » encore que la tradition n'en ait point été faite, à moins » que le débiteur ne soit en demeure de la livrer, auquel » cas la chose reste aux risques de ce dernier (1138). »

Sed datur exceptio cùm « la chose qu'on s'est obligée de » donner ou de livrer à deux personnes successivement, est » purement mobilière, celle qui en a été mise en possession » réelle est préférée, et en demeure propriétaire, encore » que son titre soit postérieur en date, pourvu toutefois » que la possession soit de bonne foi (1141). » Quia « en » fait de meubles, la possession vaut titre (2279). »

Ergò, si in isto casu nulla adhùc sit traditio, res tamen potest à partore apprehendi ;

Etiamsi fuerit ab altero apprehensa posteriori titulo, modò malâ fide. Fuerat enim priori virtualiter tradita.

QUÆSTIO II.

De modo acquirendi quæ sunt alterius, per dispositiones juris.

Per dispositiones juris proprietas transfertur triplici modo :

1° Jure gentium. Sic res captæ in bello.

2° Per ministerium justitiæ, v. g., per venditionem quæ dicitur *expropriation forcée*.

3° Vi legis, ut morte civili et fortè simul jure naturali, ut accessione (quæ includit confusionem) et præscriptione.

De his duobus solùm hìc.

§ I.

De acquisitione per accessionem.

401. Accessio duplex, naturalis, ut nativitas, alluvio, alveus relictus et insula.

Industrialis, ut pictura, specificatio et commixtio (addebant mixtam, ut ædificatio).

Circà quæ vide tit. 2, lib. 2, cod. civ.

Nota solùm : 1° « Les fruits produits par la chose n'ap» partiennent au propriétaire qu'à la charge de rembourser » les frais de labour, travaux et semences faits par des » tiers (548). » (Hæc indemnitas, ex articulo 2102, dat in fructus rei privilegium.)

« 2° Quand (le droit d'accession) a pour objet deux » choses mobilières appartenant à deux maîtres différens, » il est entièrement subordonné aux principes de l'équité na» turelle (565). »

Ergò in his materiis non solùm ad cod. civ., sed sæpè ad jurisperitos, si res valeat, aut, si parva, ad alios prudentes recurrendum; æquaque compositio facienda est, quandò jura obscura sunt.

§ II.

De acquisitione per præscriptionem.

Præscriptio est acquisitio dominii, vel modus se liberandi, per lapsum temporis et sub conditionibus à lege determinatis. Vid. tit. 20 cod. civ. Solùm hìc habeto quasdam

I. DISPOSITIONES GENERALES.

402. Jure gentium, quod naturale multi vocant, et jure civili, quibus conforme canonicum, ob bonum commune, ne nempè dominia rerum manerent incerta, lites multiplicarentur, et ut desidia hominum res jurave sua prosequi negligentium acueretur punireturve, introducta est præscriptio, et dat jus verum, cùm legitima est.

Undè 1°, qui, eâ peractâ, adverteret rem non fuisse suam, posset eam retinere necnon fructus usquè ad peractam præscriptionem perceptos, in Galliâ nunc saltem (*a*).

Undè 2°, qui ignorans jus suum per præscriptionem acquisitum, rem à se legitimè præscriptam priori domino reddidisset, posset eam vel à quocumque repetere (*b*).

(*a*) Quia bonâ fide percepti sunt. Ast et vi præscriptionis, inquiunt alii contrà alios, quia accessorium sequitur principale. Vide tamen N. 564, *a*.

(*b*) Hìc enim non videtur renunciatio tacita præscriptioni. Nam « la renonciation tacite résulte d'un fait qui suppose l'abandon d'un droit acquis. » Hìc autem non est derelictio juris acquisiti, saltem coràm Deo valida; sed solùm restitutio rei quæ falsò putatur aliena, ac proindè cum errore substantiali facta. Undè si in foro externo, ubi nemo censetur ignorare jus suum, talis restitutio haberetur ut factum juris acquisiti derelictionem supponens, sententia judicis utpotè fundata in falsâ præsumptione facti, videtur non obligare in conscientiâ.

---

403. Non potest præscribi dominium rerum quæ non sunt in commercio, quales quæ usibus publicis deputatæ sunt, ut viæ publicæ, pontes (2226).

Quales etiam sæpè res furtivæ aut quæ vi possessæ sunt, quia jus resistit.

Nota tamen quòd quandò res dicuntur præscriptioni non obnoxiæ, hoc aliquandò intelligatur de ordinariâ, non verò de 30 aut ampliùs annorum præscriptione (*a*).

Contrà communitates et ipsum gubernium (l'état) præscribi potest, sicut et præscribere possunt (2227).

(*a*) Sic res furtivæ, ut aliæ, præscribuntur, cùm acceptæ sunt à fure, alio quàm hæreditatis titulo. Secùs si titulo immediatæ saltem hæreditatis. Tunc tamen, juxtà multos, 30 annorum spatio præscriberentur. Non item res usibus publicis deputatæ.

II. DISPOSITIONES PARTICULARES.

1° Circa possessionem ad præscribendum requisitam.

404. « La possession est la détention ou la jouissance » d'une chose ou d'un droit que nous tenons ou que nous » exerçons par nous-mêmes ou par un autre qui la tient ou » l'exerce en notre nom (2228). »

Ad præscribendum autem requiritur possessio continua,

non interrupta, pacifica, publica(*a*), non æquivoca, et titulo proprietatis (2229) (*b*).

Sed aliquis pro se, et titulo proprietatis possidere semper præsumitur, ni probetur quòd incœperit possidere pro alio (2230); et quovis titulo aliquis alteri successerit, potest istius possessionem suæ possessioni jungere ad complendam præscriptionem (2235).

Qui incœpit possidere pro alio, præsumitur semper possidere eodem titulo, ni contrarium probetur (2231).

Nota : Alia possessionis privilegia sunt,

1° Quòd in dubio melior sit conditio possidentis; quod tamen axioma multis sæpè subjacet explicationibus passìm à nobis exponendis.

2° Quòd non sit possidentis probare rem esse suam, sed oppugnantis probare contrarium. Quâ sequelâ multi itidem quoàd forum conscientiæ abuti possunt.

Hicque dictum sit per transennam axiomatum generalium abusus esse frequentes, sæpèque ea in casibus particularibus deficere.

(*a*) Id est talis, ut probabiliter ab eo contrà quem præscriptio currit, cognosci potuerit, quia aliter rem suam reclamare non valuisset. Hinc non præscribitur prohibitio in tali fundo ædificandi (689) et similes aliæ servitutes non apparentes. *D. Bouvier.*

Sed sufficit ut res sint ex se visibiles, et obex nullus eorum visibilitati opponatur, ità ut proprietarius, habità locorum ratione, potuerit alterius possessionem cognoscere.

b) Hinc non verè possidet qui nequidem scit virtualiter se possidere; ut qui rem alienam inter bona sua collocatam ignoranter possidet. Nullus est enim tunc animus possidendi.

Excipe : si agatur de possessione quæ vocatur civilissima. Hæc habetur etiam ab inscio. Sic parvulus hæreditatem paternam possidet.

Nota : Art. 2232 Cod. civ. : « Les actes de pure faculté et ceux de simple » tolérance ne peuvent fonder ni possession ni prescription. » Non videtur in conscientiâ juvare eum qui credens alterum habere jus ad eos actus, illos ipsi etiam se jus habere credenti, permittit. Tunc enim non sunt actus merè tolerati, nec simplex facultas data, quamvis tales reputarentur in foro externo.

2° Circà titulum ad præscribendum requisitum.

405. Titulus multiplex.

Alius verus, et alius coloratus, qui nempè bonâ fide cre-

ditur validus, quamvis ob defectum latentem invalidus sit.

Alius putativus, qui nullatenùs præcessit, nequidem ut coloratus aut apparens, sed solùm ex errore probabili creditur extitisse; et alius præsumptus quem extitisse jura præsumunt.

Hic titulus sufficit pro præscriptione 30 et ampliùs annorum. Qui enim hanc allegat præscriptionem, non tenetur afferre titulum. Locum ejus tenet possessio (2222) (*a*).

Sed in præscriptionibus minoris temporis requiritur et sufficit titulus coloratus, nisi invalidus sit ob defectum formalitatum (2267) (*b*); aut nisi res à possessore malæ fidei transierit ad hæredem ejus universalem saltem immediatum (*c*), quovis, sive legatarii, sive donatarii nomine donetur; quamvis eam cum aliis hæredibus universalibus partiretur, quia eo ipso quòd sub titulo hæredis universalis succedit; personam defuncti repræsentat (*d*).

Aliud est de successore particulari. Iste potest computare tempus à possessione suâ (*e*).

(*a*) Sine titulo, saltem præsumpto, nulla ergò est præscriptio; aliundè tunc nulla bona fides.

In servitutum præscriptionibus pro titulo habetur patientia domini. *Dens.* Hæc infrà.

(*d*) Titulus ergo non esset testamentum carens solemnitatibus, si ad ejus validitatem necessariæ sint. Sed indè non sequeretur invaliditas testamenti ratione sui. Vide N° 778, *a*.

Nec, juxtà probabiliorem, sufficit pro his saltem præscriptionibus, titulus putativus; quòd quis, v. g., credat emisse cùm non emerit, quia talis titulus de se non est translativus juris, sicut titulus coloratus.

(*c*) Cum Concina Billuart distinctionem facit inter hæredem immediatum et hæredem mediatum. Iste, juxtà eum, præscribit et tempore ordinario, etiamsi res mobilis sit furtiva, et immobilis vi possessa ab mediato auctore. Quia, inquit, ideò hæres immediatus non præscribit, quòd, fictione juris, censetur malâ fide possidere, cùm fictione juris, una eademque sit cum auctore persona, et una eademque sit utriusque possessio continuata; quod dici nequit de hærede mediato, quia jura duas fictiones ex eâdem causâ non admittunt : hic ergò, sicut hæres particularis, præscribit tempore ordinario.

Equidem contrà dici potest hæredem mediatum succedere in onera, sicut in jura; quòd *vitia possessionum à majoribus contracta perdurent; quòd successorem auctoris culpa comitetur;* (lib. II, de acquirendâ et retinendâ rerum possessione) et tandem quòd damna ab auctore etiam mediato illata mediatus hæres reparare teneatur cùm bona nonnisi cum hoc onere ad ipsum transierint.

Distinctionem Billuart non admitterent probabiliter juristæ.

(*d*) Imò nunquàm præscribit. *P. Gab. Ant., Theol. Pict., Billuart* et alii communiter. Sed jus civile non sic.

(*e*) Et aliud est de quocumque qui rem accepit à possessore malæ fidei, alio quàm hæredis universalis nomine.

Nota : In omnibus his casibus non sufficit ad conscientiam perturbandam suspicio malæ fidei in auctore aut antecedente possessore. Requiritur perfecta scientia, inquit Col. Andegav., etiam loquendo de hærede titulo universali; circà quod vide mox dicenda, N° 406.

3° Circà bonam fidem ad præscribendum requisitam.

Hujus bonæ fidei fundamentum est titulus coloratus aut præsumptus.

406. Est autem bona fides, de quâ hìc, judicium prudens quo quis credit rem quam possidet esse suam.

Bonam ergò fidem impedit dubitatio benè fundata præcedens aut concomitans inchoationem possessionis (*a*).

Bonæ fidei necessitatem ad præscribendum agnoscunt omnes. Ex regulâ enim secundâ juris in 6° « possessor malæ » fidei ullo tempore non præscribit. »

Et eam supponit jus civile gallicanum, quamvis in præscriptione 30 annorum non possit opponi ejus defectus (2262).

Nam « celui qui acquiert *de bonne foi* et par juste titre » un immeuble, en prescrit la propriété, etc. (2265). « La » bonne foi est toujours présumée, et c'est à celui qui allègue » la mauvaise foi à la prouver (2268). » Undè si mala fides probari nequeat, valebit quidem præscriptio in foro externo, sed non in interno, cùm, si reverà bona fides non existat, judicium fori externi fundetur in falsâ præsumptione facti.

Hìc nota : Servitutes quæ ex naturâ suâ non exigunt aliquam actionem ex parte illius qui iis subjicitur, sed tantùm ut eas patiatur, possunt sine bonâ fide strictè dictâ ab eo per præscriptionem extingui (*b*), si alter jure suo non utatur, modò eum non impediat uti is qui servituti subjectus est; nec præscribens alterum de jure suo monere tenere videtur.

Idem dicendum de actione ratione injuriarum.

Et de possessione bonorum confiscatorum ab eo habitâ cujus confiscata sunt.

In his est sufficiens bona fides, quia nihil agitur illiciti, nec quid omittitur quod dari debeat.

Nota iterùm : Ignorantia vincibilis sive juris, sive facti, utpotè bonam fidem tollens, præscriptionem impedit.

Imò docent communiter ignorantiam etiam invincibilem juris saltem certi et evidentis præscriptionem saltem ordinariam impedire (*c*).

Et bonam fidem tollit, vel potiùs malam supponit error quo quis credit non licere sibi præscribere id quod possidet. Sic aliundè statuit lex, 3i3, § *si fur*, ff. de usucapionibus.

(*a*) Restringenda tamen hæc juris civilis dispositio: « Il suffit que la bonne » foi ait existé au moment de l'acquisition (2269). » Nam si in decursu temporis ad præscribendum requisiti, advertatur rem esse alienam, restituenda est. Aliter sequeretur quòd ex tunc, etiamsi una tantùm dies elapsa fuerit ab initâ possessione, res retineri posset usquè ad tempus pro præscriptione requisitum, et quòd tunc legitimè foret præscripta, quod intolerabile est. Hæ ergò et similes juris civilis dispositiones valent solùm pro foro externo; jus enim aliter statuere nequit, cum bona fides probari non possit, et mala difficilè. Præsumitur, ne sub prætextu malæ fidei turbetur verus possessor.

Ast quid si post inchoatam bonâ fide et sine dubio possessionem superveniat dubium? Inquiri debet diligenter veritas, et si non deprehendatur rem esse alienam, aut saltem id non judicetur probabiliùs, juxta communiorem sententiam retineri potest, quia in dubio seu *pari causâ melior est conditio possidentis;* nisi forsan habeat præsumptionem juris contrà se. Tribunalia, etiam probato dubio, rem certò adjudicarent possessori, cùm supponatur dubium solum supervenisse initæ possessioni; sed hoc etiam tunc tantùm pro foro externo valeret forsitan.

Credunt omnes, ait Billuart, se posse tutâ conscientiâ retinere quod sibi cognitâ causâ, à tribunalibus adjudicatur. Sic ergò, addit hic doctus, potest possessor sibi reflexè formare conscientiam practicè certam : secundùm jura possessio bonâ fide inchoata est ratio, saltem in dubio superveniente, rem sibi retinendi ; ergò in pari dubio probabilius est ex ipsâ possessione possessorem esse dominum rei quam possidet. Sed licitum est sequi quod (notabiliter) probabilius est. Ergò, etc. Sed, quidquid sit de hoc ratiocinio, non movet multùm quod addit Billuart, nempè non solere homines sua relinquere, nec virum probum acquirere possessionem sine vero titulo; quia hæc exceptiones non paucas pati videntur.

Si tamen dubium superveniens grave sit et probabile, quod excuti non possit, censent Soto, Collet, Bailly, Steyaert, Dens, Bouvier rem esse dividendam, quia præsumptio juris jus non tribuit, sed supponit. Aliundè cum tali dubio præscriptio non potest inchoari; ergò nec perfici. Melior tamen pars, inquit Collet, possessori, cæteris paribus, foret relinquenda.

Hic nullam partem amplectuntur aliqui. Sed in praxi necesse aliquam vel mediam eligere. Porrò, ut quid tutius saltem sententiæ Collet adhærerem, et eo magis quòd homines facilè sibi faveant perpendendo dubia sua in materiis præsertìm justitiæ. Nollem tamen inquietare qui juxtà communiorem sententiam suam conscientiam formasset, etsi hæc sententia sit gregis probabilistarum. Huic conforme jus civile (2269).

(*b*) Sic leges romanæ. Videtur casus singularis exceptus. *Delugo.*

(c) *Juris enim ignorantia negatur in usucapione prodesse,* sola ergò facti ignorantia præscriptionem facit. Unde 1° si dubitans an res sit sua, simul dubitet an liceat sibi eam retinere, non continuat possessionem bonâ fide; secus si judicet se ob meliorem conditionem possidentis posse eam retinere. *P. Gab. Ant.* Undè 2° non præscribitur quod acquisitum est per contractum usurarium, nec quod emptum est à religioso cognito ut tali, benè verò si ignoretur invincibiliter rem esse religiosi.

Si tamen jus, quod ignoratur, non sit certum sed obscurum, juxtà multos, satis est bonæ fidei ad præscribendum in conscientiâ. Imò non pauci cum Billuart idem censent, quamvis jus sit certum.

Excipiunt adhùc communiter theologi, inquit D. Dens, illas personas in quibus ignorantia juris toleratur, ut milites, minores et quandòque mulieres et rustici. Sed sic probabiliter non judicarent tribunalia.

Communiùs tenent auctores, inquit Collet, eum qui ex invincibili juris errore quidpiam acquisivit, illud 30 annorum spatio præscribere, quia præscriptio hæc nullibi à jure irritatur.

4° Circà tempus ad præscribendum requisitum

407. Tempus aliud longum dicitur, 10 aut nempe 20 annorum.

Aliud longissimum, 30 aut 40 annorum.

Aliud immemoriale.

Infra hæc breve aut brevissimum.

« Toutes les actions tant réelles que personnelles sont » prescrites par trente ans, sans que celui qui allègue cette » prescription soit obligé de rapporter aucun titre (2262). »

« Celui qui acquiert de bonne foi et par juste titre un » immeuble, en prescrit la propriété par dix ans, si le » véritable propriétaire habite dans le ressort de la cour » d'appel dans l'étendue de laquelle l'immeuble est situé, et » par vingt ans s'il est domicilié hors dudit ressort (2265.) » Pro aliis præscriptionibus, vide sect. 4, cap. 5, tit. 20, lib. 3.

Quoàd mobilia : « La possession vaut titre, etc. »

« Néanmoins celui qui a perdu ou auquel il a été volé une » chose, peut la revendiquer pendant trois ans, à compter » du jour de la perte ou du vol, contre celui dans les mains » duquel il la trouve (2279). »

Raro est bona fides in præscriptionibus brevis temporis, ac proindè sæpissimè non valent nisi in foro externo (*a*).

Nota : Theologus sæpè ad jurisperitos necessariò recurrit in materiis præscriptionis, sicut in aliis multis.

(a) « Ceux auxquels les prescriptions seront opposées peuvent déférer le » serment à ceux qui les opposent sur la question de savoir si la chose a » été réellement payée (2275). »

Equidem non de omnibus brevis temporis præscriptionibus loquitur hic jus civile, nec tribunalia pro omnibus juramentum deferrent; sed solùm loquitur de quibusdam præscriptionibus brevissimi temporis quales ibi enumerantur. Sed indè sequi non videtur pro aliis brevis temporis non requiri bonam fidem; quia, etsi lex præscriptionis inter cæteros, ob quos lata est, fines, hunc intenderit ut acueretur diligentia, aut puniretur hominum res aut jura sua prosequi negligentium incuria: finis tamen ille principalis non videtur; ac proindè lex quinquennii, v. g., pro censuum redditibus, etc., non videtur pœnalis, etsi creditor redditus annuos per quinquennium non exigens pœnam aliqualiter mereatur ob congeriem horum redditaum, quæ debitori gravi fit oneri; quia hic hanc cumulationem poterat et debebat vitare. Redditus enim annui, etc., solvi debent antequam petantur, et creditor pateretur ex suâ indulgentiâ.

Jam olim opponi poterat quinquennium, attamen sententia pro quâ hic sto jam erat Collet, Bailly, P. Gab, Ant., contra Pontas falsâ innixum ratione quòd redditus census consignativi non debeantur nisi ob legem permittentem.

CAPUT II.

DE JUSTITIA.

SECTIO I.

De naturâ justitiæ.

408. Justitia, idem sonans ac adæquatio, sumitur pro virtute inclinante ad servandum cuique suum, sive non auferendo, sive reddendo ad æqualitatem quod cuique ex jure debetur.

Non justitiæ ergò, sed alterius virtutis, putà honestatis, gratitudinis, religionis, etc., sunt alia debita.

Æqualitas autem à justitiâ intenta est :

Vel moralis, quæ est conformitas cum lege proùt boni communis promotivâ. Hanc æqualitatem ponunt, v. g., qui non vendunt merces prohibitas præcisè.

Vel geometrica, seu proportionis ad proportionem. Hanc æqualitatem ponit qui dando unum digno ut duo, duo dat digno ut quatuor.

Vel arithmetica, seu proportionis rei ad rem, numeri cum

numero, nullâ habitâ ratione qualitatis personarum. Hanc æqualitatem ponit qui decem debens, decem solvit; destruit verò qui decem cuivis furatur. Ponit itidem qui centum debens, quinquaginta diviti, quinquaginta pauperi, non valens solvere totum, inter utrumque ex æquo dividit.

SECTIO II.

De divisione justitiæ.

Justitia dividitur 1° in legalem, distributivam et commutativam.

2° In latè dictam et strictè dictam.

ARTICULUS I.

De justitiâ legali, distributivâ et commutativâ.

409. Justitia legalis, quæ et generalis dicitur, privatos ordinat ad communitatem, intenditque æqualitatem moralem cum jure alto. Legalis appellatur, quia idem habet objectum ac leges, tribuere nempè communitati quod ipsi debetur ratione legum.

Considerata in superioribus dicitur imperans; in subditis, exequens.

Justitia verò distributiva quam et particularem *secundùm quid* appellant, ordinat communitatem ad privatos et intendit æqualitatem geometricam cum jure *secundùm quid* particulari, in distributione bonorum et onerum communium.

Tandem justitia commutativa, quæ et particularis *simpliciter,* ordinat inter se privatos (vel quasi privatos, communitates nempè), intenditque æqualitatem arithmeticam cum jure particulari *simpliciter*. Vocatur commutativa, quia versatur frequenter circà jus ortum ex commutationibus, seu contractibus vel quasi contractibus. Qui enim contrahunt, moralem quam habent libertatem commutant cum obligatione quam suscipiunt.

Nota. 1° Ad triplicem hanc justitiæ speciem revocatur

justitia vindicativa, ex cujus violatione sequitur proindè non rarò triplicis hujus speciei justitiæ violatio.

2° Violatio cujusque supradictæ justitiæ est peccatum *ex genere suo* mortale, quia quælibet finem habet gravissimum, bonum nempè commune, pacem, charitatem, securitatem.

ARTICULUS II.

De justitiâ latè dictâ et strictè dictâ.

410. Justitia latè dicta ea est quæ inclinat ad servandam æqualitatem cum jure alterius latè dicto.

Ejus ergò violatio non magìs importat obligationem restitutionis quàm violatio alterius virtutis.

Justitia autem strictè dicta, seu stricta, ea est quæ inclinat ad servandam æqualitatem cum jure alterius stricto et rigoroso, cujus proindè violatio restituendi obligationem importat (*a*).

(*a*) Exemplum utriusque hujus justitiæ violationis habes in eo qui ultrà pretium justum vendit merces præcisè prohibitas. Vendendo eas quamvis prohibitas, peccat contrà justitiam latè dictam, et ob hoc præcisè non tenetur ad restitutionem. Vendendo verò eas ultrà pretium, violat justitiam strictam et restituere tenetur.

411. Sola ergò justitia commutativa est justitia stricta, solaque importat in eam lædente restitutionis obligationem.

Nam 1° sola intendit æqualitatem arithmeticam, respicitque medium rei invariabile, in eo consistens quòd tantùm detur quantùm debetur, dùm cæteræ justitiæ species intendunt solùm medium rationis, consistens in eo quòd tantùm detur quantùm à ratione præscribitur, spectatis circumstantiis.

Nam 2° sola importat *alteritatem* perfectam, seu sola exercetur inter personas vel perfectè distinctas, vel ut tales consideratas (*a*). Inter tales enim solùm potest esse jus strictum et justitia stricta.

Sed sedulò nota justitiæ legali et distributivæ sociari sæpè commutativam, insimulque utramque violari. Sic qui

non solvit tributa justa, violando justitiam legalem, simul violat commutativam resultantem ex pacto implicito inter principem et cives. Sic iterùm qui tributa non distribuit ad æqualitatem geometricam, violando justitiam distributivam, simul violat commutativam resultantem ex eodem pacto implicito quòd tributa ad æqualitatem geometricam distribuerentur.

Conclude objectum *formale quod* justitiæ strictæ, seu ipsius principale intentum, esse *justum*, seu *æquale* arithmeticum alteri perfectè distincto, vel ut tali considerato debitum, supponens proindè in altero jus strictum.

Si conservetur aut reparetur hoc æquale arithmeticum, fit actus justitiæ strictæ. Secùs, injustitia committitur strictè dicta, ni alter consentiat. Si enim consentiret, injustitia abesset, quia quisque est suorum bonorum fortunæ dominus, et indè axioma : *Scienti et volenti non fit injustitia*, modò tamen consensus non sit nullus, qualis si dolo obtineretur, aut jus non sit *inabdicabile*, aliterve quis ad consentiendum inhabilis reddatur (*b*).

Injustitiam autem in bonis fortunæ prohibet septimum decalogi præceptum et illius reparationem præcipit.

(*a*) Hinc inter patrem et filium, maritum et uxorem, dominum et mancipium spectatos quà tales, id est, quatenùs subjiciuntur legibus aliquid in commune ordinantibus, seu quatenùs filius est aliquid patris, pars patris, etc., non datur justitia stricta; sed quod sic spectati sibi debent, debent ex amore, reverentiâ, pietate, aliisque virtutibus. Ast sæpè considerantur ut personæ distinctæ, seu proùt subsunt legibus quædam bona ordinantibus in utilitatem unius seorsìm ab utilitate alterius, seu uni faventibus adversùs alterum; et sub hoc respectu inter eos existit perfecta *alteritas*.

(*b*) Modò adhùc consensus non sit moraliter nullus, qualis est in solvente usuras, aut pretium rei emptæ justo majus. Consensus enim est tunc de re impossibili, quia dans usuras, aut solvens ultrà pretium justum (vide infrà) non vult dare gratis, sed tanquàm pretium. *P. Gab. Ant.*

Possunt tamen esse casus in quibus excessus esset donatio liberalis, quod ex circumstantiis est dijudicandum. Sed nota ordinariè errare, qui hanc liberalem donationem obtendunt.

FINIS TOMI PRIMI.

